
Kurte ty [illegible] odmienna od egzempl. Bibliot. [illegible]





17

PANIS
QUOTIDIANUS
IUVENTUTIS SACRÆ
Sive
CASUISTA
BREVI, AC FACILI METHODO
De Practicabilibus in Regno Poloniæ Casibus
Difficultates
EXPLICANS
Compendiosè
COLLECTUS
à R. P. GAUDENTIO PIKULSKI.
Ord. Minor. Reg. Observ: S. P. N. Francisci
Provinciæ Roxolanæ Theologo.
IN DUAS PARTES
DIVISUS
Quarum Prior tractat de illis, quæ pertinent ad dignè celebrandum Missæ Sacrificium. Secunda vero Pars de Casibus Conscientiæ in Tribunali Sacro resolvendis, præcipuas Difficultates explicat.

Cum Licentia Superiorum.

LEOPOLI.
Anno Reparatæ Salutis 1759.

CENSURA.
Theologorum Ordinis.

NOs infrafcripti, Librum cui titulus: *Panis Quotidianus* ex mandato A. R. P. BENEDICTI KOTFICKI Miniftri Provincialis Roxolanæ Provinciæ, cum omni qua potuimus diligentia legimus, in quo, cùm nihil contrarium Fidei, ac bonis moribus invenerimus; hinc Confeffarijs, Parochis, & alijs curam animarum gerentibus fummè utilem, & neceffarium judicamus, ac Typo imprimi poffe cenfemus. Datum Leopoli Die 10. Aprilis. Anno Domini 1758.

F. Felicianus LEWICKI L. Theologus Pater Provinciæ.
mp.

F. Pafchalis Turczynfki S. T. L. Glis.
mp.

FACULTAS.
A. R. P. MINISTRI PROVINCIALIS.

CUm Liber cui titulus: *Panis Quotidianus* à R. P. Gaudentio Pikulfki S. T. Lectore Generali confcriptus & iterato auctus, à Theologis Noftri Ordinis revifus, nihil contrarium Fidei ac bonis moribus contineat, imo Confeffarijs, Parochis & alijs curam animarum gerentibus fummè utilis fit judicatus, idcirco; quatenus prælo mandari poffit, facultatem damus, & concedimus. Dat. in Conventu Noftro Fragenfi Die 21. Aprilis A. D. 1758.

F. BENEDICTUS KOTFICKI
Ord. Min. Reg. Obferv. S. P. N F. S. T. L. Iubilatus Ex Commiffarius Majoris Poloniæ, Roxolanæ Provinciæ Minifter Provincialis.
mp.

APPROBATIO

JLLUSTRISSIMI
Sede Vacante
ADMINISTRATORIS GENERALIS

S A M U E L
De Głowno.
GŁOWINSKI

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Hebronenſis, Suffraganeus Præpoſitus, & Sede Vacante Archiepiſcopatûs Leopolienſis, Generalis Adminiſtrator.

OPus quod inſcribitur *Panis Quotidianus* à R. P. Gaudentio Pikulſki Ordinis Minorum S. Francisci de Obſervantia Provinciæ Ruſſiæ Theologo, laboriosè & eruditè concinnatum, cùm nihil contrarium Fidei Orthodoxæ, & moribus contineat, quinimo utilitati, & eruditioni plurimorum ſit proficuum, luce publica, Authoritate Noſtra Ordinaria dignum cenſemus. In cujus rei fidem, Datum Leopoli 25. Martij A. D. 1758.

Idem qui ſupra.

PRÆFATIO
Auctoris.
AD LECTOREM.



N alienam olim messem misi falcem ut Tibi Lector Benevole hunc Panem præpararem ad Theologica properans littora; ex quibus collegi, quidquid legi Tibi esse necessarium Nunc tandem Theologicis immersus undis quæsivi unde tuam satiarem esuriem, fæcundiorem Tibi proponens Panem, cui si diligenter incumbes, jam non tantùm satiatus accumbes Mensæ Domini, verum etiam in Sacro Tribunali Pænitentiæ non jejunus sedebis. In duas partes divisi Tibi hunc uberiorem Panem, ut interiùs scrutari possis Biscoctum esse, ad manducandum utilissimum. Biscoctus est; quia iteratò ad ignes Seraphicos tenuissimi licèt laboris mei præparatus. Biscoctus est & exinde: quiá lacte Sapientiæ admixto non ex jejunis micis compositus, quem utpote jam divisum versa & manduca. Et licèt forsitan avidam Tuæ mentis non satiabis famem, spero quòd minimè murmuraveris, nam: Non in solo PANE homo vivit. *Math: cap 4. Habes satis ditioris Nominis alios Patres, quorum Felix Potestas sapidissima ad Panem meum copiose Tibi subministrabit fercula, mihi verò & hoc exiguum obsequium pro*

exces-

excessivo reputa, qui dum adhuc necdum Patris promerui titulum, Te velut Pater, reficere Pane non omisi. Magis igitur pensa affectum quàm censum, qui Te emendicato licèt Pane satiare in animo habui. In quo si aliquas inveneris fæces, pro Tua clementia parce Auctori, nam Panem sine fæcibus non intumescere benè nosti. Quòd si in hoc Pane deesse videatur sal Sapientiæ? recordare: Optimum esse condimentum famem. Non enim hic Panis est a me coctus, ac illis propositus, qui cum Ezechiele Propheta plura manducarunt Volumina; sed eis duntaxat qui in statu Iuventutis Sacræ positi, Voluminum ex defectu laborant fame, Satis mihi in Domino videbatur, talibus recentem apponere Panem ex recentissimis Doctorum ac Pontificum collectum micis Si rudi forma ac simplici methodo compositum judicaveris? sic pro rudioribus fieri licuit, ut quidquid cupiunt in illo capiant, magis enim prodesse volui utilitati legentis, quam meo honori. Id enim unicè intendebam hoc in meo labore, ut ad gustum Poloniæ Clero hunc Panem coquerem. Difficultatem juxta practicabiles in Regno Lechico casus explicare studui, de qua vix aliquis exterorum Casuistarum scripsisse legitur; Vel ideo, quia unusquisq; illorum, conformiter ad mores suæ Patriæ Casus exposuit, vel ideo, quia plerumq; Casuistæ exteri, ignorant Statum & Circumstantias Regni nostri; porro unumquodque Re-

gnum

um sicuti habere speciales virtutes, sic & vitia, nullis placuit hanc rem in dubium revocare. Si tandem hoc meo Pane breviter Lectorem nutrire videar, non mireris, nam prolixitatis copia nauseam generare consvevit; satiùs enim est Tyronibus unam rationem percipere, quàm plures legendo, mente confundi. Postremò, sciat Lector, me in hoc Opere minime intendisse, ut aliquos Scrupulos ingeram Neo Confessariis, nam ubi diversitas accessit Sententiarum, faventem semper parti Pœnitentis eligere volui. Quid enim facilius quam hoc vel illud peccatum pro mortali judicare? si tamen strictè rem & nomen peccati mortalis scrutabimur, quæ pœna pro illo debita? non unius quippe diei flamma sed tota æternitate duratura tormenta; placeat clementiori uti Sententia, siquidem misericordia Dei superexaltat judicium. Non enim Christus tradidit potestatem ligandi & solvendi Angelis, non innocenti Joanni Apostolo: sed Petro lapsuro; cur id factum arbitraris? nisi ut: Condolere possit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. *Sed quid frustra excusatione mea occupabo paginam? numquid exili mea svada persvadere potero alieni laboris hostibus, ne hunc meum Panem velut glires & mures suis rodant dentibus? An ignoro, brevi adfuturum Iscariotæ similem, de quo illud verificari licebit:* Et post bucellam PANIS introivit in eum Sathanas? *non me latet. Illa enim est otiosi Capitis familiaris occupatio, alienos non venerari sed venare honores & cui otium vel ignorantia non permisit de proprio gaudere labore, hunc cogit invidia tristari de alieno. Non me talis Zoili torquebit crisis, nam: Facile contemnit omnia, qui se brevi sperat moriturum. Tu vero Benevole Lector, cujus pectori adhæsit amor, utinam incolumis ad multos Annos hoc Pane fruaris, Vale,*

INDEX SECTIONUM. PARS I.

SECTIO. I.

SECTIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

ARTI-

SE-

PARS I.

De Rudimentis Fidei, Mysterio Incarnationis, Adventu Christi, Sacramentis tam in genere, quàm in specie, ac eorum effectu.

SECTIO I.

De Fide, Mysterio Incarnationis, Adventu Christi ùt Redemptòris et Judicis.

Quia Fides juxta D. Basilium in Psal: 115. est; Dux sacrorum eloquiorum, quæ de Deo fieri solent; *hinc de illa primò locô statuenda est doctrina. Cum autem opposita juxta se posita magis elucescunt, ideo etiam & de Fidei, opposito, scilicet Infidelitate, sit.*

ARTICULUS I.

De Fide et Infidelitate

I. Quid est Fides?

℟. JUxta Apost: ad *Hæbr:* 11. *Est sperandarum substantia rerum; argumentum non apparentium.* Quia tamen plura credimus, quæ non speramus, ideò clariùs potest

sic

sic describi: Est lumen DEI quo illustratus homo, firmiter assentitur illis, quæ DEUS nobis revelavit, sivè illa scripta sint, sivè non sint.

2. *Quotuplex est Fides?*

R. Fides alia est *Actualis*, quæ est assensus alicui propositioni propter testimonium DEI. Alia *Habitualis*, quæ est qualitas quædam nobis in Baptismate infusa, per quam possumus credere articulis fidei.

3. Item alia est *Infusa* alia *Acquisita*. prima est quam nobis in susceptione Baptismi infundit DEUS cum aliis virtutibus Theologicis. *Acquisita* verò est illa quam ex frequentatis actibus acquirimus.

4. Utraque alia est *Viva*, quæ est cum bonis operibus. Alia *Mortua* quæ est sine bonis operibus.

5. Fides in via non destruitur nisi per solam infidelitatem, in Patria verò per visionem beatificam, nam secundùm Aug. *Fides est, credere quod non vides.* In Patria autem videbimus facie ad faciem, quæ modo in ænigmate & speculo fidei intuemur.

6. Fides in omni lege fuit omninò necessaria ad salutem: quia imposibile est sinè fide placere DEO. Non æqualiter tamen in fide Catholica sunt necessarii omnes articuli fidei.

7. *Quotuplices sunt Articuli fidei?*

R. Alij sunt necessarij necessitate *Medii*, sine quibus de lege ordinaria impossibile est salvari. Alij necessarij necessitate *Præcepti*, esto sint necessarii propter obligationem præcepti, si tamen aderit infideli ignorantia invincibilis, aut impotentia, poterit salutem consequi absque illis.

8. Articuli necessarii necessitate medii, sunt duplices: *In credendo*, & *in suscipiendo*. In credendo juxta *Trid*: sunt quatuor: 1. Credere quòd sit DEUS. 2. Credere quòd sit unus in natura & Trinus in Personis. 3. Quòd secunda Persona SSS. Trinitatis sit Incarnata. 4. Quòd DEUS sit Remunerator nostrorum operum. In suscipiendo verò sunt duo: Baptismus, & Pœnitentia post mortale Personale commissum.

Ex his alij sunt Articuli necessarii necessitate medii in omni lege tam scilicet in lege *Naturali* quàm *Scripta*, & tales sunt hi duo 1. Credere, quod sit DEUS, 2. Quod sit Remunerator nostrorum operum in hac & in altera vita. Alij veró duo Articuli sunt necessarij solum in lege *Gratiæ*. nempe 1. Credere quod sit DEUS Trinus in Personis. 2. Quód secunda Persona sit incarnata.

9. *Quot sunt articuli necessarii necessitate Præcepti?*

℟. Sunt quinq; 1. Decem præcepta Decalogi. 2 Quinq; præcepta Ecclesiæ. 3. Septem Sacramenta. 4. Oratio Dominica. 5. Symbolum Apostolorum.

10. Omnes tenentur fideles ad sciendos fidei articulos, non æqualiter tamen, ùt docet *V. Scotus* in 3. d. 25. q. 1. nam Majores, uti sunt Prælati & Superiores obligantur habere fidem explicitam omnium mysteriorum, siquidem illis incumbit alios instruere. Minores veró, uti sunt Rustici & cæteri simpliciores, sufficit, si in generali credant totum id, quod Mater Ecclesia credendum proposuit: exceptis articulis fidei necessariis necessitate Medii & Præcepti, quos unusquisq; tenetur explicitè scire.

11. Tam articulos fidei necessarios necessitate Medii, quam Præcepti, tenentur omnes fideles explicitè credere, postquàm ad usum rationis pervenerint, juxta illud: *Math*: 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; servari autem non possunt, nisi sciantur.

12. *Quod est primum omnium Præceptorum?*

℟. Est hoc: *Quod tibi non vis, alteri nè feceris.* Supra quod fundantur alia duo: *Diliges D DEUM tuum, & proximum tuum, sicut te ipsum.* Supra hæc duo, iterum fundantur alia decem præcepta decalogi. Primum præceptum est à natura, duo verò prædicta à DEO.

13. *Quotuplicia sunt Præcepta Decalogi?* Præcepta Decalogi alia sunt instituta à DEO propter bonum DEI; & talia sunt tria: *Prima*, quæ dicuntur præcepta primæ tabulæ, quasi in prima tabula Moysis fuerint scripta. *Reliqua* verò septem sunt instituta propter hominem, nè unus alteri inferat injuriam, & hæc vocantur præcepta secundæ tabulæ.

14. Præcepta Decalogi alia sunt *Positiva*, per quæ jubemur aliquid facere. Alia *Negativa*, per quæ prohibemur aliquid operari vg. *non occides.*

15. Præcepta *Positiva* obligant nos semper; sed non pro semper. *Negativa* verò & semper; & pro semper.

Infidelitas

16 *Quid & quotuplex est Infidelitas?*

℟. Infidelitas opposita fidei est duplex: *Positiva* & *Negativa*. Prima reperitur in illis, qui fidei notitiam habent, sed illam contemnunt, vel ei contradicunt, uti est in Judæis, Turcis, & Hæreticis. Negativa vero est in illis

lis, qui nihil audierunt de fide, & talis fuit in Gentibus.

17 Infidelitas *Negativa*, non est peccatum per se, qui enim nunquam de fidei doctrina audivit, non potest ejus notitiam aliqua ratione acquirere, juxta illud ad *Rom.* 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Positiva* vero est peccatum gravissimum ex genere suo, ut docetur *Joan*: 15 *Si eis non dixissem, peccatum non haberent.*

18 Infidelitas *Positiva* est triplex. Paganismus, Judaismus, & Hæresis *Paganismus* tunc est, quando nullius Mysterij revelati fides habetur. *Judaismus* est, quando creditur veteri testamento, non tamen novo. *Hæresis* est, quando alicui veritati ex novo vel ex veteri testamento, fides negatur. Si autem fides suscepta in totum abjicitur, *Apostasia* vocabitur, ut dum quis ex Christiano, fit Judæus.

19. Hæresis est duplex *Formalis* & *Materialis*. Prima: est error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tuetur contra aliquam fidei Catholicæ veritatem. *Materialis* vero Hæresis: est error contra fidem Catholicam non ex pertinacia voluntatis, sed ex simplicitate, vel defectu informationis debitæ, aut sinistra instructione proveniens. Et hæc præsertim Hæresis reperitur in vulgo Hæreticorum, ubi Catholici non tolerantur.

20. Ad Hæresim Formalem duo necessariò requiruntur, nempe: Error in intellectu, & pertinacia in voluntate.

21 Hæresis Formalis est de genere suo peccatum grave, & quidem gravius quam Paganismus, juxta illud 2, *Petr.* c. 2. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitam, retrorsum converti.* 22

22. Hæresis vero *Materialis* nullas inducit pænas juris pro foro conscientiæ & coram DEO. *Ratio primæ partis est*, quia pœnæ in hæreticos latæ non incurruntur, nisi propter culpam conjunctam cum pertinacia; *sed* in Hæresi Materiali nulla est contumacia *ergo* &c, *Ratio 2dæ partis est*: quia peccatum oritur ex prava voluntate, in casu autem non habetur. *Tum quia* ignorantia invincibilis excusat à peccato.

23. Pænæ spirituales contra Hæresim Formalem sunt quinque. 1. Excommunicatio Major in Bulla Cænæ, Papæ reservata. 2. Inhabilitas ad dignitates, Officia, & beneficia Ecclesiastica. 3. Privatio dignitatum, Officiorum & Beneficiorum prius obtentorum. 4. Irregularitas. 5. Privatio sepulturæ.

24. Pænæ temporales Hæreticorum pariter sunt quinque; 1. Infamia. 2. Confiscatio bonorum. 3. Amissio Patriæ potestatis in Liberos. 4. Subditorum ab omni debito obedientiæ. 5. Intestabilitas tam Activa, vi cujus testamentum condere nequeunt; quàm Passiva, vi cujus, ex testamento legato nihil possunt accipere.

25 Hæretici alii sunt *Interni*, & alii *Externi*. Interni sunt, qui errorem suum cum pertinacia conjunctum sola mente retinent: Externi verò illum errorem, quem mente tenent, exterius manifestant verbô aut factô

26. *Nota*; quod ille, qui circa aliquem fidei articulum sibi sufficienter propositum deliberatè & positivè dubitat, peccat peccatô hæresis, ut patet ex Can. *Dixit Apostolus.* 24. q. 3. in quo dicitur: *Dubius in fide, infidelis est.* Quod etiam definitum est in Conc: *Later:* sub Leone X.

27. *Quid est Schisma?*

℞. Schisma (quod idem significat ac latinè scissura) est Divisio, & pertinax segregatio hominis Baptizati ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, prout hæc est corpus Mysticum ex universis fidelibus, tanquam membris, & Romano Pontifice, tanquam capite, constans.

28. *Quotuplex est Schisma?*

℞. Schisma aliud est *Purum* & aliud *Impurum*. Schisma purum est, quod non opponitur fidei sed charitati, eo quia per illud fidelis non vult obedire Papæ ex malitia vel timore pœnæ, retinendo integram fidem. Impurum vero, ultra inobedientiam Papæ, negat aliquem Articulum fidei ut vg. quod Papa non sit caput Eccesiæ &c. Et hoc Schisma habet sibi conjunctam Hæresim.

29. *Quid est Apostasia?*

℞ Apostasia (quæ latinè significat desertionem & defectionem) est: temerarius recessus à prioris vitæ instituto, quod publica & solemni professione susceptum est.

30. *Quotuplex est Apostasia?*

℞ *Apostasia* est triplex: à fide, à Religione, & à Sacro Ordine.

31 *Apostasia à fide* est: omnimoda defectio à fide Catholica, quam quis in Baptismo suscepit. Differt ab Hæresi, quia hæc non deserit fidem totaliter. *A Religione*, est: omnimoda defectio, seu recessus à Religioso statû per professionem solemnem initô, sive abjiciatur habitus sive non. Sicuti enim susceptio habitûs non facit Monachum, sed vitæ Religiosæ integritas, sic neq; ejus retentio excusabit ab apostasia.

Excipiuntur tamen illi, qui à Superiore justè gravati, altiorem sedem appellant, hi

enim

enim non debent dici Apostatæ, cum non abjiciant Religionem, sed solum id faciunt, quod est de jure naturali.

Apostasia ab Ordine Sacro, est temerarius transitus à statu Clericali ad conversationem laicalem dimisso habitu, & Tonsurâ Clericalî.

32 Apostatæ à fide; easdem incurrunt pænas quas Hæretici, cum revera sint Hæretici cum quodam excessu.

33. Apostatarum à Religione sunt sequentes pænæ. 1. Incurrunt Excommunicationem Majorem latæ sententiæ, qui dimiserunt habitum, qui vero retinent illum, ferendæ sententiæ. C. 2. *Ut periculosa*. 2, Suspenduntur ipso facto ab usu & exercitio Ordinum Sacrorum (non tamen Minorum) 3. Amittunt omnia privilegia suæ Religionis ex *Trid*: Ses: 25. C. 19. *De Regular*: non tamen illi, qui habitum retinent, ut notat *P. Kloz*. l. 5 t. 9.

34. Apostatæ ab Ordine Sacro, his arcentur pænis. Excom: Majore ferendæ sententiæ. 2. Infamiâ, hæc tamen potest tolli per pænitentiam. 3. Irregularitate, quæ aufertur per pænitentiam. Si vero contraxisset Apostata Matrimonium, esset irregularis ob Bigamiam Spiritualem. 4. Amissione privilegii non solum Fori sed etiam Canonis, ita, ut si dimiserit habitum, percutiens ipsum non incurreret excommunicationem Canonis. Colligitur ex C. 23. *De sententia Excom*:

35. *Nota* quod à principio mundi usq; ad ædificium turris Babylonicæ, nulla fuit Hæresis, ut docet *Epiphanius* l, 1. *adversus Hæreses* Cap: 5. Post multiplicationem autem lingvarum, multiplicatæ sunt & Hæreses, ita; ut ante Christi Nativitatem viginti numeratæ sint ab eodem Epiphanio, quorum etiam & Evangelium

me-

meminit. Quales fuerunt Scribæ, Pharisæi, Seducæi, Hærodiani. Status pariter gratiæ, quo magis abundat arcanis fidei, eo plures expertus est Hæreses; nam ut refert *P. Frassen* tom: 1. plus quam centum quinquaginta numerantur, quæ videndæ sunt apud illum locô cit:

ARTICULUS II.
De Legibus & Canonibus.

1. Quid est Lex in Communi?

℞. Est Regula perseverans Actionum humanarum indita vel posita, obligans ad aliquid faciendum vel omittendum.

2. Quotuplex est Lex?

℞ Duplex *Temporalis*: & *Æterna*. Lex Æterna est, Ordinatio DEI facta ab æterno creaturæ rationali, quæ sint agenda vel cavenda, ut debitum finem assequatur. Temporalis vero, quæ in tempore est à DEO facta.

3. Temporalis est Duplex: *Naturalis* & *Positiva*. 1ma est ab Authore Naturæ indita Creaturæ rationali. Positiva vero est aliunde Naturæ indita, quæ ideo dicitur positiva, quia est juxta legem Naturalem posita, seu illi indita.

4. Positiva est Duplex: *Divina* & *Humana*: 1ma est à DEO præscripta. 2da ab Homine.

5. Humana alia est *Ecclesiastica*, & alia *Civilis*. Hæc à Regibus & Imperatoribus fertur: Illa à Summis Pontificibus & Conciliis. Quæ etiam vocatur *Canon*, seu Jus Canonicum.

6. Quid est Jus Canonicum?

℞ Est Corpus quoddam Artificiale ex variis legibus & Constitutionibus Summorum Pontificum

tificum integratum: Seu est volumen continens varias Constitutiones Conciliorum, & Summorum Pontificum.

7. *Quotuplex est Jus Canonicum?*

℟ Jus Canonicum 1mo dividitur in *Decretum* & *Decretales.*

Decretum, est Liber continens in se partim Canones Conciliorum, partim dicta Sanctorum Patrum, quem conscripsit *Gratianus Monachus Ord: S. Benedicti.*

Decretales vero sunt Epistolæ ex variis Pontificibus collectæ per *Raymund: de Pennafort: jussu Gregorii IX.*

8. *Quot habet partes Decretum?*

℟ Tres 1ma. pars continet Distinctiones 101. quæ dividuntur in Canones; & hi in §§. *2da* Pars continet Causas 36. quæ dividuntur in Quæstiones, & hæ in Capita & §. *3tia* Pars habet Tractatum de Consecratione, qui dividitur in Distinctiones 5. & quælibet Distinctio in Canones.

9. Ex quibus, ut scias quærere in Jure Canonico citatum alicubi locum. Observa quod si citetur absolutè Distinctio vg. Distinctione 1. *v. 9.* tunc quærendum est in 1ma parte. Si vero citatur Distinctio cum addito *de Pænitentia*, tunc quærendum est in 2da parte. Quando autem citatur Distinctio cum addito *de Consecratione*, tunc quærendum est in 3tia parte.

10. *Quot habent partes Decretales?*

℟ Dividuntur imprimis in quinq; Libros, libri in titulos, tituli in Capita, hæc autem in §§.

11. His quinq; Libris addidit *Bonifacius* VIII. alium Librum, qui vocatur *Sextus Decre-*

Decretalium collectum ex aliis Decretalibus Epistolis supplentem defectum illorum casuum, qui in prædictis 5. Libris non inveniebantur.

12. *Præter prædictos Libros suntne adhuc alij de Corpore Juris Canonici?*

℟. Sunt adhuc *Clementis* V. Constitutiones, quæ ab Authore solent vocari *Clementinæ*

13 Tandem *Joannes* XII. addidit Constitutiones viginti, quæ etiam vim Legis habent cum sint in Corpore Juris Canonici.

14. *Quid sunt, & unde dicuntur ExtraVagantes.?*

℟ *ExtraVagantes* sunt illæ Constitutiones quæ post obitum *Joannis* XII. à diversis Pontificibus exierunt. Quæ ideo dicuntur *Extra Vagantes*, quia aliquandiu extra Corpus Juris Canonici quasi sede certâ vagantes extiterunt. Nunc autem sunt de Corpore Juris.

15. *Quid est Constitutio, & quot nominibus appelletur?*

℟. I. Est, Lex Ecclesiastica dirigens & obligans fideles ad aliqua servanda præcepta concernentia bonum Spirituale.

℟. II. Hæc autem Constitutio variis solet appellari nominibus scilicet: Canon, Decretalis; Epistola, Dogma, Mandatum, Interdictum, Sanctio, Breve, Bulla &c. de quibus in sequentibus quæsitis

16. *Quid est Canon & quotupliciter sumatur?*

℟. I. Canon est Nomen Græcum, Latinè significat idem ac *Regula*, quod Nomen Regulæ quia est commune omnibus Constitutionibus, ideo latiori modo sumitur Canon pro omni Constitutione Ecclesiastica, tam generali quam Synodali.

℟. II. Canon dupliciter sumitur *Largè* & *strictè* Primo modo Sumitur pro omni Constitu-

tione

tione Ecclesiastica. Strictè vero sumitur pro illa Constitutione Ecclesiastica, quæ in Concilio Generali editur. Ita *Abb*; in cap *Canonum* n. 1.

17. *Quid est Decretum?*

℟ Est illa Constitutio quam Papa statuit de consilio Cardinalium ad nullius Consultationem. Nomine vero Consultationis intellegitur postulatio, supplicatio aut interrogatio. Hoc autem Decretum sæpius confunditur cum Canone strictè sumpto. Sic illa quæ in novissimo Concilio Tridentino statuta sunt. *Decreta de Reformatione* passim nuncupantur.

18 *Quid est Decretalis Epistola?*

℟, Est illa quam Papa solus vel cum Cardinalibus statuit ad consultationem sive supplicationem, vel interrogationem alterius, ita Glossa in *Summa* dist. 3. versu *Omnes*. Et hæc Decretalis Epistola aliter vocatur *Rescriptum*, eo quia Papa per illam rescribit ad Consultationem alterius.

19. *Quid est Dogma?*

℟. Est illud quod consistit in Doctrina Fidei Christianæ. Ita Glossa locô citt: Hoc autem Nomen quia est commune ad dogmata profana uti fuerant dogmata Philosophorum, hinc in sensu Catholico solet vocari *Dogma Fidei*, per quod Mater Ecclesia aliquos Articulos de fide credendos proponit.

20. *Quid est Mandatum?*

℟. Est Constitutio illa quæ ad Ecclesiasticam disciplinam & bonos mores pertinet, ut docet Glossa citata.

21 *Quid est Interdictum?*

℟. Est illa prohibitio in qua nulla pœna transgressoribus assignatur; ut colligitur Canone *Interdixit dist*: 32.

22. *Quid est Sanctio?*

℟. Est Constitutio Ecclesiastica in qua transgredientibus illam, pæna statuitur, Ita Canone *Sancimus* 1. Q. 7. Hæc autem Nomina, Mandatum, Interdictum & Sanctio, sæpius confunduntur & pro eodem sumi solent.

23 *Quid sit Breve Apostolicum?*

℟. Sunt litteræ Pontificiæ in membranis subtilibus & candidis haractere latino descriptæ, ac à tergo cera rubra hordulis lineis inclusa illitæ, annuloq; Piscatoris signatæ, ac manu *S*ecretarii subsriptæ. Quæ alio Nomine vocantur: *Litteræ in forma Brevis*, eò quia solent brevibus verbis negotia in illis exprimi vel si erunt prolixiores, adhuc ideo dicentur *In forma Brevis*; quia solent dari in brevibus materiis sive breve negotium concernentibus.

24, *Quid sit Bulla?*

℟ Sunt illæ litteræ Apostolicæ quæ expediuntur per Cancellariam sub plumbo seu sigillo plumbeo, pendente in hordula, conscriptæ in membrana magis nigra & rudi.

Bullæ si sint expeditæ in materia gratiæ, uti sunt Privilegia & alii favores, solet plumbum pendere in hordulis sericis rubri & crocei coloris, si vero res sint expeditæ in materia contentiosa & justitiæ, uti sunt Bullæ Matrimoniales, pendet plumbum in hordulis de canabe, ut observat *Vincentius de justit: disp: Matri. lib*, 1. *Cap*: 7. *Num*. 299.

25. *Quæ est differentia inter Breve & Bullam Apostolicam?*

℟. *S*unt quidem plures differentiæ. Duas tamen speciales & principaliores assigno. *Prima est*: Quia Breve Apostolicum expediri solet à Romana Curia per *S*ecretariam Apostolicam *sub*

annu-

annulo Piscatoris. sic dicto, quia in illo est insculpta imago S. Petri piscantis, qui annulus aut à solo Papa, aut ab alio probatæ fidei viro, custodiri solet; post mortem vero Pontificis statem à Cardinali Camerario confringitur. Bullæ vero expediuntur per Cancellariam Apostolicam sub sigillo plumbeo à horduli; pendente. Quod sigillum ex una parte Imagines S. Petri & Pauli, ex altera Nomen Papæ regnantis habet. Hoc sigillum plumbeum est ultimo consumativum Litterarum Apostolicarum, ita ut ante illius appensionem necdum Bulla expedita censeatur. Et si filum sive hordula, in qua pendet plumbum rumpatur, amplius Bulla non probat, ut docet Glossa magna in Can. *Nobilissimus* dist. 97.

Secunda Differentia inter Breve Apostolicum & Bullam est hæc, quia *Breve* inscribitur in membranis subtilibus & albis, pro Bullis vero sunt in usu membranæ subnigræ & grossæ.

Sunt & aliæ differentiæ, uti est hæc; quod scilicet: Brevia inscribuntur charactere Latino, in Bullis vero retinetur antiquus stylus Characteris Gallici, receptus & practicatus ab illo tempore, quo sedes Apostolica residentiam habuit Avenione in Galliis, *ita Cardin: de Lugo discur:* 7.

26. *Quæ sunt de essentia Legis?*

℟. De Essentia Legis in communi est, ut pro tota aliqua Communitate feratur. Ita communiter Doctores *apud Panger:* quæst: 2.

27. *Per quid differet Lex à Præcepto?*

℟. Per hæc tria: 1*mo* Præceptum potest imponi uni duntaxat Personæ, Lex vero toti Communitati, 2*do* Præceptum cessat morte vel amotione

tione præcipientis, non sic Lex. *3tiò* quia Præceptum potest ferri à quocunq; Superiore; Lex vero nonnisi ab illo, qui à DEO vel à Republica supremam habet potestatem.

28. *Quomodo Promulgatio Legis requiritur ad hoc, ut Lex obliget?*

℟. Requiritur, ut Conditio Necessaria, juxta illud Apostoli *ad Roman*: 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?*

Ad hoc tamen ut Lex Canonica obliget omnes Christi Fideles, sufficit sola Promulgatio solemnis Romæ facta. Ita *cum Suares* alij Doctores.

29 *An Leges Canonicæ ut obligent, debeant acceptari à fidelibus?*

℟. Juxta communem Sententiam Doctorum, non dependent ab Acceptatione, sed postquam sint latæ & promulgatæ, obligant. *Ratio est* quia Summus Pontifex accepit à Christo plenariam & absolutissimam potestatem Legislativam juxta illud: *Quodcunq; ligaveris &c.* sine illa conditione, si populus acceptaverit.

30. *Quomodo Lex Canonica intelligi potest, utrum obliget sub gravi vel levi culpa?*

℟. His quatuor modis: *1mo* Ex gravitate Materiæ præceptæ. *2do* Ex Intentione Legislatoris. *3tio* Ex verbis, quibus mens Legislatoris exprimitur. *4to.* Ex pæna, quæ solet Legi apponi: hæc enim si est gravis, est signum, quod Lex obliget sub culpa mortali.

31. *Quotupliciter Lex Canonica cessat obligare?*

℟. His quinq; modis: Per Epykiam, Interpretationem, Abrogationem, Dispensationem, & Consvetudinem.

32. *Quid est Epykia?*

℟

℟ Juxta *Aristotelem* 5. Eth. c. 10. Est Emendatio legis ex ea parte, quâ deficit propter universale bonum. Alii autem modi sunt ex ipsis terminis facilè intelligibiles.

33. *Quomodo Lex cessat per Consvetudinem legi contrariam?*

℟ Si habeantur sequentia. *1mo.* Si à tota Communitate aut à majori parte actus contrarii Legi fiant, per 40. Annos legi *Canonicæ*, & per 10 legi *Civili*. *2do.* Si Lex hoc tempore contrariæ consvetudini non resistat,

34. *Nota* quod quidquid hucusq; dixerimus de Lege Canonica, id ipsum hôc modô dici debet & de Jure Civili, de quo plura ideo omisi, quia non sæcularibus, sed Clericis hæc omnia adnotare proposui.

ARTICULUS III.
De Mysterio Incarnationis.

1. Certum est de fide, quod DEUS sit Trinus in Personis, & unus in Natura, & ideo non possunt dici tres Dij, sed Unus; quia ad hoc, ut dicantur tres Dij, non solum requiritur pluralitas Personarum, sed etiam Naturæ: ut docet *V. Scotus* in 4. d. 6. q. 2.

2. Certum est etiam, quod secunda Persona est Incarnata, & quidem convenientiùs quam Pater & Spiritus S. quia ut dicit *August*: Convenientius fuit, ut Ille sit in tempore Filius hominis, qui fuit ab æterno Filius DEI. Tum quia, ut notat *V. Scotus*. Si Pater, aut Spiritus S. incarnaretur, jam multiplicarentur in Trinitate Filii, unus enim esset Filius DEI, alter hominis.

3. Licet per se ac formaliter sola secunda Persona est Incarnata, concomitanter tamen etiam Pater & Spiritus S. *Ratio est* ex verbis Christi *Joan*: 14. ubi dicit: *Ego in Patre, & Pater in me est*, & 30. *Ego & Pater unum sumus.* Cum enim omnes tres Personæ SSS. Trinitatis sint identificatæ eidem Naturæ Divinæ, hinc ratione talis identitatis, si Filius est Incarnatus, etiam Pater & Spiritus S.

4. Etiam si Adam non peccasset, adhuc Filius DEI venisset in mundum, non ut Redemptor, sed ut Glorificator. *Ratio est* ex *V. Scoto* in 3. d. 7. q. 3. quia Incarnationis D. est duplex finis: *Primarius* est Excellentia tanti Mysterii & communicatio suæ bonitatis ad extra. *Secundarius* vero fuit Redemptio humani generis. In casu ergo licet non haberetur finis secundarius; quia tamen adesset primarius, ideoq; fieret Incarnatio.

5. Incarnatio Verbi, non fuit simpliciter necessaria ad redimendum genus humanum, ut docet *V. Scotus* in 3. d. 20. *Ratio ipsius est*: quia potuisset DEUS condonare suam offensam nullam exigendo pœnam, prout etiam *D. Athanasius* contra Arianos Serm: 3. testatur, dicens: *Poterat sine Adventu Christi solummodo loqui DEUS, & solvere maledictionem.* Et S. *Bernardus* Epist: 190. *Quis negat ad manum Omnipotentis fuisse alios, & alios modos nostræ redemptionis?* Et S. *August.* adhuc clarius lib. de *Agone Christi* c. 11. dicens: *Sunt stulti, qui dicunt: non poterat aliter Sapientia DEI homines liberare, nisi susciperet hominem & nasceretur ex fæmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur.*

6. Licet tam Natura Angelica, quam hu-

mana, indigeat reparatione, convenientius tamen reparare fuit Naturam hominis, quàm Angeli. *Ratio est*, quia per peccatum Adæ, totum genus humanum periisset, per peccatum vero Luciperi, non tota natura angelica corrupta est. *Tum quia* magis diabolus peccavit, quàm homo, quia ipse absq; tentatione prævaricatus est, homo vero cum tentatione peccavit. *Tum quia* diabolus magis agnoscebat malitiam sui peccati quàm homo, & ideo minus misericordiâ dignus factus est.

7. Verbum Divinum in eodem instanti fuit Incarnatum; quô Beatissima virgo MARIA dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi*: & Corpus Christi statim perfectè fuit organizatum, concurrente Beatissimâ Virgine ad ejus generationem, subministrando sangvinem suum.

8. Verbum Divinum assumpsit Naturam humanam non vero Personam, & ideo in Christo sunt duæ Naturæ; & una persona, non quidem Persona hominis, sed Verbi, quia non homo assumpsit DEUM, sed DEUS hominem.

9 Probabilius est, quod Verbum D. non solum assumpsit animam, Corpus, & sangvinem, utpotè partes principales naturæ humanæ, sed etiam dentes, ungves, capillos, & spiritus tam vitales quàm animales; nam etiam istæ partes vivunt & pertinent ad ornamentum corporis.

10 In triduo mortis, Verbum D. fuit unitum tam animæ quàm etiam Corpori, imo & omnibus istis partibus quas assumpserat, quia secundum *Damascen*: *Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.*

11. Particulæ tamen sangvinis, quæ post Resurrectionem remanserunt (uti sunt *Venetiis*

apud

apud Minoritas, *Viennæ* & *Mantuæ*, *à Leone* X. declaratæ) probabilius non sunt unitæ Verbo, sed in momento effusionis amiserunt unionem. *Ratio est*, quia alias deberent poni vi verborum sub speciebus, quod non concedit *Trid:* *Tum quia* guttæ illæ non pertinent amplius ad Corpus Christi, siquidem jam perfectè resurrexit Dominus.

12, Licèt Christus Dominus fuit occisus Anno à creatione mundi 3982, si tamen mysticè velimus loqui, nonne fuit interfectus per peccatum Parentum nostrorum Adæ & Evæ? nonne ex hoc Mystico Agno fecit illis tunicas pelliceas? ut legitur *Gen*: C. 2. *Profectò iste est Agnus*, De quo *Apoc*: 13 versu 8. dicitur. *Agnus occisus est ab origine mundi*.

13. Defacto Christus Dominus per suam passionem redemit omnes homines, juxta illud 1. *Joan*. 2. *Ipse est propitiatiò pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed prò totius mundi*. Quod autem non omnes salventur: hoc non provenit ex defectu meritorum Passionis Christi, sed ex defectu propriæ actionis, inquantum DEUS noluit hominem salvare absq; cooperatione ipsius, ut monet *August*. Serm: 15. de verbis Apostoli C. 11. dicens. *Qui creavit te sine te, non salvabit te, sine te*.

14 *Nota* quod multæ Hæreses exortæ sunt de Christo Incarnato & Natura Ejus. Aliqui enim negabant esse Deum; ut *Simon Magus*, de quo *Actor*: c. 8. legitur. Alii vero agnoscebant Christum habuisse quidem Divinitatem; sed in Passione ab illo discessisse: ut *Cerinthus*. Reliqui vero in Christo humanitatem negabant, ut *Marcion*, *Saturninus*, *Valen-*

tinus; *&* *Basilides.*

15 *Saturninus* enim *Valentinus* *&* *Basilides* negabant Christum fuisse de Virgine natum, sed solum corpus phantasticum habuisse, &. per Virginis uterum, velut aquam per canalem transiisse. Unde *Basilides*, blasphæmabat, dicens: *Quod Christus non fuit pro nobis passus, aut crucifixus, sed Cyrenæum immutavit in suam Personam, & illum permisit crucifigi, & ideo ipse Cyrenæus clamabat in Cruce ad Christum: Ut quid dereliquisti me, qui, paulò mecum Crucem portasti?*

16. *Cordoniani* vero *Manichæi* *&* *Albigenses* dicebant esse duos Deos, quorum unus est malus, & hic creavit omnia ista visibilia, & legem Moysis ipse in fulmine & furore constituit. Alter vero est bonus, qui invisibilia omnia creavit

Ex quibus *Manichæi* in quolibet homine agnoscebant duas esse animas, bonam à DEO bono, & malam à malo sibi inditam, quæ secum continuo pugnant, & si bona vincit malam, virtuosus homo efficitur; si vero mala bonam superat, scelestus utique evadit.

Horum ergo nonnulli sequaces etiam in Christo admittebant duas animas, quarum una in horto Gethsemani dicebat: *Pater transeat à me calix iste* altera vero priorem quàsi corrigendo exclamavit: *Non mea sed tua voluntas fiat.*

17 *Apollinaristæ* autem in Christo nullam agnoscebant animam, sed loco animæ fuisse Verbum D. garriebant; quorum princeps fuit Apollinarista non minus doctrina quàm pietate vir insignis, de quo S. *Hieron:* lib: de Scrip; Eccl: c. 114.

ARTI-

ARTICULUS IV.
De Primis Parentibus.

Quia primi Parentes fuerant quædam occasio Adventûs Christi, in carne passibili, hinc post modicam de Incanatione Verbi discussionem, justum judicavi fore, aliquid de illis inquirere, quantum scilicet exiguitas permittet Libelli. Volo autem informatum esse Lectorem, quod non omnia Responsa in præsenti Articulo excerpta sint ex Scriptura, aut SS. Patribus; sed aliqua esse ingeniosa, quia non omnia, quæ inquiruntur, pertinent ad Fidem, aut Constitutiones & definitiones Ecclesiæ. Hinc imo quæritur.

1. *Quare Omnipotentia D. non creavit primum Hominem solo verbo:* Fiat homo *sicuti fecit alias Creaturas? dicendo* Fiat terra, fiat firmamentum *&c*?

℞. Quià DEUS præscivit à Verbo esse futuro tempore reparandam Naturam humanam, & ideo verbo non creavit hominem, quia VERBO reliquit reparandam. *vel etiam* debuit non uno verbo *fiat*, creari ille homo, sed ambabus formari de limo terræ manibus, qui laboriosè usq; ad sangvineum sudorem reparari debuit. Ita enim in Creatione sua hæc lutalis gleba fuit ipso Conditori difficilis & laboriosa, ut postquam illam de limo terræ formaverit, quasi fatigatus quievisse legatur: *Gen:* 2. *Et requievit die septimo.* Fecit terram & Maria quievisse non legitur, fecit hominem & jam quiete indiget, acsi ingenti labore Omnipotentis manus præmeretur. Factus igitur est homo ad

Ima-

Imaginem DEI laboriosè; quia Omnipotentiæ D. nulla major difficultas, quam sibi fecisse similem.

2. *Quare in Creatione hominis tota SSS. Trinitas invicem quasi consuluit, dicens:* Faciamus hominem &c. *quod Consilium non legitur in Creatione aliarum rerum?*

℟. Hoc idcirco factum est: quia homo *ex una parte*, factus est ad Imaginem totius SSmæ Trinitatis; *ex altera parte*: tota SSma Trinitas operatura fuit circa bonum Naturæ humanæ; Pater creando, Filius redimendo, Spiritus S. illuminando & sanctificando, hinc ad Creationem Imaginis suæ tota SSS. Trinitas consentire debuit.

3. *Quare DEUS nulli diei creationis benedixit, nisi diei septimo; juxta illud Gen. 2. v. 3.* Et benedixit diei septimo & sanctificavit illum?

℟ Quia alij dies repleti erant operibus Creatoris 1*mus* babebat solem & stellas, 2*dus* firmamentum &c. *Septimus* vero nil habens de creatis operibus DEI, in paupertate sua benedicitur ab illo, qui in nova Lege dicturus erat: *Beati pauperes spiritu Math: 5. Vel ideo* fuit benedictus, quia fuit sanctificatus ipsi DEO; illa enim dies vitæ humanæ verè benedicta dici potest, quæ est sanctificata in laudem sui Creatoris. *Vel tandem ideo* sanctificata ac benedicta dicitur: quia juxta opinionem quorundam *Ss.* Patrum, hoc die 7mo summa benedictio DEI per Gabrielem Angelum nuntiata est universo mundo: nempe Incarnatus DEI Filius.

4. *Ubi Adam Creatus est?*

℟. Ante Paradisum Voluptatis, ut patet ex

illo *Gen*: 2. *Tulit ergò Dominus DEUS hominem & posuit eum in Paradiso* &c. Si igitur jam creatum tulit & adduxit ad Paradisum, signum est, quod non in Paradiso formatus est.

5. *Quare Adam non fuit creatus in Paradiso?*

℞. *Vel ideo* DEUS in mundo creavit Adam, ut antequam ingrederetur voluptates Paradisi, sciret ac recordaretur mundanæ miseriæ ac fallacitatis, & sic gustando delicias, non insolesceret ac peccaret. *Vel ideo* non est creatus in Paradiso, ut sciret se non esse hæredem, sed villicum Paradisi terrestris; si enim in tali dispositione rerum difficilis fuit Adam ad expellendum de Paradiso, ita ut dicatur illum ejecisse DEUS, & Custodiam cum evaginato gladio instituisse, ne iterum ingrediatur, ac violento modo rapiat illum, juxta illud *Gen*: 3. *Ejecitq; Adam, & collocavit ante paradisum Voluptatis Cherubim, & flammeum gladium*, quid si creatus fuisset in Paradiso, putaretq; se esse hæredem illius?

6. *Quare Eva fuit creata in Paradiso?*

R. Ut saltim post creationem Evæ primitiæ Nuptiarum fierent in Paradiso cum voluptate, statim enim postquam Eva de costa creata est, Nuptiæ factæ fuerant dicente Adamo: *Hoc nunc os de ossibus meis* &c. *Vel quia* Uxor Adamo fuit tantum placita; dum esset in Paradisi voluptate, dum autem illi dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane* &c. forsitan illam recusâsset.

7. *Quare Eva non est facta intra dies Creationis?*

℞. Nam post creationem Adæ, legitur DE-

US

US quievisse die 7mo ab omni opere: postea die 8vo legitur in *Genesi* adduxisse ad Adam bestias terræ, aves &c. ut singulis propria imponeret nomina, tandem dedit illi Regulam vitæ, & postea Adam jam gustatis Paradisi fructibus, ac fatigato corpore obdormivit, quæ omnia non in instanti fieri debuerant, sed aliquo tempore prolongato, nam singulorum Brutorum, ac Avium, vermium &c. enumeratio multum consumpsisse videtur temporis. Et tantem hoc ipso die 8vo, vel etiam sequenti, in somno fuit creata Eva.

Hoc ideo factum est, quia præscivit DEUS summam proclivitatem fæminæ ad peccandum, quæ si fuisset simul cum Adamo creta die sexto, forsitan eodem die adhuc provocaret illum ad peccatum, & sic Homo neque primum diem festum, aliquando celebraret cum suo Creatore.

Vel etiam ideo non est Eva simul facta cum Mundo, quia non pertinet ad ornamentum Mundi, Nam *Gen:* 2. v. 1. dicitur: *Igitur perfecti sunt Cæli & omnis ornatus eorum.* protunc autem nondum adhuc creata fuit Mulier, ut legenti patet textum Scripturæ. *Vel etiam* quia DEUS præscivit Genus Muliebre esse mundanum, & ideo in prima Creatione voluit mulierem amovere à Mundo. *Vel tandem* quia Homo ad Imaginem unius DEI factus est, unus etiam creari debuit, ne ex creatione duarum Imaginum, duo à Gentilibus fingerentur Dij, ut credebant Manichæi,

8. *Quare potius Eva formata est ex Adamo quàm è contra; sicut communiter solent viri generari ex fæminis?*

℞. Ut scirent forsitan omnes fæminæ, & dis

discerent ex Matre omnes Uxores, ita obligatas esse ad honorandos viros suos ac Parentes, quasi ex ipsis progenitæ forent. Omnes enim fæminæ respectu maturi ingenii Virorum sunt quasi infantes, ipsorum regimine indigentes.

Vel ideo Mulier nata est ex Viro; ut se agnosceret juniorem, & sic non superbiret.

9. *Quare Eva est in Somno ex Viro creata.*

℟. Non est mirum, quod Eva ex dormiente nascitur, quia per ipsam omnes obdormire cogimur juxta illud *Bernardi: Mors per Evam &c. Vel* Ideo in somno creata est, quæ non ad laborem, sed ad somni delicias est proclivis.

Vel ideo quia si in vigilia crearetur de costa Viri, Adam forsitan recusasset creari illam, ac sibi costam surripi?

10. *Qualenam protunc somnium Adam habuit?*

℟. Debuit somniare hoc ipsum, quod cum illo pro tunc fiebat, quia evigilans, statim agnovit *Os ex ossibus, & carnem de carne* unde ergo scivisset, si non per somnium?

Sed juxta opinionem aliquorum Patrum, puto pro tunc Adæ adfuisse somnium de Incarnatione futura, quia alias post expulsionem suam de Paradiso, in magnam incidisset desperationem, aut impatientiam contra uxorem suam; per quam inductus fuit in peccatum, si nescisset ex ejus propagine nasciturum esse Salvatorem. Talis autem Revelationis non fuit convenientius tempus, quam in illo somno Creationis Evæ.

11. *Quare Eva non ex Capite, nobilissimo mem-*

membro creata est, sed ex Costa?

R. Ideo, quia non Capitalibus negotiis, sed lumbis viri à Natura exposcebatur in ordine ad propagandam prolem.

12. *Quis magis peccavit Adam vel Eva?*

R. *Ex una parte* magis videtur peccasse Mulier, quia ipsa propriis manibus tulit vetitum pomum, illa tentavit Virum, *Ex altera parte* gravius peccavit Adam. *Ratio est*: quia illi soli os ad os præcepit DEUS. *de Ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*: Eva autem postea creata, à Viro præceptum Domini didicit, cui non talem debebat fidem, sicuti ipse Creatori. *Tum quia* Adam fuit Custos Paradisi constitutus à DEO, & ideo magis fuit obligatus ad custodiendam integritatem Paradisi, ast quia non arguebat fæminam, sed ei consensit, magis peccavit, *Tum quia* fuit caput & director Evæ. *Tum tandem* Adam suo peccato expressè postposuit DEUM, magis sibi appretiando Uxorem, quam nolens contristare, recepit vetitum pomum, & comedit.

13. *Quare non in alia specie apparuit Dæmon Evæ, sed in specie Serpentis?*

R. Ne haberet locum excusationis; sciebat enim serpentem esse callidiorem cunctis animantibus, virulentum, & ideo illi credere non debuit, qui in loquela fecit illi sensum ambiguum dicendo: *Eritis sicut Dij nunquam*, (& quasi postea subjunxit) *moriemini*

14 *Quare DEUS tam modicum Præceptum posuit primis Parentibus & quasi puerile de comestione pomi?*

R. Quia si DEUS grave aliquod & arduum statuisset præceptum, putarent DEUM voluisse directè eorum perditionem, qui ad difficilia nondum adhuc fuerant asveti; & ideo

DE-

DEUS accommodando ſua juſſa eórum ſtatui, recenter natis Hominibus, tanquam pueris pomum pro vetito impoſuit.

15 *An ſuiſſet Mulier ſub pōteſtate Virī, ſi non peccaſſet Eva?*

℞ Fuiſſet non tam rigoroſè, ſicuti modo, quia etiam in ſtatu Innocentiæ Vir fuiſſet Caput Mulieris, & Mulier Portio Viri: Quod autem DEUS quaſi in pænam peccati Originalis dixit Evæ: *ſub viri poteſtate erīs*, hoc ideo probabilius dixit, ut ſcirent poſteri Adæ viri, non debere ab illis ita licentiari, & otiò delitèſcere Mulieres, ſicuti licentiavit Adam ſuam Uxorem; quæ, ſi foret in debita cuſtodia, non ita facile otioſum promoviſſet diſcurſum cum Serpente.

16 *Quare DEUS nōn maledīxit ita primōs Parentes, peccantes, ſicuti Serpentem dicens.* Maledictus es?

℞. Noluit hos maledicere, de quorum ſtirpe Unigenitus DEI naſceretur Filius. Quin imo ſi illos maledixiſſet, maledixiſſet & ſe ipſum in Imagine ſua: ad imaginem quippe DEI factus eſt homo *Gen* 5

17 *Quali intentione Evæ porrexit vetītum pomum Viro ſuo?*

℞ Ex duplici ratione: vel quia guſtando tam præſtantiſſimum; fructum vidit hic & nunc ſibi nocivum fore & ſic ex amore viri, dedit etiam illi ad manducandum. Vel ſi in primo inſtanti manducationis pomi vetiti ſentiebat remorſun conſcientiæ, timens ne ſola expelleretur de Paradiſo, ut habeat ſocium ac ſolatium ſuæ pænæ, & miſerrimæ ſuæ futuræ vitæ, voluit eſſe in hac ſorte & Adamum Maritum, & ideo non tantum ipſi

quo-

quomodocunq; fructum porrexit, sed etiam ipsum fortiter mollibus verbis obligavit ad manducandum.

18 *Quare hucusq; primi Parentes non animadverterunt se esse nudos, quousq; non peccarunt, quæ enim connexio manducationis pomi, ad nuditatem Corporalem?*

℞. Quia fuerunt Infantes recenter nati. & ideo adhuc ruborem non habebant, postquam vero pervenerint ad usum rationis per fructum scientiæ boni & mali, cæperunt erubescere: Ita antiqui Judæi putabant. Sed quam falsa est responsio, patet exinde; quia ante usum rationis nemo peccat mortaliter, uti peccarunt nostri Parentes. qui non à ligno scientiæ habebant prudentiam, sed à DEO sibi congenitam, ac infusam, ut communiter Doctores tenent.

Origenes vero per vetitum Lignum intelligebat Evam, per fructum vero, ejus Virginitatem, quam Adamo non licuit attingere ad tempus. Fundamentum Origenis fuit, pudor primorum Parentum post peccatum, 2*do* quia propter pænitentiam DEUs illi prædixit: *In dolore paries* &c. Sed etiam hæc sententia, summè deviat à veritate, quia ad hanc intelligentiam impossibile est scripturæ sensum detorquere. Nam omnes concedunt Evam de Paradiso exivisse Virginem. Est igitur hæc ratio solvens difficultatem; quare primi Parentes post peccatum cæperunt erubescere nuditatem suam; quia in eorum corporibus statim apparuerunt signa mortalitatis, & sic deformes sibimet ipsis videbantur.

Ubi advertendum est, quod postquam Eva sustulerit pomum & manducaverit, non statim

eru-

erubeſebant, ſed uſq; Adam ad peccatum conſenſit, quia conſenſus Adæ tanquam publicæ Perſonæ & capitis, fuit conſummatio peccati Originalis.

19 *In quali ſtatu fuiſſent homines, ſi primi Parentes non peccaſſent?*

℟. Quod pertinet ad Animam, fuiſſent ſummæ cappacitatis & Intelligentiæ, quia Intellectus non dependeret à ſenſibus. Inſuper habuiſſent internam pacem; quia portio inferior, scilicet sensus materiales, non recalcitrarent portioni ſuperiori, scilicet Intellectui, cui v oluntas non reluctaret ut modo.

Quantum ad Corpus, fuiſſent ſani, læti, & Immortales, puta extrinsecè, propter juſtitiam Originalem, quæ mortem impediret.

20 *Vixiſſentne in æternum?*

℟. Juxta *Trid*: *Ses*: 5 Non vixiſsent in æternum in Mundo, sed poſt prolongatam vitam, transferrentur de terra in Cælum, ſine tamen dolore, aut morte, propter videndum Beatificè DEUM.

31 *Quid ſi Eva tantum peccaſſet, non vero Adam, v. g. nolendo recipere ab Uxore pomum?*

℟. Aliqui olim in primitiva Eccleſia docebant solas fæminas protunc incidiſſe in peccatum, ſicuti in moderna Providentia, quia ambo Parentes peccarunt, uterq; sexus contraxit Originale.

Communis tamen sententia eſt SS. Patrum docens, quod in tali casu, poſteri Adæ non contraxiſsent Originale, sed tantum puniretur ipsa Eva in propria Persona. *Ratio eſt*, quia in Fæmina non includitur totum Genus humanum, sed in primo Masculo Adamo. Tum

quia

quia non fuisset tam Capitale peccatum; si Caput omnium filiorum hominum Adam non peccasset. Tum tandem, quia non Evæ DEUS præcepit, ne de ligno manducaret, sed tantum Adæ, & omnibus in illo Posteris, Eva autem quia fuit genita ex Adamo; numeratur inter posteros ipsius. Unde si Adam solus peccasset jam & Eva contraxisset Originale. Ubi nota quod si Eva sola peccasset, & Adam vinceret tentationem illius, prius confirmaretur in Gratia quàm ipsa.

22 *Quid si Adam non manducaret pomum vetitum; sed tamen videndo Evam surripientem fructum non prohiberet illi?*

℟. In tali casu peccaret quidem; sed non adeo gravi peccato, ut in posteros ejus diffunderetur. *Ratio 1mæ partis est,* quia juxta scripturam, fuit Paradisi Custos à DEO constitutus, ad quem pertinebat damnum cavere. *Ratio 2dæ partis est*, quia pæna diffundenda in posteros Adæ fuit assignata pro sola maducatione fructûs de Ligno vetito, non vero pro alia culpa: qualiter autem protunc puniretur à DEO? soli Authori Justitiæ notum est.

23 *Qualiter occupati fuissent Homines in statu Innocentiæ?*

℟. Juxta omnes SS. Patres operarentur circa Agriculturam Paradisi, hoc enim munus fuit & Adæ impositum à DEO, ut legitur *Gen.* 2. *v.* 15. Non tantum autem possiderent Hortum voluptátis, sed etiam alias Partes terræ, liber tamen fuisset cuicunq; aditus ad Paradisum pro Medicina sumenda de Ligno vitæ, quod fuit in medio Paradisi.

Nota quod non fuisset tanta multitudo hominum, sicuti defacto est, quia in statu Innocen-

noccen-

nocentiæ, soli Electi nascerentur, nunc autem & Reprobi nascuntur.

24 *Fuissetne unus alteri subditus?*

℟. Fuisset: quia bonus Ordo Reipublicæ postulat, ut habeatur Superior & Moderator. Non tamen ita despoticè subjiceretur unus alteri, sicutì modo.

25 *Quamdiu primi Parentes morati sunt in Paradiso?*

℟. Magna est quo ad hoc inter *SS.* Patres controversia, aliqui enim putant sex horis, aliqui una die naturali, & aliqui ad summum septem diebus morari in Paradiso primos Parentes. Nulla est quo ad hoc decisio S Romanæ Ecclesiæ.

Illud autem certum est, quod plus, debuerant esse, quam sex horis aut diebus *Ratio 1mæ Partis est*, quia Eva non est creata, usq; 6va die: *ergo* jam Adam fuit in Paradiso per integrum diem septimum. *Ratio 2dæ Partis est*: quia impossibile videtur moraliter, ut Eva statim post creationem suam primo convertisset oculos & appetitum in vetitum lignum. Suppono 1*mo*. quod Adam prius debuerat Uxori suæ manifestare Regulam vitæ, quo fructu ipsis liceat vesci & quô non; 2*dò* Jure naturali certum est, quod ipsa die Nuptiarum cum sua Uxore, non debuisset ita separari ab illa, ut daret tempus locutioni cum serpente 3*tio*. Suppono, quod in principio vitæ primorum Parentum, quilibet fructus quantumvis exiguus Paradisi videbatur sapidus: postquam vero Eva jam licitis fructibus (ut ita dicam) ad nauseam saturata fuerit, ad illicitum convertit oculos, quasi ipsi alij fructus essent fastidio, quod unica Heb-

doma-

domada vix poterat fieri.

Tandem exinde colligo, primos Parentes debuisse longo tempore permanere in loco Paradisi, quia dum peccarunt, illud Lignum quod simul factum fuerat in eadem Hebdomada cum Adamo, jam intus propter utiq; antiquitatem corruptum fuit. Ut legitur *Gen:* 3. v. 1. *Abscondit se Adam* & *Uxor ejus, in medio ligni Paradisi.*

Tandem: Nulla apparet ratio, cur tam modico tempore permansissent in paradiso; Si enim nunc in statu Naturæ lapsæ possunt aliqui sine mortali peccato vivere plus quam per integrum Annum, quanto magis in statu Naturæ integræ, quando nullum haberent fomitem peccati

26 *Quamdiu autem de facto permanerent primi Parentes?*

℞ Judicio meo videri, quod per Annos triginta tres mansisse debuerant. *Ratio est satis congruentialis*: quia per illud tempus primi Parentes debuerant esse sine peccato in Paradiso. per quod Redemptor Originalis fuit sine Passione in Mundo: *sed* Redemptor fuit sine Passione triginta tribus Annis, *ergo* etiam primi Parentes hoc tempore debuerant esse in Paradiso. Neq; enim per accidens adusq; Christus permansit absq; Passione, sed conformiter ad culpam Orig: Si enim ideo in Horto Passionem incepit, ideo in Ligno Crucis finivit, quia in Horto, ac per Lignum originale exordium sumpsit *Ergo etiam* ideo non alio vitæ suæ tempore debuit Passionem peragere, nisi quia primi Parentes hâc ipsâ ætate peccarunt. Quid enim in Christi Morte signabant tres Cruces? nonne XXX Annos vitæ primorum Parentum in Paradiso?

26

26. *Quo tempore peccarunt primi Parentes?*

R. Probabilius tempore vespertino. Ratio desumitur ex S. scriptura: *Gen:* 3. v. 8: *Et cum audissent vocem Domini DEI, perambulantis in Paradiso ad auram post meridiem &c. absconderunt se &c.* *Tum quia* hoc etiam tempore scilicet vespetinô, incepit & Redemptio nostra in Horto Gethsemani.

27. *Quâ parte anni fuerant expulsi de Paradiso?*

R. Judæi dicunt quod tempore autumnali in mense *Tisri*. *Ratio est:* quia pro tunc fructus jam erant maturi. *Tum quia* sequens imminebat hyemns, & ideo non alias fecit illis Deus tunicas, nisi pelliceas. Probabiliùs tamen tempore verno quô etiam Christus est mortuus.

28. *An etiam Bestiæ cum illis fuerunt expulsæ de Paradiso?*

R. Probabilius, quod sic: quia hæ fuerant introductæ in Paradisum propter commodum hominis; *ergo* expulsô illô, ad nihilum morarentur ibi.

29. *Estne adhuc Paradisus in rerum natura?*

R. Multi ex Patribus ac Scholasticis dubitarunt de existentia Paradisi. Quia nullus ipsum videre & adire potest, etiam si videat originem illorum fluminum, qui ex ipso profluunt. Unde docebant ipsum destructum fuisse aquis Diluvii.

Communis tamen sensus est Ecclesiæ de facto existere Paradisum. Nam *Ecclesiastici* 44. dicitur: *Henoch acceptus & translatus in Paradisum.* Neq; enim destructus fuit aqua Diluvii, quia juxta *S. Damascenum* libr. 2. *de Fide* c. 11. Est supra eos montes situs Paradisus,

disus, quem Diluvii aquæ attingere non poterant.

30. *In qua parte Mundi est conditus Paradisus?*

℟. In Asia ad ortum solis, ut patet ex illo textu: *Plantaverat DEUS Paradisum voluptatis.* Ubi Hæbrea explicatio addit in *Eden.* Eden autem est locus vicinus Syriæ & Mesopotamiæ.

31. *Quid sit Paradisus?*

℟. Est Hortus amœnissimus: nam Paradisus est nomen Persicum, Persæ enim Hortos communiter *Paradisos* appellant. *Vel etiam* Paradisus derivatur ab Hæbraico vocabulo *Pardos* id est Hortus.

32. *Quis effectus fuit ligni vitæ in Paradiso?*

℟. Hic præcipuè 2plex. *imo.* Longitudo vitæ, *2do.* Sanitatis integritas ita, ut qui ex illo manducaret, & longævam duxisset vitam, & nunquàm in infirmitatem incidisset.

33. *Quare DEUS non ex alia materia fecit tunicas primis Parentibus, nisi pelliceas?*

℟. Quia futura fuit hyems, ùt superius adnotatum est. *Vel quia* ità congruum fuit, ut sicuti Agnus Mysticus qui tollit peccata mundi protexit nos in Passione sua corpore, ita & primos Parentes vestijsset mysticâ pelle, de hoc enim Agno dicitur in *Apocal.* 13. v. 8. *Agnus occisus est ab origine mundi.*

34. *Quare Eva ex principio solos genuit Filios, Cain, Abel, Seth* &c?

℟. Propter multas rationes *imò*, ut ille sexus prius generaretur, qui prius creatus fuit. *2dò*, ut in laboribus suis haberet ex Filiis adjutorium Adam. *3tiò.* Quia natura humana

videns

videns se esse injuriatam à fæmina, renuit per aliquod tempus generare filias.

35. *Quare DEUS in principio mundi permisit fratricidium fieri per Cain?*

℞. Ne amplius Eva de futura morte dubitaret. Nam quod dubitaverit, patet ex illis verbis ad serpentem: *Ne forte moriamur.* Noluit credere viro Marito, saltim credere debuit mortuo filio; vivendo enim jam longiori tempore post peractum peccatum, putabat mortem esse fabulam, maximè exinde, quia in illa eadem hora, in qua peccatum commiserant, non erant mortui.

36. *Quæ mors fuit imposita pro Originali primis Parentibus, corporalis, an Spiritualis?*

℞. Videtur esse assignata spiritualis mors in Gratia. *Ratio est*, quia scriptura dicit *Gen.* 2. v. 14. *In quocunque enim die comederis, morte morieris*, Primi vero Parentes non sunt eâ die mortui corporaliter, sed in Anima.

Communis tamen sententia est: quod scilicet utramque mortem subierunt, Spiritualem quidem in Executione, corporalem vero in Decreto D, quatenus per Decretum Dei jam destinati fuerant ad mortem subeundam.

37. *Quare ergo Beatissima Virgô MARIA mortua est, quæ non contraxit Originale? Nam quòd Christus mortuus est, non est mirum, qui sponte pro nobis oblatus est ad mortem?*

℞. Quia in morte corporali debuit assimilari Filio suo. 2*dò* quia fuit concepta, ac genita ex semine suorum Parentum, quorum natura fuit propter Originale, mortalis. 3*tiò* peccatum Adæ abstulit immortalitatem extrinsecam omnium omnino Posterorum ejus, sive fuis-

sent præservati à culpa Originali sive non. 4*to* Quia fuit genita modo communi generationis Humanæ, & ideo contraxit debitum remotum culpæ Originalis.

38, *Quare in principio mundi diutius vivebant Homines?*

℞. Quia protunc natura humana fuit junior, non ita destructa potibus calidis. 2*do*. Quia antea fuit moderata educatio hominum, solis leguminibus vescebantur ac oleribus, quæ conducunt ad sanitatem juxta Apost. *ad Rom*: 14. *Qui autem infirmus est, olus manducet.* 3*tio* Quia ante Diluvium, non fuit infecta terra aquis marinis salsis & amaris, sicuti postea, unde post Diluvium, ad centum viginti Annos reducta fuit vita hominis *Gen*. 6.

39. *Quare per aquam & non alio modo DEUS punivit Orbem terrarum?*

℞. Quia ita congruum fuerat, ut hi prius madefierent aquis, quos brevi æternus exsiccaret ignis.

40. *Ob quod peccatum præcipuè factum est Diluvium?*

℞. Juxta scriptum *Gen*: 6. Propter luxuriam, quia scilicet Filii DEI id est procedentes à justo *Seth*. accipiebant filias hominum, id est *Cain*, in Uxores quas sibi elegerant, quod à DEO prohibitum fuerat.

Postea, hoc peccatum luxuriæ punivit DEUS in Sodoma & Gomorrha, sed modo opposito, ut si mundus à peccati macula non esset mundatus aquis Diluvii, saltem purgaretur ignibus.

ARTI-

ARTICULUS V.

De Adventu Messiæ.

1. Certum est de Fide jam revera advenisse Messiam negantibus hucusq; obcæcatis Judæis, contra quos utpote domesticos hostes.

2. Probatur 1mo. *Gen.* 49. habetur. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium*; sed modo ablatum est sceptrum de Juda, & Dux sive Princeps, ergo venit Messias.

3. Respondent ad hoc Judæi 1mo dicentes: Si hæc Prophetia intelligeretur de Messia, sequeretur etiam contra Catholicos, quod JESUS non esset Messias, siquidem ante ejus adventum quingentis fere annis fuit ablatum sceptrum à Juda, nempe in captivitate Babylonis, post quam hucusq; non habemus de Gente nostra Regem. Pro quo,

4. *Nota* 1mo ex P. *Frassen* & *Galatino* lib. 4. S. Jacobum duo signa posuisse venturi Messiæ; 1mum, quod ante adventum Messiæ non deberet auferri Regia potestas à Juda. 2dum, quod neq; Dux sive Princeps de femore ejus, ut clare patet in citata Prophetia. In captivitate ergo Babylonis, licet fuit ablata Regia potestas, fuerunt tamen de tribu ad huc Juda Duces & Principes ut *Zorobabel*, *Josue*: ut videre est 1. *Esdræ* 3. Unde Judæi videndo, quod cum jam impletum esset *primum* signum venturi Messiæ, debuerant in proximo illum sperare. Pro majori adhuc fundamento hujus.

Nota

5. *Nota 2do* quod *Num.* 11. Deus jussit Moysi eligere 70. Viros de senibus Jsrael, ut omnem populum judicarent, quibus præsidebat Moyses, & post mortem illius successor, qui semper vocabatur Dux & Princeps; Hoc itaq; concilium 70. Virorum vocabatur communiter *Sanhedrin*, & perseveravit etiam in captivitate Babylonica usq; ad Herodem Ascalonitam (ut patet *Daniel* 13. Ubi Susannam non Rex Babylonis, sed Seniores Judæorum condemnarunt ad mortem) postquam autem Herodes adamavit neptem Hircani Ducis & Principis Sanhedrin, ob amorem ejus circumcisus est, ut illam in Uxorem duceret, quod dum factum esset, ipse Herodes ab Augusto Cæsare Regnum Judæorum sibi impetravit, sed quia Hircanus sæpiùs contra ipsum seditiosus fuerat, dicens *sibi Principatum deberi*, ab ipso captus dolo, & occisus cum omni Concilio Sanhedrin, combustîs eorum librîs judiciariîs, & Genealogiâ Regum, unde de stirpe Regia: quotquot fuerant, jussit interfici, ne illi aliquis in Regnum succederet. Hinc de JESU nato à Magis diligenter voluit informari, ut etiam ipsum possit interimere. Hæc omnia etiam ipsi Thalmutistæ scribunt in Bavabathra de Concilio Sanhedrin.

6. Ex quo patet, quod secundum signum venturi Messiæ in ipsa plane Nativitate Christi Domini fuit expletum, nam ab hoc tempore defecit de Juda Dux seu Legislator & Judex.

7. Neq; valet instantia Judæorum dicentium: quod etiam in passione Christi hoc Concilium Sanhedrin perseveravit, nam *Mat.* 27. habetur: *Mane autem facto, consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi adversus* JE-

JESUM, ut Eum morti traderent. Nihil enim ex hoc probant Judæi, nisi quod eorum Sacerdotes convenerunt, ut falso possent accusare JESUM, non autem illum Authoritate suâ condemnare ad mortem; nam dum Pilatus concessit illis, ut secundum legem judicarent Christum, responderunt: Nobis non licet interficere quemquam; ergo pro tunc ablata fuit illis omnis potestas judiciaria.

8. Respond: *2do.* Judæi ad Prophetiam *Num:* *2do* positam dicendo: quod male Catholici intelligitis illum textum, qui in litera Hæb: est talis: *Lo jasour scebeth mi ou da, on mehokek mimbem ragelar adkî jabo siloch velo ikehat ammim.* Ubi *ly* Scebeth non sumitur pro scepro Regio, sed pro virga tribulationis, & facit hunc sensum: non auferetur virga tribulationis de Juda, donec veniat, qui mittendus est. Quia verò nondum ablata est à Juda tribulatio, ideo nondum adhuc venit Messias.

9. Sed quàm falsa est talis Judæorum interpretatio; ostenditur *1mo*: quia *S. Jacob* non loquebatur de tribulationibus Judæ, sed de prosperitate & principatu ejus, unde in eadem benedictione Judæ dixit. S. *Patrîarcha: Juda laudabunt te fratres tui, manus tua în cervîcibus inimicorum tuorum &c.* ubi nec somniavit de ejus tribulationibus. *2do.* Falso etiam à Judæis per *ly scebeth* intelligitur virga tribulationis, nam noster *Lyranus* peritissimus in lingva Hæbraica dicit *ly* scebeth semper significare sceptrum, quod patet *Psal:* 44. ubi David dicens: *Virga directionis virga Regnî tuî*, utitur nomine *scebeth* pro virga.

10. Respondent tandem varii varie. Rabbi *Beniamîn* mendacissimus dicit: in Asia esse de

Juda

Juda ita potentem, ut triginta millia peditum exnunc possit in bellum mittere. Alii volunt prædictam Prophetiam de Nabuchodonosore intelligi, qui abstulit sceptrum de Juda missus à Deo in pœnam peccati Judaici. Hæc tamen responsio nec solutione digna est, quid enim Sancto Patriarchæ cum impio Nabuchodonosore, ut de illo in extremo halitu vaticinia ederet? Tum quia ille tyrannus non fuit expectatio Gentium, sicut Jacob prædixit de Messia.

11. Probatur. 2*do* Adventus Messiæ ex illo *Dan: 9 Animadverte sermonem & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito enim & animadverte ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usq; ad Christum Ducem hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas, occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmavit autem pactum multis hebdomada una, & in medio hebdomadæ, deficiet sacrificium & hostia, & erit in templo abominatio desolationis, & usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio*; sed prædictæ 70. hebdomades jam pridem sunt finitæ, ergo jam venit prænuntiatus ab Angelo Christus.

12. Neque valet Judæorum responsio, allatam authoritatem debere intellegi de Hircano

Principe Sacerdotum ultimo, legitime electô, qui dicitur Christus, quia fuit unctus (hoc enim vocabulum *Christus* significat) hic post quam fuit ab Herode occisus, hucusqe est in templo Hierosol: desolatio. Non valet utique hoc effugium, nam Hircanus neque potest dici Sanctus Sanctorum, neque per ipsum adducta est justitia sempiterna, sicuti prædicitur in Prophetia *S. Gabrielis.*

13. Neque potest subsistere fallax nonnullorum Rabinorum explicatio citatæ Prophetiæ dicentium: hebdomadas illas esse longissimas, quæ nondum adhuc sunt finitæ. Id enim gratis asserunt, siquidem quod post illas secuturum fuisset, jam illud pridem in se ipsis sentiunt, nempe desolationem in templo Salomonis. Pro quo adhuc.

14. *Nota* 1mo quod apud Judæos hebdomada dupliciter sumi solet, vel pro hebdomada *Dierum*, ut *Levit:* 13. & sic in una hebdomada erunt dies septem, & decem hebdomadæ facient dies 70. Vel etiam sumitur pro hebdomada *Annorum*, ut *Levit:* 25. & sic septuagintæ habdomadæ faciunt annos 490. In prædicta igitur Prophetia, non sumitur hebdomada dierum, quia alias post annum & dimidium ab exitu sermonis, advenisset Messias. ergo debet sumi pro hebdomada annorum, seu pro 490. annis, quibûs expletis, natus est Salvator. Nam 70. hebdomadæ fuerunt inchoatæ sub tempus Regni Persarum, continuabantur toto tempore Monarchiæ Græcorum, finitæ verò sunt circa principium Romani Imperii, primus enim Imperator Romanus fuit Augustus, sub quo Christus natus est.

15. *Nota 2dò* quòd *S. Gabriel* illas 70, hebdomadas in tres distribuit partes, eò; quia intra spatium 490. annorum designatorum per illas hebdomadas notabiles fuissent futuri eventus. *Primo* enim divisit in hebdomadas 7. id est 49. annos, intrà quod tempus restaurari debebat Civitas, & Templum DEI, quas hebdomadas 7, vocat *Angelus* angustias temporum, quia ùt notat *Lyranus*, in magna angustia & tribulatione reædificabatur Civitas Jerusalem, unâ enim manu Judæi muros in circuitu ejus ponebant, altera verò gladium portabant propter incursionem hostium, ut legitur 2. *Esdræ* C. 4. *Secundò* dividit: *Angelus* hebdomadas 70. in 62. id est annos 474. in quibus prædixit pacem Judæorum. *Tertiò* in unam hebdomadam ultimam, in qua desinere habuit sacrificium & hostia usque in finem. Quod utique evenit, statim post passionem Christi, nam Christus fuit passus in medio ultimæ hebdomadæ, scilicet 18. annô Tyberii Cæsaris, qui brevi mortuus, Vespasianum Successorem in throno habuit, cujus Filius funditus Jerusalem evertit, & Templum combussit, hucusque. & in finem non reparandum, quod etiam Josephus amplè descripsit, utpotè præsens huic excidio.

16. Probatur 3tio: Adventus Messiæ ex tam longa ira DEI & Judæorum captivitate: legitur enim *Amos* 2. *Super tribus sceleribus Jsràël convertam, & super quatuor non convertam eum, pro eo; quod vendiderit Justum pro argento.*

17. Respondent Judæi dicentes: per *Justum* debere inteligi *Joseph*, quia à Fratribus Jsmàëlitis fuit venditus pro argento, non verò significatur JESUS.

28. Falso tamen respondent Judæi, nam si quartum fuit peccatum Israël venditio Joseph, quod erit primum, secundum & tertium? Tum quia post venditionem Joseph multa DEUS fecit bona Judæis, reduxit enim illos in terram promissionis, dedit Reges illis &c. Quod injustum diffugium advertens *Rabbi Samuel* sapientissimus Judæorum, ità scribit ad Rabbi *Isaac* Magistrum Synagogæ in Turcia. Cum autem Proph. *Amos ponat expressè venditionem Justi, nullusque appareat venditus Justus præter Jesum à Nazareth, mihi videtur, quod simus in illo quarto maximo peccato, & propterea in captivitate &c.*

19. Probatur 4tò non solum advenisse Messiam, verum etiam quòd non fuit alius, nisi ipse Christus. Tum quia omnia impleta sunt in JESU, quæ prædicta sunt de venturo Messia. Nam *Isaiæ* 7. Messias nasciturus erat de Virgine: *Ecce Virgo concipiet &c.* quod utique factum est, quia *Lucæ* 1. dicitur: *Missus est Angelus ad Virginem.* Messias in Bethleem nasciturus prædicitur *Michea* 5. Hoc etiam expletum est in Christo Domino, ut habetur *Lucæ* 2. Messias futurus erat pauper juxta illud *Zachariæ* 9. *Ecce Rex tuus ipse pauper & ascendens super asinam.* Christus Dominus non habuit ubi caput reclinaret. Unde S. *Bernardus* dicit: *Pauper fuit in Nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in morte.* Ascendit etiam super Asinam, ùt videre est *Mat.* 21. Messias tradendus fuerat ad mortem 30. argenteis út *Zachar:* 11. *Appenderunt mercedem meam* 30. *argenteis*, hæc omnia impleta sunt de Christo.

2. Judæi solent ad hoc dicere, quòd non

omnia

omnia impleta sunt de Christo, quæ dicta sunt de venturo Messia, nam *Jsaiæ* 10. dicitur: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo cubabit, vitulus & Leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Hoc autem non verificatur post Christum.

21. Sed quàm stulti sint Judæi in explicatione hujus scripturæ! patet: nam si hæc literaliter intelligi deberent, nullum exinde venturus Messias honorem haberet, per istas ergo feras, ferocissimæ intelliguntur Gentes, quæ antea licet sibi fuissent inimicæ, sicut agnus cum lupo; post susceptam tamen fidem, ita in unum convenerunt, ut puer parvulus, quia Servus servorum Summus Pontifex, possit minare eos.

22. *Collige imò* quòd Judæi in proferendis & explicandis textibus scripturæ de Messia, duplici laborant errore *imò*, quia plura, quæ de adventu Messiæ ænigmaticè, spiritualiter, aut methaphoricè dicta sunt, literaliter intelligunt. *2dò*: quia Messiæ, duos non distingvunt adventus, *primum*, ùt salvatoris ad liberandos homines, *secundum* ùt Judicis ad judicandos; illum in humilitate, hunc in Majestate & gloria.

23. *Collige 2dò*. quòd Judæi venturum Messiam non sperant esse Deum & hominem, sed purum hominem, fortem & bellicosum. Manifestè tamen vincuntur ab *Jsaia* C. 9. dicente *de Messia: Parvulus natus est nobis & vocabitur Nomen Ejus Admirabilis, Deus fortis Pater futuri sæculi, Princeps pacis.*

24. *Collige 3tiò* quòd variæ sunt de Christo Judæorum opiniones, vel potius blasphemiæ. Aliqui enim dicunt Christum fuisse conceptum

de

de MARIA Virgine & Spiritus S, per Spiritum autem intelligunt ipsum Gabrielem, Angelus enim vocatur Spiritus Et sic tenet *Philó*, & alii, qui etiam illud *Gen.* 6. explicantes: *Videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*, per filios DEI, intelligunt Angelos non verò filios *Seth*..

25. Alii vero Judæorum, convicti miraculis Christi, blasphemant, hæc ab ipso non fieri virtute DEI, sed per Magiam, quæ vocatur *Cabala*, cum enim Jesus fuerit profugus in Ægypto, ubi hæc ars maximè protunc vigebat, illam didicit, & per ipsam multa signa operatus est; quæ antequam inciperet facere, recessit in desertum, ut se ad ea melius præpararet.

Stante autem hâc opinione Judæorum, dicendum est pariter contra illos; quod si noster Salvator arte & non virtute Dei fecit signa, vester Moyses à fortiori hâc arte deberet agere, & sic vos omnes fefellit, nam ille ex professò huic arti operam dedit in aula Pharàónis. Tum quia si revertens de Ægypto Christus arte patrâsset mirabilia; antequam nasceretur, quomodo poterat in Cælo novam creare stellam? cujus initium, neque initia nostræ fidei Magi poterant intelligere etiamsi *Cabalam* novissent optimè.

26. *Collige 4tò.* Judeos esse pejores in incredulitate Turcîs, Paganîs; quia Turcæ non detrahunt JESU ita, sicut Judæi. Quin imò in Alcorano plurimæ Christo adscribuntur laudes, quæ licet non Deum, magnum tamen Prophetam Deo acceptissimum confitentur.

Alcora-

Alcoranum enim Turcicum in exordio 4. definitionis inducit DEUM quasi sic loquentem ad Jesum, *Omnium Prophetarum alteri per me sublimato Christo Mariæ filio animam nostram propriè conferentes, virtutem ei præ cæteris tribuimus.* Et C. 4. inducuntur Angeli sic loquentes ad Mariam: *O Maria omnibûs viris & mulieribûs splendidior, mundior & jucundior! ferimus tibi summi nuntii gaudium cum verbo Dei, cujus nomen est Jesus, qui est facies omnium Gentium in hoc sæculo & futuro, vir sapiens & optimus ab universitatis Creatore mittitur. Filius tuus cæcos & mutos curabit, leprosos mundabit, mortuós suscitabit, quæ cuncta credentibus in Deum miracula censentur; vetus testamentum confirmabit, Seque cum D. virtute atque potentia patefaciens, dicet: piè credentes in Deum me sequimini, Deus enim mei, vestrique Dominus est, quem adorantes rectô procedent tramite &c.* Cap: verò 10. idem Alcoranum hæc verba habet: *JESUS Mariæ Filius Verbum DEI, & nuntius cælitùs Mariæ missus est.* Tandem C. 12. inducitur Deus loquens. *JESUS Mariæ Filius; cui commisimus Evangelium, quod est lumen & confirmatio testamenti, & recta via timentibus Deum: ad vestræ legis supplementum misimus o Judæi! omnis enim Evangelii servus præcepta ejus sequatur, alioquin malus erit..* Demum cap: 13. alloquitur Deus Jesum ità: *Te ad filios Jsraël cum virtutibus meo velle venientem increduli magum esse perhibent, tu vero de bonis tibi Matriq; tuæ Divinitùs datis mihi gratias age.*

ARTI-

ARTICULUS VI.

De secundo Adventu Christi, & de Antichristo.

1. Sciendum est: quod ante Adventum Christi (ùt Judicis) ventura est quædam notabilis Persona, quæ communiter vocatur Antichristus: eò; quia ante Christum (ùt Judicem) præcedet, teste scripturâ: *Mat:* 24. 2. ad *Thesal:* c. 2. *Apoc.* 20. & alibi.

2. Quando autem venturus est finis Mundi? (licet non sit nostrum nôsse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate) Sancti tamen Patres hæc fieri opinantur 6000. Annô ab Orbe condito. Quorum præcipuus est *S. Hieron:* in Expos: Psal. 89. ad Cypr: dicens. *Ego arbitror ex hoc locô, ut scilicet quia mundus 6. diebûs fabricatus est, sex millibûs tantum annorum credatur subsistere.* Similia habent *S. Hilarius* in C. 17. *Mat: S. Jræneus* lib. 5. contra Hæret. C. 28. *August:* lib. 10. de Civitate DEI. His tamen clarius hac in re loquitur *Lactantius Firmanus* lib. 3. c. 14. ait enim: *Sciant igitur Philosophi, qui ab exordio mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum, quô expletô consummationem fieri necesse est.*

Hæc Doctorum opinio videtur fundari in antiqua Judæorum traditione, quam *Rabbi Jacob* in Collect: de Christo cap. *Helec:* dicit esse Prophetiam Eliæ 1. *Secta Eliæ,* in qua ait: *Sex mille annis erit mundus, duobûs mille inanitas,*

duobûs

duobûs mille lex, duobûs mille dies Christi: Clara quidem sed incerta Prophetia, qui tamen Judæorum illi adhærent, ipsi se convincunt de adventu Christi, siquidem jam sexmiliesimus annus à creatione mundi pridem inchoatus est.

3. Duo autem Signa erunt Antichristi. 1mum Annihilatio Romani Imperii, ut referet *S. Ambrosius* supra C. 2. Epist: *ad Thesal.* dicens: *Non priùs veniet Dominus, quam Regni Romani defectio fiet, & appareat Antichristus, qui interficiet Sanctos*, id est *Henoch* & *Eliam*, ut inferius expressè habet. 2dum Signum est; adventus *Henoch* & *Eliæ*, ùt habetur *Apocal*: 13. v. 3. *Primum* signum præcedet nativitatem Antichristi, *secundum* vero subsequetur.

4. *Nota.* quod Apostolus loquens de extremo Judicio & Antichristo 2. *ad Thesal.* c. 2. dicit: *hæc non fieri, nisi venerit discesio &c.* Ubi nomine discessionis voluit intelligere devastationem Romani Imperii ut explicat *S. Hieron*: ad *Algasiam* quæst. 11. dicens: *Jdeò Paulus id aperte scribere noluit, ne calumniam incurreret, quod Romano Imperio male optaverit, cum speretur æternum.*

5. Quomodo autem destruetur Romanum Imperium? non conveniunt Doctores. *Lyranus* enim noster supra C. 2. *ad Thesal.* intelligit de morali destructione, nempè quo ad fidem; postquam enim aliorum retulerit sententiam dicit, *Sed salvô meliori Judicio, mihi videtur melius intelligendum de recessu à fide Catholica, sicut exponunt aliquì.*

S. Methodius tract. de rebus, quæ ab initio fuerunt, & quæ posteà contingere debent, intelligit destructionem Romani Imperii quo ad Civilia, & quidem ab uno Francorum Rege, quam senten-

sententiam refert *S. August:* tract. de Antichristo: *Quidam vero Doctores nostri dicunt: quòd unus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integro tenebit, qui in novissimo tempore erit, & ipse erit maximus & omnium Regum ultimus, qui postquam Regnum suum feliciter gubernaverit, ad ultimùm Hierosolymam veniet, & in monte Oliveti sceptrum & coronam suam deponet.*

Cæteri verò Doctores volunt Romanum Imperium à decem Regibus divisum esse, ex quibus Antichristus occidet tres, videlicet Regem Ægypti, Affricæ, & Æthîopiæ, reliqui autem septem submittent ipsi colla. Ita *Iræneus* l. 5. C. 26. *Cyrillus* Cath: 25. *Hippolytus* de Consum: mundi; explicantes Cap: 7. Dani: ex quibus *S. Hieronymus* supra idem Cap. 7. ait: *Ergo dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se dividant, & undecimum esse surrecturum Regem, qui tres de decem Regibus superaturus sit, id est Regem Ægyptiorum Africæ & Æthiopiæ, quibus interfectis etiam septem alii Reges Victori colla committent.*

Et hæc sententia est omnium probabilissima, quia illam & pluralitas Doctorum concludit, & S. Scriptura confirmat, *Dan:* enim C. 7. v. 3. Propheta dicit se vidisse quatuor bestias, quarum cupiens intelligere visiones, petiit ab Angelo edoceri, qui dixit ei: *Hæ quatuor bestiæ, quatuor sunt Regna, quæ consurgent de terra,* ut patet v. 17. ejusd: Cap. & tandem v. 19. dicit de se ipso Daniel: *Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valdè ab omnibus &c.* usque ad v. 25, inclusivè, & ait Angelus ei v. 23

Bestia quarta, Regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus Regnis. Porrò cornua decem ipsius Regni, decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & sermones contra Excelsum loquetur. In quibus locis SS. Doctores & *Glossa interlinearis* ac *Ordin*: per Regnum quartum, intelligit Romanum Imperium.

6. Antichristus nascetur in Babylonia ex Patre & Matre Judæis de Tribu Dan, qui ab initio suæ conceptionis habebit diabolum specialiter sibi assistentem, quem adorabit velut sum Tutelarem, ita *S. August*: tract. de Antichristo dicens: *Nascetur autem ex copulatione Patris* & *Matris sicut alii homines*, *non* (*ut aliqui dicunt*) *ex sola Virgine*, & subdit: *In ipso verò conceptionis initio, diabolus simul introibit in uterum Matris ejus, & virtus diaboli semper cum illo erit.* Quod autem in Babylonia nasciturus sit, immediatè habet idem Doctor: *Sicut Dominus ac Redemptor noster Bethleem sibi providit, sic diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur locum novit aptum, unde radix omnium malorum oriri debeat, scilicet Civitatem Babyloniæ.* Hoc etiam confirmat *D. Thom.* de Humanitate DEI c. 29. *Nascetur Antichr: in Babylonia de Tribu Dan, juxta quod ait Jacob Gen: 49. Fiat Dan coluber in via Cerastes &c.*

7. Quô autem nomine vocabitur Antichristus, nota ex *Apoc*: 15. Nomen ejus debere componi ex numero *666.* habetur enim sic expressè, *Hic sapientia est, qui habet intellectum, computet numerum bestiæ, & numeri ejus sexcenti sexaginta sex.*

Sciendum vero est, quod Joannes (ut refert Lyra-

Lyranus) scripsit Apocalypsim græcè, literæ autem nonnullæ apud Græcos significant certos numeros, sicuti apud Latinos *C.* designat 100. *L* 50. *&c.* *Lyranus* ergo supra C. 13. Apoc: dicit; quod nomen ejus erit *Antemos*, quod latinè idem est; ac *Christo contrarius*, nam *A.* apud Græcos significat 1. *N.* 50 *T.* 300. *E* 5. *M.* 40. *O.* 70 *S.* 200. Qui numeri simul conjuncti faciunt 666. prout constat ex calculatione facta.

Licet autem plures majoris æstimationis Sancti Patres intelligant hunc textum de Antichristo; quia S. Joannes Apostolus prophetabat in Insula Pathmos de novissimis diebus & rebus mundi, inter quas numeratur utpote principalis Persona Antichristus.

8. Sunt tamen nonnulli, qui putant S. Joannem loco Cit: *Apocalip:* 13. per illa Verba. *Et numeri ejus* 666. intellexisse Martinum Lutherum, qui his novissimis temporibus, veluti fera pessima laceravit Ovile Christi in Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Svecia, Borussia, Saxonia, Belgio Confæderato &c. Si enim Chaldeorum stylum consideremus, (quorum praxis est nomina rerum per numerum scribere) certum est, quod hic numerus 666. denotat idem ac *Martìn Lauter*, sicuti proprio idiomate vocabatur. Nam apud Chaldeos singulæ Alphabeti litteræ, denotant singulos numeros: prout sequitur.

A.	b.	c.	d.	e.	f.	g.	h.	i.	k.	l.	m.	n.	o.	
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	20.	30.	40.	50	
p.	q	r	s	t	u	w	x	y	z					
60.	70	80.	90.	100.	200.	300.	400.	500.	600.					

Quo posito: sit ergo nomen Lutheri scriptum, & ad numeros prædicti Alphabeti reductum, & videbit unusquisq; quod nominis ejus summa facit numerum 666.

M.	3 0.
A.	1.
R.	8 0.
T.	1 0 0.
I.	9.
N.	4 0.
L.	2 0.
A.	1.
U.	2 0 0.
T.	1 0 0.
E.	5.
R.	8 0.
Facit:	6 6 6.

9. Quia autem Antichriſtus naſcetur de Gente Judæorum, Hebræi videntes illum magnificum & potentem, eligent illum in Regem, putantes eſſe Meſſiam promiſſum, qui liberaret eos de captivitate diuturna, ut teſtatur *Cyrillus* Cath: 15.

10. Unde fortificatus brachiô judæorum, imprimis subjugabit ſibi tres Reges: nempè Ægypti, Æthiopiæ, & Lybiæ, poſteà decem Reges Romanúm imperium dividentes, ita; ut universo Orbi imperare videatur, ut patet ex supra dictis num: 5.

11. Tunc vero erit intolerabilis perſecutio fidelium, nam Præfectos ubique conſtituet Judæos, qui ex innata malitia, Chriſtianos plùs Nerone cruciabunt ita; ut publica sacrificia ceſſare debeant in Eccleſia, & cætum in ſpeluncas recedere neceſſe erit, ut patet ex *Apoc*: 12. *v.* 6 *Et mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à DEO, ut ibi paſcant eam diebûs mille ducentis ſexaginta.* Ubi per mulierem intelligit Ecceſiam *S. Methodius* ſupra C. 11. Apoc.

12. Multi autem ex fidelibus credent in eum propter ſigna ab ipſo per diabolum facta; ut patet

tet 1. *ad Timoth*: C. 4. quem locum explicans noster *Lyranus* ait: *Sicut Salvator præmisit discipulos in omnem Civitatem & locum quô ipse erat venturus, sic & Antichristus præmittet Prophetas suos loquentes spiritu diabolico.* Illos vero qui credent in illum, signabit signô suô in frontibus, ut clarè habetur *Apoc*: 11. *Et faciet illos habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habeat characterem bestiæ, aut numerum nominis ejus.*

13. Non diu tamen Regnum & crudelitas durabit Antichristi, ut legitur: *Dan*: 12. *A tempore cùm ablatum fuerit juge Sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Dies vero 1290. faciunt menses 42. id est tres annos & dimidium. Ut clariùs habetur *Apoc.* 12 *Et Civitatem Sanctam calcabunt mensibûs quadraginta duobûs.*

14. Post igitur hos tres annos crudelissimos ante suum interitum circa triginta dies, occidet in Hierusalem Henoch & Eliam, qui prædicabunt Evangelium diebûs 1260 juxta illud *Apoc.* 11. *v.* 3. *Et dabo duobûs testibus meis, & prophetabunt diebûs mille ducentis sexaginta amicti saccis*, Et paulo inferiùs v. 8. subditur: *Et cùm finierint testimonium suum, bestia* (id est Antichristus) *occidet eos, & corpora eorum jacebunt in plateis, ubi & Dominus eorum crucifixus est.*

15. Posteá tandem ille diabolicus homo faciens se DEUM & Christum, ut ostendat suam gloriam, intrabit in montem Oliveti cum omni suo exercitu quasi in cælum ascensurus, ubi justô DEI judiciô occidetur à S. Michàéle; reliqui vero de ejus exercitu, aliqui fulmine, alii vero pesti-

pestilentia morientur, ùt patet *Daniel.* 11. v, 45. & *Apoc:* 20. ac 2. *ad Thesal:* C. 2. Quod etiam confirmat *S. Bernardinus Senensis* tomo 2. de Jud. Gent, serm. 11 loquens de Antichristo ait: *Quem secundum Apostolum Dominus DEUS noster Christus interficiet Spiritu oris sui, quia secundùm Nicolaum de Lyra, de mandato ejus fulminabitur per ministerium Archangeli Michaëlis, qui etiam interficiet exercitum ejus secundùm Methodium.*

16. Non statim autem sequetur judicium generale, sed post dies 45. Ratio est ex illo *Daniel:* 12. ubi prædicitur crudelitas Antichristi per mille dies ducentos nonaginta, posteá vero subditur: *Beatus qui expectat & pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque.* Ubi ad numerum 1290. adduntur numeri 45. Quod utique fiet ex immensa clementia DEI, ùt illi, qui propter crudelitatem Antichristi fidem amiserant, iterum ad ovile Christi revertantur.

17. Sed quomodo in tam exiguo tempore universus possit ad Christum converti populus, ita ut possit adimpleri promissio Christi Joan 10. *Et fiet unum ovile & unus Pastor.* Pro dubio rem istam habet *S. Bernardinus Senensis*; unde oppositum docet tom: 2. de Jud: Gen: serm: 11. dicens. *Ab illo tempore* (id est ab occisione Antichristi) *usque ad finem mundi secundùm quosdam parvum non debet esse tempus, nam videntes Judæi se deceptos ab Antichristo, fervidè convertentur. Ex hoc manifeste patet, ab illo tempore usque ad finem mundi tantum spatium temporis debet intervenire, quò totus populus Isràël atque totus mundus convertatur ad Christum:* Sed quidquid sit, de hoc.

18. Jllud

18. Jllud certum est, quod post occisionem Antichristi usque ad judicium generale, erunt hominibus dies amarissimi, propter continua cæli signa, pestilentiam, & sonitum fluctuum maris, juxta illud *Lucæ* 21. v. 25. *Erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura Gentium, præ confusione sonitûs maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo Orbi.* Quæ verba explicans noster *Lyranus* dicit se legisse in Annalibus Judæorum 15. signa ante judicium præcedentia.

1*mô* Enim die: erigetur mare quadraginta cubitîs supra altitudinem montium.

2*dô.* Ita descendet ad Oceanum, ut vix videri poterit.

3*tiô*: Cum magno rugitu exibunt belluæ.

4*tô.* Ardebit mare, fontes, & flumina.

5*tô.* Herbæ & arbores dabunt rorem sangvineum.

6*tô.* Ruent omnia ædificia.

7*mô.* Petræ scindentur.

8*vô.* Fiet ita vehemens motus terræ, Ut:

9*no.* Die, omnes montes ad planitiem redire debeant, unde æquabitur terra.

10*mô.* Exibunt homines, si qui in cavernis latitabant, & velut amentes præ timore nihil adinvicem loqui poterunt.

11*mò.* Surgent ossa mortuorum, & stabunt supra sua sepulchra.

12*mô.* Cadent stellæ de cælo. Unde.

13*tiô.* Die: omnes morientur viventes.

14*tò.* Ardebit cælum & terra.

15*tô.* Resurgent omnes ad judicium.

19: Utrùm ista signa sint vera vel falsa S.

Hieron:

Hieron: neque illa approbat, neq; etiam audet reprobare, ut potè conformia ad dicta Salvatoris *Luc*: 21. ipse tamen *Lyranus* notat, quod non omnes libros Prophetarum habemus in Bibliis, nam Eliæ tam famosi Prophetæ, nullus est specialis liber. Apud Judæos autem sæpiùs citatur sub titulo 1. *Sectâ Eliæ* C. vg. 1. Quamvis nunc genuina ipsius verba non reperiantur apud illos, cùm sint plurimi eorum combusti libri ab Herode Ascalonita (ùt dictum est superiùs in præc: art) undè poterant hæc signa ex aliquo Prophètarum accipere. Quod probabile puto, quia si DEUS prædixit per Danielem c. 9. devastationem Jerosolymæ, quanto magis congruum fuerat indicare excidium totius mundi?

20. Post hæc itaque signa fiet universalis Resurrectio omnium omnino hominum tam baptizatorum quàm etiam non, quinimo abortiva humana viva resurgent, quæ aliquando in utero Matrum fuerunt animata, nam etiam ista participant naturam hominis. Omnes autem nos absque ulla exceptione oportet stare ante tribunal Christi, ùt docetur 2. *ad Corinth*. C. 5.

21. Hæc vero Resurrectio juxta: D. *Bonaventuram & Scotum* probabiliùs fiet mediâ nocte, non vero de die, quia etiam hôc tempore Christus Dominus resurrexit, quod & prædixit *Mat*: 25. *Mediâ nocte clamor factus est, ecce sponsus venit exite obviam ei.*

22. Licèt autem plures tenent Doctores, quod unusquisque nostrûm resurget in eodem loco, in quo sepultus fuit, & ab Angelo Custode defere-tur ad vallem Josaphat; probabiliùs tamen videtur *V. Scoto* in 4. d. 43. q. 5. Quod solum pulveres nostræ carnis in locum propinquum vallis Josaphat

congre-

congregabuntur ab Angelis, juxta illud Mat. 24. *Filius hominis mittet Angelos suos cum tuba & voce magna & congregabunt electos à quatuor ventis*, qui textus in utramque partem potest retorqueri.

23. Resurgemus autem omnes in plenitudine ætatis Christi, ut patet ad Eph. 4. hoc est in ætate & quantitate illa, quam unusquisque habuit vel habiturus fuit si vixisset ad trigesimum Annum, cum hoc tamen discrimine, quod electi resurgent undequaq; perfecti, reprobi autem juxta *D. Bonaventuram* Tract: 7. Cap. 5. cum illis defectibus apparebunt, quos habuerunt in vita, nam illorum corpora non erunt ad decorandum, sed puniendum.

24. *Nota* quod antiquitus fuit famosa quæstio, in quonam sexu resurgere debeamus? *Origenes* enim (ut refert *S. August.* lib. 22. de Civit. D. C. 7.) legens illud 1. ad Ephes. 4. *donec occurramus omnes in virum*, docebat, tàm mares quàm fæminas resurrecturos esse in sexu masculino, nunc autem conformiter ad mentem Ecclesiæ oppositum docet V. *Scotus* in 4. d. 44. q. 9. Alias B. Virgo nullum indicium haberet Maternitatis Christi, & cæteræ Virgines suæ Virginitatis.

25. Quamvis autem omnes judicabimur in valle Josaphat ut patet *Jòëlis* 3. v. 2. Non omnes tamen eodem modô stabimus, reprobi enim in valle & circa vallem Josaphat in terra manebunt, Electi vero simul cum Christo in àëre apparebunt, ut habetur 1. *ad Thessal:* C. 4. *Deinde nos qui vivimus* (in gratia, ut legit Glossa Ordinaria) *rapiemur obviam Christo in àëra.*

26. Sic vero nobis stantibus, apparebit crux fulgida in àëre, Sanctis quidem amabilis, reprobis vero multùm horribilis eo; quod videntes

medium

medium amissæ salutis torquebuntur. Post ostensionem vero Crucis, statim apparebit & Christus justus Judex, ut prædicitur ab illo *Mat*: 24. *Et tunc apparebit signum Filii hominis in Cælo, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli.* Quem locum explicans *S. Joan: Chrysost*: hom 77. ait. *Crux enim sole fulgentior videbitur, cujus autem rei gratiâ istud signum apparet? ut Judæorum impudentia opprimatur; Crucem in suam justificationem secum habens in judicium veniet.*

27. Et tunc aperientur libri (id est conscientiæ omnium, ut explicat Lyranus) in quibus apparebunt nostra dicta, cogitata, & facta, sive bona sive mala, ita, ut Sancti videant opera damnatorum, & vicissim damnati Electorum, ut probat *V. Scotus* in 4. d. 47. q. 1. ex illo *Isaiæ* 47. *Revelabitur ignominia vestra & videbitur opprobrium tuum.* Quod etiam confirmat *S. Ambrosius* explicans illud 1. *Ad Corinth* 4. *Nolite ante tempus judicare &c.* ait: *In die judicii apparebit, ut & qui despectus habebatur, fortè appareat dignus, & qui aliquid esse putabatur, inveniatur reprobus, omnia enim nuda erunt in die judicii.*

28. *Nota*, Quod trium librorum scriptura & Ecclesia meminit. *Primus* est ille, qui proferendus est in judicio, de quo *Apo*: 20. Et per hunc intelligitur uniuscujusque conscientia. *Secundus* est liber *Vitæ*. de quo est mentio *Exod*: 32. & per hunc intelligitur decretum prædestinationis. *Tertius* liber *Mortis*, per quem datur intelligi decretum reprobationis, ita explicat noster *Lyranus* supra 20. Apoc. & *S. Augustinus* hom; 17. Pro complemento hujus articuli.

28 *Col-*

29. *Collige 1mò*, quod circa judicium generale duæ in ſacra ſcriptura ſunt ſententiæ ſibi multum oppoſitæ. Nam 1. *ad Corinth* 6. Apoſtolus dicit: *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis ſæcularia? Pſalmo* vero 1. dicitur: *Ideò non reſurgent impii in judicio*. Ad concordantiam horum textuum.

30. *Collige 2dò*, quod *V. Scotus in* 4. d. 47. q. 1. ex *S. Greg*: lib. 26. Moral: c: 20. notat: quatuor eſſe ordines hominum in judicio. Alii enim judicabunt, & non judicabuntur, ut perfectiſſimi; Alii nec judicabunt, nec judicabuntur, ut infideles damnati. Alii judicabuntur & ſalvabuntur, ut mediocriter boni. Alii judicabuntur & peribunt, ut fideles mali. Ex quo patet veritas utriuſque textûs ſuperius citati, nam dum Apoſtolus dicit: *Neſcitis &c.* dat intelligi, quod Apoſtoli ſunt judicaturi Angelos Apoſtatas, & homines juxta promiſſionem Chriſti *Mat*: 19. Quando autem dicitur *Pſal*: 1. *Ideò non reſurgent impii in judicio*, denotatur: quod impii & reprobi non reſurgent ad judicium cæterorum, judicantes illos, ſicuti judicabunt Electi.

31. *Collige 3tiô* ex Lyrano in Mat: 19. quod judicare tripliciter accipitur, *1mò* principaliter; & ſic judicat Judex proferens ſententiam. *2do* pro illo, qui ſedet in loco eminenti juxta Judicem; Et ſic dicuntur judicare Aſſeſſores Judicii. *3tiô* Latè: pro aprobatione ſententiæ Judicis. His præmiſſis; Certum eſt de fide, quod Chriſtus principaliter erit Judex omnium judicandorum, juxtà illud *Joan*: 5. *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio &c.* Certum etiam eſt, quod Apoſtoli & cæteri Sancti perfectiſſimi, imo & omnes Angeli judicabunt alios ſecundò

modo,

modò, nempe ut Assessores; Ut patet 1. ad *Corinth* 6. *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt.*

32. *Collige* 4to: quod licèt Christus Dominus videbitur in judicio ab omnibus, tam electis, quàm reprobis: juxta illud *Joan*: 29. *Videbunt in quem transfixerunt.* Divinitatem tamen Christi reprobi non videbunt; de solis enim justis, hanc sententiam tulit ipse Judex universi Orbis *Mat* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Quod etiam confirmat *S. Augusti*. lib. 1. de Trin: C. 13.

33. *Collige* 5to. Quod ante judicium, erit conflagratio mundi multùm horribilis, cæli enim, terra & àér vehementer ardebunt, quæ conflagratio durabit etiam tempore judicii. Post latam enim sententiam: *Ite maledicti* &c. tota hæc flamma descendet cum damnatis ad Inferos, juxta illud. 2. Petri 3. *Cæli autem qui nunc sunt & terra, servantur igni, novos autem Cælos & novam terram expectamus* &c. *Nota* tamem ex *V. Scoto* in 4. d. 48. q. 2. quod Cæli non destruentur, quo ad substantiam, sed solùm immutabuntur & innovabuntur per augmentum luminis, juxta illud: Isaiæ 30. *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter*, Quod etiam confirmat S. *Hieronym*: explicans citatum textum S. Petri, ait: *Novos Cælos expectamus, non alios tamen sed veteres & antiquos in meliùs commutandos.* Solum ergo (ut advertit *V. Scotus*) immutabuntur Cæli per hoc, quia & majus lumen habebunt & illorum continuus cessabit motus, ut patet *Apocal*: 10. ubi dicitur quod: *Angelus levavit manum suam ad Cælum, & juravit per Viventem in sæcula, quia tempus non erit ampliùs,* conse-

consequenter neq; motus, tempus enim juxta Philosophos est mensura motûs.

34 *Collige 6to.* Quod licet generaliter dicetur à Judice: *Ite maledicti in ignem*, probabiliûs tamen videtur, quod Infantes non baptizati hic in terra manebunt, non verò ad Infernum descendent (ut volunt aliqui minus discreti Authores), *Ratio* est, quia ex una parte hoc recommendat Divinam Clementiam ex altera parte pro solo peccato Originali & alieno sufficit pæna damni. Deinde ad quid Deus Soli & Lunæ adderet lucem si nullus hic habitaret, cui enim lucerent?

Hæc autem sententia, licet sit piissima quia tamen nullô fulcitur testimoniô Sacræ scripturæ, hinc: *V. Scotus* in 2. d. 33. mediam viam tenet, docens: Parvulos descendere quidem ad Infernum, ibi tamen nullam pænam sensûs, quinimo nec aliquam tristitiam de suo statu passuros demonstrat, nam etiam hæc est pæna sensûs, pro qua sententia citat Divum *Augustinum* in Enchir. C. 93. docentem: *Pœnam parvulorum fore mitissimam.*

Si tamen vera est illa sententia quæ docet, parvulis ante baptismum morientibus dari illustrationes & motiones à DEO in articulo mortis, ut possint elicere desiderium baptismi, de quo inferius sect: 2. dicendum est consequenter in tali sententia parvulos non solum futuros esse in inferno, sed etiam debere pati pænam sensûs & damni, si non elicuissent baptismi desiderium, siquidem in tali casu peccato originali adjecissent personale, nempe negligentiam in quærenda salute,

SE-

SECTIO II.

De Sacramentis in Genere & eorum Effectu.

ARTICULUS I.

De Sacramentis in Genere.

1. *Quid est Sacramentum?*

℟. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 1. q. 2. est: *Signum sensibile, gratiam Dei vel effectum ejus gratuitum ex institutione D. efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis Viatoris.*

2. *Quid est Signum?*

℟. Secundùm *August.* est illud: *Quod præter sui cognitionem, ducit nos in cognitionem alterius.*

3. *Quotuplex est Signum?*

℟. Est Duplex, Unum *Naturale*: quod ex natura sua aliquid significat, ut gemitus dolorem. Aliud *Ad Placitum*, quod ex beneplacito Dei vel hominum aliquid significat. Ut pulsus campanæ devotionem.

4. Item aliud est *Practicum*: quod causat id, cujus est signum. Aliud *Speculativum*: quod non causat id, cujus est signum.

5. *Qualia sunt signa Gratiæ, Sacramenta?*

℟. Sunt signa gratiæ *Ad placitum* & *Practica*, nam causant gratiam, non quidem *Physicè* (ut vult D. *Thomas* q. 62. art 1. sed *moraliter*, ut docet V. *Scotus* in 4. d. 1. q. 4.

6. *In lege antiqva fueruntne Sacramenta causantia gratiam?*

℟. Afirmativè, in nullo enim tempore DEUS

dimi-

dimisit Cultores suos absque remedio necessario ad salutem.

7. *Quænam fuerant hæc Sacramenta?*

℟. Ab Adam usque ad Abraham tam pro masculis, quàm fæminis, fuit deletiva culpæ Originalis: *Protestatio fidei à parentibus signo sensibili facta Deo, in venturum Messiam.* Ab Abraham verò usque ad Adventum Messiæ pro Masculis fuit *Circumcisio*, pro fæminis autem fuit eadem *Protestatio fidei &c.* Circumcisio fuit constituta solum pro Judæis tanquam signum distinctivum illorum à cæteris gentibus. Item esus agni paschalis, oblationes &c. erant Sacramenta, quia significabant gratiam.

8. *Per quid differunt Sacramenta antiquæ legis à nostris Sacramentis?*

℟. Per hoc quia illa non causabant gratiam ex opere operato sicuti novæ legis; vel si causabant gratiam ex meritis venturi Messiæ ut volunt aliqui, non tamen ita uberem sicut causant Sacramenta legis gratiæ.

9. *Quot sunt Sacramenta novæ legis?*

℟. Septem *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Pænitentia*, *Extrema Unctio*, *&* *Matrimonium*.

10. *Quare 1mo ponitur Baptismus, deinde Confirmatio, Euch: &c?*

℟. Quia Baptismus est, Janua ad alia Sacramenta, & quia per illum nascimur in vita Spirituali, Postea sequitur Confirmatio; quia per illam roboramur in hac vita. Per Eucharistiam pascimur. Per Pænitentiam à morte vel ægritudine liberamur. Per extremam Unctionem à reliquis defectibus curamur. Per Ordinem ad dignitatem Ecclesiæ evehimur. Per Matrimonium verò Cætus Fidelium multiplicatur,

11. *Quotuplicia sunt Sacramenta?*

R. Alia sunt *Vivorum* quæ in suscipientibus supponunt gratiam, quæ est vita Spiritualis animæ. Alia *Mortuorum* quæ in suscipientibus supponunt peccatum, sive Originale ut Baptismus, sive personale ut Pænitentia.

12. Item alia sunt *Formata*. Alia *Non formata*. Prima sunt illa, quæ suscepta producunt in Suscipiente gratiam, quæ est forma Spiritualis adornans Animam: Et talia sunt omnia Sacramenta; quoties in suscipiente non inveniunt obicem. *Non formata* vero sunt illa, quæ in suscipiente non causant gratiam. Sic Eucharistia suscepta in peccato mortali, non gratiam sed peccatum, non salutem sed venenum sumenti affert. Ut patet de Juda Jòán: 13. de quo dicitur. *Post buccellam panis, introivit in eum sathanas.*

13, Item Alia sunt *Iterabilia*, quæ possunt iterari, & talia sunt 4. *Eucharistia, Pænitentia, Extrema Unctio & Matrimonium* Alia. *Non iterabilia*, quæ non possunt iterari, quia indelebilem characterem imprimunt animæ. Et talia sunt tria, Baptismus, Confimatio & Ordo.

14. Item Alia sunt *De Necessitate*, ut Baptismus & Pænitentia post mortale commissum. Alia *De Præcepto*, ut est Eucharistia saltim semel in annô. Et alia *De Utilitate* ut est Ordo & Matrimonium.

15. *Suntne omnia Sacramenta Permanentia?*

R. Non sunt, sed omnia *Successiva* præter solam Euchariſtiam quæ est permanens; Cætera enim post dictam formam desinunt esse in re, & solum manent in effectu; Eucharistia vero post verba Consecrationis manet.

16, *Sunt ne omnia æquè digna?*

R. Utiq;

℞. Utiq; sunt omnia æquè digna & sibi æqualia in ratione Instituentis; omnia enim sunt ab eodem Christo instituta. Non sunt tamen æqualia in ratione Continentis, ut docet *Trid:* ses: 7. Can. 1. nam alia continent solùm gratiam Christi, Eucharistia verò & gratiam & Christum realiter in se continet.

17. *Quæ requiruntur ad valorem Sacramenti?*

℞. Juxta Florentinum hæc tria, nempe: *Materia*, *Forma*, & *Intentio* Ministri ac Suscipientis. Materia & forma, sunt de essentia Sacramenti, Intentio verò est Conditio sine qua non potest validè confici Sacramentum.

18. *Quid est Materia Sacramenti?*

℞. Est res quædam sensibilis ex institutione Christi efficaciter significans gratiam.

19. *Quotuplex est Materia?*

℞. Duplex *Remota* quæ sunt ipsæ res sensibiles, ut vg aqua in Baptismo. *Proxima* verò est harum rerum traditio & acceptio.

20. *Quid est Forma Sacramentorum?*

℞. Sunt verba à Ministro prolata in applicatione Materiæ.

21. *Quis est Minister & suscipiens Sacramentorum?*

℞. De lege ordinaria est solus homo viator, quia sunt instituta ad salutem hominis Viatoris, ut patet ex definitione Sacramenti in communi.

22. *Quis dicendus est Viator?*

℞. Jlle qui nondum pervenit ad beatitudinem sed est adhuc in hac mortali vita quasi in viá ad Patriam.

23. *Animæ in purgatorio suntne viatores?*

℞. Non sunt, quia non sunt in via merendi vel demerendi, quod est proprium viatoris. Neque

etiam sunt in termino, sed manent in statu medio inter viam & Patriam.

24. *Quot sunt Effectus Sacramentorum?*

℞. Sunt duo: *Gratia* & *Character*. Gratiam causant omnia Sacramenta licitè & validè suscepta. *Characterem* verò solùm tria: Baptismus Confirmatio & Ordo.

Quid est Intentio? & quæ requiritur tam ex parte Ministri quam Suscipientis? dicetur in seriùs:

25. *Qualem Gratiam causant Sacramenta?*

℞. Omnia causant gratiam habitualem, & quidem ex opere operato, non tamen omnia primam, sed solùm Baptismus & Pænitentia; Reliqua verò quinquè causant per se, & ex institutione sua gratiam habitualem secundam.

26. *Nota* tamen, quòd Sacramenta quæ ex Institutione sua causant gratiam secundam, possunt per accidens causare gratiam primam & delere peccatum mortale, ut vg si quis accederet ad Eucharistiam cum peccato mortali inculpabiliter oblito & non confesso, in tali casu per Eucharistiam & deleretur illud peccatum, & causaretur gratia prima, licet postea teneretur confiteri illud post reminiscentiam, ut sastisfaciat præcepto Divino.

27. *Æqualemne causant Gratiam in omnibus Sacramenta?*

℞. Affirmativè, si suscipientes sint æqualiter dispositi, secùs verò si inæqualem dispositionem habeant, quia sic juxta mensuram maioris vel minoris dispositionis eorum, maior vel minor causabitur gratia, ut docet *Trid*: Ses. 6. c. 7.

28. *Ultra enumeratam gratiam causantne adhuc aliam Sacramenta?*

℞. Utiq; causant Gratiam specialem quæ communiter vocatur Gratia Sacramentalis. 29.

29. *Quid est Gratia Sacramentalis?*

℟. Est speciale auxilium dandum tempore opportuno homini suscipienti aliquod Sacramentum. Vel secundum alios: Est jus ad recipienda auxilia concernentia susceptum Sacramentum. Sic per Baptismum præter Gratiam primàm & characterem, recipit Infans jus ad habenda auxilia, quibus tempore necessario in fide, spe, & charitate confirmatur. Per Confirmationem, recipit jus ad habendum robur, ut fortiter resistat Tyranno. Per Ordinem, accipit ordinatus jus ad habenda auxilia, ut dignè possit exercere susceptum Ordinem.

30. *Quid est Character?*

℟. Est: *Signum spirituale indelebiliter impressum animæ, per quod homo insignitus differt ab alio non habente illud.* Differt à Gratia, quia hæc licet sit signum spirituale, non tamen indelebile, siquidem amitti potest, ut patet in peccatoribus post mortale commissum: character verò nunquam amitti potest.

31. *Quotuplex est Character?*

℟. Est triplex. 1. *Baptismi* per quem homo Christianus differt à non Christiano. *Confirmationis* per quem unus differt ab alio, tanquam miles fortis ab infirmo. 3. *Ordinis*, per quem unus homo differt ab alio, tanquàm perfectus ab imperfecto.

32. *Quando Gratia & Character à Sacramentis causatur?*

℟. Tunc: quando applicatur integra materia & forma; cum hoc tamen discrimine quòd gratia solùm recipitur tunc quando & valide & etiam licitè recipitur Sacramentum; Character verò imprimitur, etiamsi illicitè accipiatur Sacramentum, dummodo validè, quia non opponitur peccato sicut gratia.

33. *Quid & quot sunt Sacramentalia?*

R. Sunt quædam Ceremoniæ ab Ecclesia institutæ ad solemnem ritum Sacramentorum. Sunt autem septem, hoc versu expressa.

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Orans significat orationem Dominicam. *Tinctus* Aspersionem aquæ benedictæ. *Edens* Sumptionem panis benedicti. *Confessus* Confessionem generalem. *Benedicens* significat benedictionem Episcopi.

34. *Per quid differunt Sacramentalia à Sacramentis?*

R. Per hoc, quià hæc fuerunt à Christo instituta & causant gratiam ex opere operato, Sacramentalià verò sunt instituta ab Ecclesia, & causant gratiam ex opere operantis.

35. *Quinam est Effectus Sacramentalium?*

R. Remissio venialium, & alia auxilia actualia.

ARTICULUS II.

De Gratia.

1. *Quid est Gratia?*

R. Gratia in communi est: *Donum Dei gratis nobis datum.*

2. *Quotuplex est Gratia?*

R. In ima sui divisione est duplex, *Naturalis & Supernaturàlis* Prima est, donum Dei naturale, quod Deus potest non conferre Creaturæ sine illius injuria. Et hujusmodi est vg. Status nobilis, memoria, sanitas & cætera talenta naturalia. Gratia *Supernaturalis* est donum Dei gratuitum, Supernaturale, creàturæ rationali conferibile ex meritis Christi, ordinatum ad consequendum finem supernaturalem.

3.

3. Gratia Supernaturalis Alia est *Supernaturalis quò ad substantiam*, quæ est indebita omni naturæ creatæ, uti est Gratia Sanctificans &c. Et Alia *Supernaturalis quò ad modum*, quæ solùm in aliquibus circumstantiis est indebitá. Talis esset gratia vg. sapientia, si illam Deus alicui infanti infunderet.

4. Gratia Supernaturalis est duplex. *Sanitatis* & *Medicinalis* 1ma est illa quam Deus contulit primis parentibus & Angelis in statu Innocentiæ existentibus; quæ ideo dicitur Gratia Sanitatis: quia data est Naturæ Sanæ. *Medicinalis* vero est illa, quam Deus cōmuniter dat naturæ vulneratæ pecatô Originalî; quæ ideo dicitur *Medicinalis*, quia est quasi Medicina Naturæ ac voluntatis humanæ infirmæ.

Utraq: autem hæc Gratia per hoc differunt; quia Gratia Sanitatis fuit non ita intensa & copiosa, quàm Gratia medicinalis, juxta illud Christi Joan. *Ego venì ùt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* 2*do* quia Adamus cum Gratia Habituali & adjutorio actuali Intelectûs potuit perseverare finaliter in Iustitia, homines verò in hoc statu naturæ lapsæ ultra prædicta illa duo dona indigent pia motione in Voluntate.

Ex quo patet quod Gratia Sanitatis solum consistebat in illustratione Intellectus, modo vero Gratia medicinalis non solum illustrare habet intellectum, sed etiam movere voluntatem, ut inferius dicetur.

5. Item Gratia Dei Alia est *Interna* & Alia *Externa*. Prima est illa, quæ hominem interius afficit, sive per modum permanentis, ut est gratia habitualis, sive transeuntis, ut est gratia actualis. Gratia vero *Externa* est illa quæ hominem

interi-

interius non afficit, ſed tantum movet ſenſus, ut eſt v. G. Prædicatio, miracula, &c.

6. Gratia Interna Alia eſt *Gratis data.* Alia *Gratum faciens.* Prima eſt illa, quæ alicui à Deo datur principaliter propter ſalutem aliorum, ùt eſt VG. Gratia prædicandi, &c. Et hæc dividitur in præcipuas novem species, ut videre eſt *ad Ephes. C.* 4. Gratio verô *Gratum faciens* eſt illa, quæ principaliter datur alicui propter ipſius ſalutem, ut eſt VG. Gratia jejunandi, meditandi, &c.

7. Gratia Gratum faciens, Alia eſt *Actualis*, quæ eſt auxilium actu à Deo alicui collatum. Alia *Habitualis*, quæ eſt *qualitas Spiritualis infuſa à Deo, permanenter inhærens animæ, & Sanctificans illam.*

8. *Quid eſt Gratia Actualis?*

℟. Nihil aliud eſt: quàm Jlluſtratio intellectûs & ſubitus motus voluntatis ad bene & ſalutariter vivendum, ſeu ad Actum meritorium eliciendum.

9. *Quotuplex eſt Gratia Actualis?*

Gratia Actualis, Alia eſt *Excitans*, per quam à peccato retrahimur, & quaſi à ſomno mortis excitamur. Alia *Adjuvans*, per quam à Deo in noſtris bonis operibus adjuvamur. Prima vocatur *Antecedens*, quia *antecedit actum voluntatis noſtræ.* Secunda verò dicitur *Concomitans*, quia *adjuvando voluntatem, eſt quaſi Comes illius.*

10. Gratia Excitans Alia eſt *Sufficiens*, & Alia *Efficax*. Prìma eſt illud auxilium Dei, à quo quidem excitamur, illi tamen non conſentimus. *Efficax* vero eſt illud auxilium, cui conſentimus, unde quia efficit hoc in nobis, ad quod nos excitat, ideo vocatur efficax.

10. *Quotuplex eſt Gratia Habitualis?*

℟. Duplex

℞. Duplex. *Prima*, quæ ante ſe aliam non ſupponit. Alia *ſecunda*, quæ ante ſe aliam ſupponit, & hæc eſt augmentum gratiæ primæ.

11. *Quot ſunt Effectus Gratiæ Habitualis?*

℞. Ex S. Script. & SS. Patribus, ſex. communiter numerantur. 1. *Adoptio* in Filios Dei, juxta illud Pſalm 81. *Ego dixi Dii eſtis, & Filii Excelſi omnes.* 2. *Effectus* eſt virtus efficiendi hominem Deo charum. 3. Vita Spiritualis. 4. Origo & radix omnium virtutum. 5. Virtus nos intimè conjungendi Deo. 6. Remiſſio peccatorum & ſemen vitæ æternæ.

13. *Præter enumeratas Gratias iterum quotuplex eſt Gratia?*

℞. Duplex. Una *ex opere operato*, id eſt, ex meritis Chriſti. Alia *ex opere operantis*, id eſt ex meritis ipſius operantis.

14. Ultra prædictas Gratiæ diviſiones juxta Vaſquez, alia eſt Gratia *Congrua*, & alia *Incongrua*. 1*ma* eſt illa quam Deus in illa occaſione, tempore ac diſpoſitione largitur homini, in quibus circumſtantiis novit illum conſenſurum. *Incongrua* verò è contra eſt illa quam Deus in tali occaſione, tempore ac diſpoſitione largitur homini, in quibus circumſtantiis novit illum non conſenſurum.

Hæc tamen diviſio à Vaſquez excogitata communiter reiicitur à Theologis; nam omnis gratia à Deo homini collata, eſt congrua. Ratio eſt, quia ſi Deus talem homini dediſſet gratiam, ſequeretur quod illum non juvaret, ſed potius illuderet ei, ut patet exemplo in humanis; ſi enim vg. Petrus mergeretur, & Paulus haberet in manibus adjutorium, diſtuliſſet tamen illud dare immerſo, usq; pro tunc quando illum videret jam impo-

tentem & indispositum ad apprehendendum illud adjutorium, quis non judicaret Paulum illusoriè ac non sincere adjuvare Petrum? Sic à pari etiam de Deo dicendum foret in hac Sententia Vasquez.

Pro Complemento hujus Articuli.

15. *Collige 1mo*, quod circa annum 500. *Pelagiani*, dicti à Pelagio Monacho Britanno docebant hominem solis viribus naturæ absq; ulla gratia posse ad tàm sublimem statum pervenire, ut in illo impeccabilis exstat. *Semipelagiani* verò asserebant, ad initium meritorum nostrorum non esse necessariam gratiam, sed initium salutis esse à nobis.

16. *Collige 2do*, quod tres sunt status, in quibus defacto fuit natura humana. *Primus* est status *Innocentiæ*, in quo vixerunt primi Parentes ante peccatum. *Secundus* Status est *Naturæ lapsæ*, in quo fuerunt omnes homines post peccatum Adæ, exceptâ B. V. M. *Tertius* status est *Naturæ reparatæ*, in quo sunt redempti à Christo Domino.

17. In omni statu fuit necessaria homini gratia DEI, nam in statu Innocentiæ, licet homo fuerat undequaque perfectus, videlicet intellectu acuminosus, voluntate Sanctus, conscientiâ innocens, nihilominus etiam cum his dotibus, in peccatum fuit adhuc labilis, uti notat *S. August:* lib. de Grat. C. 11. dicens; *Illam gratiam non habuit primus homo, quâ nunquam vellet esse malus: sed hanc habuit, in qua, si permanere vellet, nunquam malus esset.* Hæc autem gratia, quam DEUS conferebat Adæ ante peccatum solet à Theologis vocari *Gratia Sanitatis*, eò quia dabatur homini sano.

18. In

18. In ſtatu naturæ lapſæ multo magis homo indigebat gratiâ DEI, nam crudeli ſauciatus vulnere, in intellectu expertus eſt cæcitatem, in voluntate deploravit peccatum, in conſcientia lachrymavit labem. Parum eſt, tot & tantis D. juſtitiæ ultio non contenta ſuppliciis, miſerrimæ mortis in eum tulit ſententiam, & niſi in carne vixiſſet Homo DEUS, totum Genus humanum mortem lueret æterno cruciatu minimè finiendam. Et hæc gratia, quam in ſtatu naturæ lapſæ venenato homini Divina tribuit clementia, ſolet appellari Gratia *medicinalis*, quia velut pharmacum infirmo homini ſanitatem reſtituit.

19. In ſtatu etiam naturæ reparatæ, adeò in nobis ille originalis dominatur morbus, ut niſi gratia Dei hominis debiles ſtabiliret vires, abſque dubio iterum in mortalem laberetur foveam, continuo enim in ſe domeſticum agnoſcit bellum juxta illud ad Galat: c. 5. v. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, Spiritus autem adverſus carnem*, quorum inceſſantem luctam abſque luctu ſentire nemo fatebitur. Habemus tamen inter has vitæ noſtræ anguſtias illud auguſtum ſolatium: quia poſt reparatam ſalutem homo per gratiam ſanctificatur in baptiſmate, per actualia auxilia roboratur in vita, & per merita tandem poſſidet regna cæleſtia. Quia autem gratia concurrit ad actus noſtros meritorios, hinc aliquid dicendum eſt & de merito.

20. *Quid eſt Meritum?*

℟. Eſt opus liberum & honeſtum elicitum ab homine viatore, & acceptum à DEO, ùt dignum remuneratione.

21. *Quotuplex eſt Meritum?*

℟. Duplex *De Condigno* & *de Congruo*. Pri-

mum est illud, quod elicitur ab homine justo. Secundum vero ab homine peccatore. Et ideo merito de condigno debetur præmium titulo condignitatis, & aliquomodo justitiæ. Merito verò de Congruo solum datur à DEO præmium ex aliqua Congruitate & Liberalitate DEI, cum sit elicitum ab homine inimico DEI.

22. *Quæ requiruntur ad Meritum de Condigno?*

℟. Ex parte DEI requiritur promissio de dando præmio. Ex parte vero merentis status gratiæ & viæ: Ex parte tandem actus meritorii, ut sit actus liber, honestus, & supernaturalis.

23. *Quæ requiruntur ad Meritum de Congruo?*

℟. Ex parte merentis requiritur status viæ; Et ex parte actus meritorii, ut sit actus liber, honestus, & cum auxilio gratiæ actualis elicitus.

24. *Quæ possunt acquiri per Meritum de Condigno? Et quæ de Congruo?*

℟. Per primum acquiritur gloria æterna & augmentum gratiæ primæ. Per meritum vero de Congruo acquiruntur omnia alia dona supernaturalia, Remissio mortalium.

ARTICULUS III.
De Peccatis in Genere.

1. *Quid est peccatum?*

℟. Juxta V. Scotum in 2. d. 37. est: *Privatio debitæ rectitudinis ad legem, quam voluntas in suo actu procurare tenetur.*

2. *Quotuplex est Lex contra quam peccatum potest committi?*

℟. Est Triplex: scilicet, *Lex naturæ* ut est VG. hæc: *quod tibi non vis fieri, alteri ne facias*

cias. 2. *Lex Divina*, ut eſt VG. hæc: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde &c.* 3. *Lex Eccleſiaſtica*, ut ſunt VG. quinque præcepta Eccleſiæ, Conſtitutiones, Canones, &c.

3. *Quotuplex eſt Peccatum?*

℟. Duplex: *Spirituale* & *Carnale*. Primum eſt illud, quod immediatè ad animam pertinet, ut ſuperbia, odium &c: Carnale eſt, quod tendit ad inordinatas delectationes corporis, ut Luxurià, Ebrietas, &c.

4. Utrumque Aliud eſt *Philoſophicum*, & aliud *Theologicum*. Primum eſt dictum vel factum aut concupitum contra legem naturalem ſeu dictamen naturæ rationalis. Secundum vero eſt dictum vel factum, aut concupitum contra legem DEI.

5. Item aliud eſt *Commiſſionis*. Et aliud eſt *Omiſſionis*. Primum eſt transgreſſio præcepti negativi. Secundum eſt tranſgreſſio præcepti poſitivi. Quid eſt præceptum poſitivm & negativum? vide ſuperius pagina 5. n. 13.

6. Item aliud eſt peccatum *contra Deum* (ſcilicet immediate) ut Blaſphemia. Aliud *contra Proximum*, uti Diffamatio. Et aliud *contra ſeipſum* ut eſt VG. Ebrietas.

7. Item aliud eſt *Cordis*, ut prava deſideria. Aliud *Oris*, ut infamationes. Et aliud *Operis*, ut omne opus factum contra legem DEI.

8. Item Aliud eſt *Originale*, quod eſt carentia juſtitiæ Originalis transfuſa ab Adamo, per virtutem ſeminalem in poſteros. Aliud *Perſonale*, quod eſt prævaricatio Legis à propria Perſona facta.

9. Peccatum Perſonale Aliud eſt *Actuâle*, quod eſt actualis prævaricatio Legis Divinæ. Aliud *Habituale*, quod eſt macula quædam relicta ex peccato actuali moraliter in anima permanens.

10.

10. Utrumque Aliud est, *Mortale*, quod adfert mortem animæ. Vel juxta V: *Scotum* in 2. d. 21. q. 1. est: *Privatio rectitudinis debitæ ad DEUM beatifice consequendum.* Aliud *Veniale*, quod non adfert mortem animæ; vel juxta V. Scotum est. *Privatio rectitudinis non necessariæ, sed solum utilis ad Deum beatificè consequendum.*

11. *Quæ requiruntur ad peccatum mortale?*

℟. Hæc tria. 1. Ex parte intellectûs plena advertentia & deliberatio. 2. Ex parte voluntatis perfectus consensus. 3. Gravitas materiæ. Ex quibus, si unum desit, fiet veniale, quod alias ex se esset mortale.

12. *Quotuplex est peccatum mortale?*

℟. Duplex, Unum est tale *Ex genere suo*, quod scilicet est contra legem graviter obligantem. Et aliud est mortale *per accidens* solum, nempe ex circumstantiis adjunctis.

13. *Quotuplex est veniale?*

℟. Etiam est duplex: unum est tale *Ex Genere suo*, quod est contra legem leviter obligantem. Et aliud est veniale *Per accidens*: quod scilicet esto sit contra legem graviter obligantem, quia tamen hic & nunc committitur absque plena advertentia, aut libertate, ideo ratione talis circumstantiæ veniale efficitur.

14. *Quotupliciter Peccatum mortale ex genere suo potest transire in veniale?*

℟. Tripliciter 1. Ex parte intellectûs, si non habeatur perfecta deliberatio, seu advertentia malitiæ peccati. 2. Ex parte voluntatis, si non sit perfectus consensus. 3. Ex parte materiæ, si hæc sit parvi momenti.

15. *Quot modis Peccatum veniale ex Genere suo potest transire in mortale?*

℟. Quin-

℟. Quinque modis. 1. Ratione conſcientiæ erroneæ aut ſcrupuloſæ, ſi videlicet ille actus, qui ex natura ſua eſt levis, judicetur eſſe gravis. 2. Ratione contemptûs, aut inobedientiæ formalis. 3. Ratione nimii affectûs in rem aliquam, ſi nimirum hæc ita appretiativè æſtimetur, ut peccator ſit paratus potiùs præceptum DEI ſub mortali obligans transgredi, quàm illam omittere. 4. Ratione ruinæ & periculi proximi imminentis per talem actum, qui ex natura ſua eſt levis. 5. Ratione periculi incidendi in mortale, quando nimirum aliquis abſq; ſufficienti cautela facit id, per quod facilè labitur in mortale; talis enim, ex quo non vitat proximum peccandi periculum, jam eò ipſo animæ ſuæ contemnit ſalutem, nam; *qui amat periculum, peribit in illo.*

16. *Peccatum veniale poteſtne fieri mortale propter ſui multiplicationem?*

℟. Quod *S. Auguſt*: tract. in Epiſt. Joan. videtur concedere, dum ait: *Multa peccata levia faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen &c*: Et Serm: 41. de Sanctis dicit: *Non ſolùm majora, ſed etiam minora, ſi nimirum plura ſunt, mergunt.* Similia habet verba Epiſt. 198.

17. Communis tamen Doctorum opinio negat Veniale propter ſui multiplicationem poſſe fieri mortale, ut patet ex illo *Prov*: 14. *Septies in die cadit juſtus*, ubi vocatur juſtus, etiamſi ſepties, id eſt, ſæpius venialiter peccet.. Tum quia duo peccata venialia non opponuntur gratiæ ſanctificanti: ergo neque viginti, aut centum, cùm ſint ejuſem rationis.

18. *Quomodo Peccata inter ſe ſpecie differunt?*

℟. Per ordinem, ad diverſas ſpecie perfectiones & rectitudines, quibus privantur: Ratio eſt,

quia

quia peccatum consistit in privatione rectitudinis debitæ, ùt constat ex ejus definitione; sed privatio specificatur à forma, cujus est privatio: ergo &c. Ex quo patet, quod non solum illa peccata sunt specie diversa, quæ diversis specie opponuntur virtutibus aut præceptis, sed etiam quæ opponutur eidem præcepto aut virtuti sub diversa ratione formali, sic VG. perjurium & voti prævaricatio, licèt eidem Religioni opponantur, quia tamen sub diversa ratione formali, ideo sunt peccata specie diversa.

19. *Pluralitas* itaque *specifica* peccatorum debet attendi vel ex pluralitate objectorum specie diversorum, ut est homicidium & furtum. Vel ex eodem objecto plures tamen malitias specie diversas habente, ut est VG. homicidium Clerici & Sæcularis. Vel tandem ex objecto & fine specie diversis, ut VG. dum quis alium occidit, ut ejus bona rapiat.

20. *Pluralitas* vero *Numerica* peccatorum sumenda est, vel ex actibus & objectis numero distinctis, ut dum quis Peccat cum Anna & Joanna. Vel solum ex actibus numero distinctis, ut cum una, sed pluries. Vel tandem, esto sit unus numero actus, dicit tamen respectum ad plura numero objecta, ut si quis unô ictu plures occideret homines.

21, *Quotuplex est causa peccati?*

℟. Duplex: *Externa* & *Interna*. Primi generis sunt duæ causæ nempe *diabolus* & *mundus* juxta illud 1. *Pet:* c. 5. *Adversarius vester diabolus tanquàm leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Et ad Gal. c. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum.* Causa *Interna* peccati est triplex, nempe; *Ignorantia* (puta vincibilis) *Passio*, & *Malitia*;

litia: Ratio est,, quia aliqui peccant ideo, quia ignorant id esse peccatum, quod faciunt. Vel ideo peccant, quia passione ad peccatum rapiuntur juxta illud *Jacob*: 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*. Vel tandem peccant non ex aliquo defectu, sed ex industria & malitia, uti de aliquibus dicitur *Job*. 22 *Qui quasi de industria recesserunt à DEO*. Et hoc peccatum juxta *V. Scot*: in 2. d. 6, q. 1. judicatur esse maximum, eò; quia est ex electione. Unde malitia est causa per se illius.

22. *Quot sunt Effectus Peccati?*

℟. Sunt quatuor: 1. peccatum inducit pœnam temporalem, si sit Veniale, vel æternam, si sit mortale. 2. Minuit plurima auxilia gratiæ DEI, quæ ad bene operandum conferri solent. 3. Relinquit in anima maculam & deformitatem, quæ est peccatum habituale, quod juxta *V. Scot*: in 4. d. 14. q. 1. consistit in obligatione contracta ex actu peccaminoso, statim enim post peccatum commissum obligatur peccator ad pœnam sceleri correspondentem. 4. Tandem peccatum ponit impedimentum ad bene operandum juxta illud *Job*. 8. *Factus sum mihimet ipsi gravis*, id est difficilis ad operandum.

23. *Quæ excusant à peccatò?*

℟. Hæc tria. 1 Defectus liberi consensûs. 2. Inadvertentia ad malitiam peccati. 3. Ignorantia.

IGNORANTIA

24. *Quid est Ignorantia?*

℟. Est privatio scientiæ eorum, quæ ignorans natus est scire.

25. *Quotuplex est Ignorantia?*

℟.

℞. Duplex: *Positiva* & *Negativa*. *Positiva* est; quæ simul cum nescientia includit positivum intellectûs errorem, & hæc ignorantia vocatur aliter: *Malæ dispositionis*. *Negativa* est pura carentia cognitionis de re scienda; & hæc aliter dicitur: *Puræ privationis*

25. Item alia est *Vincibilis*, quæ studiô & diligentiâ vinci potest. Et alia *Invincibilis*, quæ nullô studiô ac diligentiâ saltem moraliter vinci potest.

26. Ignorantia invincibilis est duplex: *Physica* & *Moralis*. Prima est, quam homo nullâ possibili diligentiâ repellere potest; talem habet ignorantiam de colore cæcus, Secunda est, quam homo non potest repellere per studium & diligentiam debitam juxta exigentiam & qualitatem naturæ; sic VG. Rusticus ignorat Logicæ præcepta.

28. Ignorantia Moralis duplex est. *Culpabilis* & *Inculpabilis*. *Culpabilis* habetur, quando quis potest & debet scire aliquid, & tamen negligit. *Inculpabilis* habetur, quando quis vel non potest, vel non tenetur scire. Prima vocatur *Consequens*, quia consequitur ad aliquem actum voluntatis. Secunda vero dicitur *Antecedens*, quia antecedit voluntatis actum.

29. Ignorantia culpabilis seu consequens, alia est *Affectata*, quæ habetur ex defraudatione voluntatis, quæ non vult edoceri veritatem, ut liberius peccet. Et hæc est directè volita & quæsita, ut si VG. exeas de templo, ut non audias promulgari jejunium. Et alia *Crassa*, quæ provenit ex negligentia cognoscendi illa, quæ aliquis scire debet; quod si erit magna negligentia, vocabitur Ignoratia Supina & Crassa; si vero levis dicetur simplex.

30 Ex

30. Ex parte Objecti alia est Ignorantia *Juris*, quæ est circa leges, vel obligationem legum. Et alia est *Facti*, quæ est de aliquo facto, vel non facto. Prima haberetur, si quis ignoraret hanc esse legem VG. *Non occides.* Secunda haberetur, si quis ignoraret, an jaculando occiderit Petrum, nec ne.

31. *Quæ Jgnorantia excusat à Peccato?*

℟. Sola Jgnorantia invincibilis tam Juris quam Facti, *Ratio est.* quia juxta *D. August.* & omnes DD. non est peccatum, nisi voluntarium: Jgnorantia autem invincibilis facit actum involuntarium, ut docet. *Arist* 3, Ethic.

CIRCUMSTANTIÆ

32. *Quid, & Quot sunt Circumstantiæ peccatorum?*

℟. Nomine Circumstantiæ debet intelligi illa ratio, quæ auget vel minuit malitiam actûs peccaminosi; sunt autem tales circumstantiæ septem hoc versu expressæ.

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis,
Cur, Quomodo, Quando.

33. *Quotuplices sunt circumstantiæ peccatorum?*

℟. Duplices *Formales*, quæ se tenent ex parte actûs peccaminosi. Et *Objectivæ*, quæ se tenent ex parte objecti: Exemplum utriusque sit de cogitatione libidinosa VG. si fuit cum consensu, longo tempore, nimis intensa, jam ex parte actûs est circumstantia aggravans; Si vero talis cogitatio fuit de persona non libera, sed conjugata, vel DEO dicata, jam erit ex parte objecti circumstantia addens malitiam tali cogitationi.

34. *Quotuplices sunt Circumstantiæ Objectivæ?*

℟. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 17. q 1. sunt duplices: Aliæ *Mutantes speciem peccati*, Aliæ vero *Non mutantes* Primæ sunt illæ, quæ transferunt actum peccaminosum de una specie peccati ad aliam. Non mutantes vero sunt illæ, quæ actum peccaminosum non transferunt ad aliam speciem, sed solum ejus malitiam augent, vel minuunt, sic VG. Homicidium: si erit occisio simplicis hominis, erit simplex homicidum, si vero erit occisio Personæ sacræ, erit Sacrilegium.

35. *Debetne Pænitens exprimere in confessione omnes Circumstantias peccati?*

℟. Circumstantias mutantes speciem peccati tenetur unusquisque exprimere in confessione, ut mandat *Trid:* Ses. 14. c. 5. Circumstantiæ autem notabiliter aggravantes peccatum in eadem specie, an sint necessario aperiendæ, nec ne? utrumque est probabile apud D. D, eo: quia *Conc: Trid:* de talibus circumstantiis nihil apertè concluserit.

36. *Præter enumeratas Circumstantias suntne adhuc aliæ?*

℟. Sunt, quæ licet non transferant actum peccaminosum ad aliam speciem peccati, in infinitum tamen aggravant ejus malitiam, eo quia ex veniali faciunt peccatum mortale, ut VG. ablatio acûs, quia est in levi materia, erit peccatum veniale; Si tamen illam auferas Sartori pauperi, qui prædictâ acu sibi ac suæ familiæ victum parabat, erit peccatum mortale.

37. *Tales Circumstantiæ debentne in confessione necessariò exprimi?*

℟. Affirmativè, ut docent communiter omnes Doctores, alias judicaretur à Confessario peccatum esse leve, quod est gravissimum. *Quid*

38. *Quid est Tentatio?*

℟. Est: provocatio ad peccandum.

39. *Quotuplex est Tentatio?*

℟. Duplex. Una *Ab Extrinseco* quæ habetur à pravis consiliis & exemplis, quæ solent fieri per malos homines. Secunda habetur à potentia inferiori rebellante contra Superiorem & stimulante ad id, quod prohibitum est.

Utraq; hæc Tentatio ratione principii dividitur in Tentationem Carnis, mundi & Diaboli. Item Alia est *Levis* quæ leviter stimulat ad peccandum; Et Alia *Gravis* quæ graviter cum diminutione voluntarii Actus impellit ad peccandum.

ARTICULUS IV.

De Peccatis in Specie.

1. *Quot sunt Peccata Capitalia?*

℟. Sunt Septem: Superbia, Avaritia, Luxuria Jnvidia, Gula, Jra, & Acedia.

2. *Quare dicuntur Capitalia?*

℟. Jdeo, quia sunt capita & radices aliorum peccatorum.

3. *Quid est Superbia?*

℟. Est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

4. *Quotuplex est Superbia?*

℟. Duplex: *Perfecta* & *Imperfecta.* Prima est, per quam superbus ita excellere cupit, ut DEO & Superioribus subjici nolit. Jmperfecta est, per quam peccator non renuit quidem subjici illis, quibus debet, appetit tamen excellere & eminere supra cæteros: Prima est peccatum mortale ex genere suo. Secunda vero est veniale,

 nisi

34. *Quotuplices sunt Circumstantiæ Objectivæ?*

℟. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 17. q 1. sunt duplices: Aliæ *Mutantes speciem peccati*, Aliæ vero *Non mutantes* Primæ sunt illæ, quæ transferunt actum peccaminosum de una specie peccati ad aliam. Non mutantes vero sunt illæ, quæ actum peccaminosum non transferunt ad aliam speciem, sed solum ejus malitiam augent, vel minuunt, sic VG. Homicidium: si erit occisio simplicis hominis, erit simplex homicidum, si vero erit occisio Personæ sacræ, erit Sacrilegium.

35. *Debetne Pænitens exprimere in confessione omnes Circumstantias peccati?*

℟. Circumstantias mutantes speciem peccati tenetur unusquisque exprimere in confessione, ut mandat *Trid*: Ses. 14. c. 5. Circumstantiæ autem notabiliter aggravantes peccatum in eadem specie, an sint necessario aperiendæ, nec ne? utrumque est probabile apud D. D, eo: quia *Conc: Trid*: de talibus circumstantiis nihil apertè concluserit.

36. *Præter enumeratas Circumstantias suntne adhuc aliæ?*

℟. Sunt, quæ licet non transferant actum peccaminosum ad aliam speciem peccati, in infinitum tamen aggravant ejus malitiam, eo quia ex veniali faciunt peccatum mortale, ut VG. ablatio acûs, quia est in levi materia, erit peccatum veniale; Si tamen illam auferas Sartori pauperi, qui prædictâ acu sibi ac suæ familiæ victum parabat, erit peccatum mortale.

37. *Tales Circumstantiæ debentne in confessione necessario exprimi?*

℟. Affirmativè, ut docent communiter omnes Doctores, alias judicaretur à Confessario peccatum esse leve, quod est gravissimum. *Quid*

38. *Quid est Tentatio?*

℞. Est: provocatio ad peccandum.

39. *Quotuplex est Tentatio?*

℞. Duplex. Una *Ab Extrinseco* quæ habetur à pravis consiliis & exemplis, quæ solent fieri per malos homines. Secunda habetur à potentia inferiori rebellante contra Superiorem & stimulante ad id, quod prohibitum est.

Utraq; hæc Tentatio ratione principii dividitur in Tentationem Carnis, mundi & Diaboli. Item Alia est *Levis* quæ leviter stimulat ad peccandum; Et Alia *Gravis* quæ graviter cum diminutione voluntarii Actus impellit ad peccandum.

ARTICULUS IV.

De Peccatis in Specie.

1. *Quot sunt Peccata Capitalia?*

℞. Sunt Septem: Superbia, Avaritia, Luxuria Jnvidia, Gula, Jra, & Acedia.

2. *Quare dicuntur Capitalia?*

℞. Jdeo, quia sunt capita & radices aliorum peccatorum.

3. *Quid est Superbia?*

℞. Est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.

4. *Quotuplex est Superbia?*

℞. Duplex: *Perfecta* & *Imperfecta.* Prima est, per quam superbus ita excellere cupit, ut DEO & Superioribus subjici nolit. Jmperfecta est, per quam peccator non renuit quidem subjici illis, quibus debet, appetit tamen excellere & eminere supra cæteros: Prima est peccatum mortale ex genere suo. Secunda vero est veniale,

nisi adsit notabilis aliorum contemptus.

5. *Quæ est Origo Superbiæ?*

R. *Philaucia*, quæ est inordinatus amor sui ipsius, prius enim ordinarie peccator amat se ipsum VG. ratione pulchritudinis, scientiæ, fortunæ &c. & postea judicat se esse digniorem cæteris, contemnendo ipsorum consortium, aut saltim appetendo esse similis suis Superioribus & Dominis, sicut fecit Diabolus, qui probabiliter prius peccavit peccatô Philauciæ, & tandem in Superbiam elatus appetiit esse similis Altissimo.

6. *Quot sunt Filiæ Superbiæ?*

R. Sunt istæ tres: *Vana gloria*, *Præsumptio*, & *Ambitio*.

Vana gloria est Cupiditas inanis gloriæ. *Præsumptio* est appetitus aggrediendi aliquid supra vires.

Ambitio est inordinatus appetitus dignitatis & honoris indebiti, vel debito majoris.

7. *Quale peccatum sunt Filiæ Superbiæ?*

R. Per se, sunt peccatum veniale, fieri tamen possunt mortale ratione materiæ, finis, aut mediorum, quibûs honor indebitè quæritur.

8. *Quid est Avaritia?*

R. Est inordinatus divitiarum appetitus.

9. *Quale est peccatum Avaritia?*

R. Est per se veniale, nisi ita sit intentus divitiarum appetitus, ut causâ ejus vilescat observatio præceptorum DEI & Ecclesiæ.

10. *Quot sunt Filiæ Avaritiæ?*

R. Sunt istæ tres: Obduratio cordis, Inquietudo mentis, & Fraus sive Dolus in facto:

Obduratio cordis tribus modis evenire potest: *1mô.* Egenis & pauperibus non compatiendo. 2. Debita nimis durè exigendo. 3. Creditori (si adsit) non solvendo.

Inquie-

Inquietudo mentis, Est vehemens & inordinata applicatio intellectûs ad acquirendas vel conservandas divitias.

Fraus est: Dolosa locutio aut fraudulentum opus habitum cum proximo in ordine ad acquirendas vel conservandas divitias.

11. *Quid est Luxuria ?*

℟. Est inordinatus appetitus Venereorum.

12. *Quale est peccatum Luxuria ?*

℟. Est mortale ex genere suo.

13. *Quot sunt Filiæ Luxuriæ ?*

℟. Sunt Octo, quarum quatuor se tenent ex parte intellectûs; & quatuor ex parte voluntatis.

14. *Quot sunt ex parte intellectûs ?*

℟. Sunt quatuor. 1. Cæcitas mentis, quæ habetur tunc, quando ita est addictus intellectus alicui turpitudini, ut de Cælestibus amplius non permittatur cogitare. 2. Præcipitatio. 3. Inconsideratio. 4. Inconstantia.

15. *Quot sunt ex parte voluntatis ?*

℟. Sunt quatuor. 1. Amor sui. 2. Odium DEI. 3. Affectus præsentis sæculi. 4. Horror futuræ vitæ.

16. *Quid est Invidia ?*

℟. Est inordinata tristitia de alterius bono, prout illud est diminutivum propriæ excellentiæ.

17. *Quale est peccatum Invidia ?*

℟. Est mortale ex genere suo, & quidem est peccatum in Spiritum S, si sit tristitia de ipsa gratia vel auxilio DEI.

18. *Quot sunt Filiæ Invidiæ ?*

℟. Sunt quatuor. 1. Odium proximi. 2. Detractio. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Susurratio, quæ est oblocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis, quam Susurro

restitu-

restituere tenetur, non minus quam Detractor famam.

19. *Quid est Gula?*

℟. Est inordinatus appetitus cibi & potûs:

20. *Quale est peccatum Gula?*

℟. Ex genere suo est Veniale, nisi ita excedat, ut opponatur charitati DEI & proximi, vel sui ipsius, si VG. usque ad vomitum quis edat vel bibat, quamvis etiam in isto casu veniale putet esse peccatum *Laym.* L. 3. S. 4. n. 5.

21. *Quot modis fit Gula?*

℟. Quinque modis. 1. Si edas ante tempus. 2. Si nimis exquisita. 3. Si nimis exquisitè præparata. 4. Si plus justo comedas aut bibas. 5. Si voraciter.

22. *Quot sunt Filiæ Gulæ?*

℟. Sunt Quatuor. 1. Hebetudo mentis. 2. Inepta lætitia. 3. Multiloquium. 4. Scurrilitas.

23 *Quid est Jra?*

℟, Est inordinatus vindicandi appetitus. Dicitur *Inordinatus* appetitus, quia non omnis appetitus vindictæ est peccatum iræ, juxta illud *Psal.* 4. *Jrascimini & nolite peccare*; Sæpius enim Superiores irascuntur, puniendo culpam subditorum, & tamen non peccant, si ordinatè id faciunt.

24. *Quotuplex potest esse inordinatio in ira?*

℟. Duplex: Una ex *parte modi irascendi*, ut si VG. nimium interius exardescas, vel exterius nimis per signa patefacias iram. Altera ex parte objecti, ut si vindictam appetas, injustam ob causam, vel justo majorem. Jra inordinata primo modo est peccatum veniale ex genere suo, nisi admodo est maledictio, aut scandalum. Secundô vero modo inordinata ira est peccatum mortale ex genere suo, quia est directè contra Charitatem.

25.

25. *Quot sunt Filiæ Iræ?*

℞. Sunt Decem; quarum aliquæ sunt in corde, ut indignatio & tumor mentis. Aliquæ in o e, ut clamor, blasphæmia, contumelia, & mal dictio. Aliæ tandem sunt in opere, ut rixæ, pugnæ, seditiones, & vulnera.

26 *Quid est Acedia?*

℞. Est fastidium rerum Spiritualium.

27. *Quotuplex est Acedia?*

℞. Duplex: *Generalis* & *Partialis*. Prima est quælibet animi remissio in exercitio virtutum, eò quod aliquis labor sit tali adjunctus exercitio. Particularis verò est: Tristitia & tædium de amicitia Divina, eò quod per laboriosa virtutum exercitia servari debeat. Acedia Generalis tunc solum est peccatum mortale, quando per illam omittitur opus sub mortali præceptum. Particularis vero semper est mortalis culpa, quæ directè opponitur Charitati DEI.

28. *Quot sunt Filiæ Acediæ?*

℞. Sunt quinque: 1. *Malitia*, quâ peccator odiô habet Spiritualia bona. 2. *Pusillanimitas* & desperatio de salute. 3. *Rancor*, quô illi sunt fastidio, qui ad Spiritualia inducunt. 4. *Torpor*, ratione cujus bona opera fiunt non cum debito fervore. 5. *Evagatio* mentis, quâ in exercitio Spiritualium evagatur aliquis circa extranea opera.

29 *Quid est Sacrilegium?*

℞. Est violatio rei sacræ, seu dicatæ cultui Divino.

30. *Quotuplex est Sacrilegium?*

℞. Triplex: Personale, Reale & Locale *Personale*. Est violatio Personæ sacræ, ut VG. percussio Clerici.

Reale, Est Indigna tractatio Sacramentorum, aut pro-

profanatio vasorum sacrorum ut VG. si quis calice consecrato biberet in convivio.

Locale. Est omnis actus, quo Ecclesia polluitur. Ecclesia autem polluitur. 1. Per occisionem hominis. 2. Per effusionem illicitam humani sangvinis aut Seminis. 3. Per sepulturam Excommunicati aut non baptizati.

31. *Quot sunt Peccata in Spiritum S.?*

R. Sunt Sex: 1. Desperatio. 2. Nimia præsumptio de misericordia DEI. 3. Impænitentia finalis. 4. Obstinatio. 5. Impugnatio agnitæ veritatis. 6. Invidentia seu Odium fraternæ charitatis.

32 *Quare hæc peccata Matth. 12 dicuntur irremissibilia?*

R. Quia sunt peccata finalia, & ideo non relinquunt locum pænitetiæ, consequenter & remissioni. Possunt tamen remitti à DEO, sed cum summa difficultate, eò quia sunt veritati & conscientiæ, ex summa malitia, opposita.

33. *Quot sunt Peccata in Cælum clamantia?*

R. Sunt quatuor: Homicidium voluntarium. Peccatum sodomiticum. Oppressio pauperum, & Detentio mercedis operariorum.

34. *Quid est Scandalum?*

R. Est peccatum occasionatum: dicitur verò tale, quia dat occasionem alteri ad peccandum.

25. *Quotuplex est Scandalum?*

R. Duplex: *Activum* & *Passivum*. Primum est: dictum vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ Spiritualis. Passivum verò est ipsa ruina sive peccatum ex alterius dicti vel facti secutum.

36. *Quotuplex est Scandalum Activum?*

R. Duplex: Unum *Per se* tale. Et aliud *Per accidens*. Primum habetur tunc, quando directè inten-

intenditur alterius ruina, si nimirum ideo aliquid fiat, ut proximus ad peccatum inducatur. Per accidens vero Scandalum dicitur, quando indirectè & interpretativè tantum causatur alterius peccatum, ut si, VG. Religiosus jocosum verbum proferat coram sæcularibus vel iis, quos inde occasionem peccati sumpturos cognoscit, & tamen à talibus verbis non abstinet.

37. *Quotuplex est Scandalum Passivum?*

℞. Duplex: *Datum* seu Pusillorum, quod oritur ex activo scandalo. Et *Acceptum*, quod non oritur ex activo scandalo, sed ex ipsius sumentis malitia. Tale fuit scandalum Pharisæorum ex Sanctissimis Christi verbis & factis.

38. *Ad hoc, ut Scandalum Activum sit peccatum, requiriturne, ut defactò ex illo sequatur ruina Spiritualis proximi, seu Scandalum Passivum?*

℞. Negativè, sufficit enim, quod per illud data sit occasio, ex qua sequi possit ruina Spiritualis proximi, ut si VG. velis aliquem inducere in ebrietatem, quamvis ipse non consentiat.

39. *Qualiter peccat ille, qui scandalizat alterum?*

℞. Mortaliter peccat, si dat occasionem ruinæ mortalis; (nisi indeliberatio excuset.) Venialiter autem, si dabit occasionem ruinæ venialis, etiamsi hoc directè intendat, & quidem per actum mortalem, ut docet *Sanch.* l. 1 c, 6. n. 11.

40. *Quot peccata committit Scandalizans?*

℞. Præter peccatum scandali, committit peccatum ejusdem speciei, ad quod alterum induxit, & ideo confiteri debet speciem peccati, per quod & ad quod dedit occasionem cum numero scandalizatorum, etiamsi illos non induxerit directè ad peccandum, sed per accidens, ut docet *Sanch.*

loc.

loc. cit. *Laym.* *Bonac.* d. 2. q. 4. p. 2. & alii communiter.

41 *Nota*, quod non semper habetur peccatum scandali, quoties aliquis peccat coram aliis, sed tantum pro tunc quando attentis omnibus circumstantiis tam personæ agentis, quàm illorum, coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri; ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui aliàs peccaturi non essent. Ita *Laym.* l. 2. t. 3. c. 13.

42. *Quid est Simonia?*

℟. Est voluntas emendi vel vendendi pretiô temporali aliquid Spirituale, vel Spirituali annexum.

43. *Quotuplex est Simonia?*

℟. Triplex. Mentalis, Conventionalis, & Realis.

Mentalis est, dum Spirituale traditur pro re temporali sine pacto & conventione explicita, sed solum mente concepta.

Conventionalis est, in qua extrinsecè convenitur & practicatur de pecunia & venditione, sed adhuc non est secutus effectus ex utraque parte.

Realis est, quando peccatum ex utraque parte est executioni mandatum.

44. *Iterum quotuplex est Simonia?*

℟. Duplex: Alia *Juris Divini*, quæ est prohibita propter malitiam suam, ut VG. Venditio Hostiæ consecratæ &c. Alia *Juris humani*, quæ est mala tantum propter prohibitionem; ut est VG. venditio Beneficiorum prohibita ab Ecclesia.

45. *Quid est Blasphæmia?*

℟. Est locutio per modum convitii aut contumeliæ & maledictionis in Deum facta, & Sanctos.

46. *Quotuplex est Blasphæmia?*

℟. Duplex: *Hæreticalis*, & *Simplex*. Prima est, locutio contumeliosa contra DEUM, continens errorem fidei. Simplex vero est illa locutio contra

DEUM,

DEUM, quæ nihil contrarium affirmat fidei, sed solum verba injuriosa in DEUM & Sanctos enuntiat.

47 *Quid est Juramentum?*

℟. Est invocatio Divini testimonii in confirmationem alicujus dicti vel facti aut promissionis.

48. *Quæ requiruntur ad hoc, ut Juramentum sit licitum?*

℟. Hæc tria: Veritas, Justitia & Judicium, juxta illud *Jerem.* c. 4. *Jurabis (vivit Dominus) in veritate, & in judicio, & in justitia.*

49. *Quid est Juramentum ut Peccatum?*

℟. Est falsa invocatio Divini testimonii in confirmationem alicujus dicti, vel facti, aut promissionis.

50. *Quid est Idololatria?*

Est Superstitio, quâ cultus soli DEO debitus, creaturæ exhibetur.

51. *Quotuplex est Idololatria?*

℟. Duplex: *Materialis* & *Formalis.* Prima habetur, dum alicui creaturæ tribuitur cultus Divinus cum inculpabili ignorantia. Formalis vero tunc habetur, quando redditur alicui creaturæ cultus soli DEO debitus cum vincibili ignorantia;

52. *Quid est Hypocrisis?*

℟. Est simulatio facti aut verbi, quod in se non est tale. Hypocrita enim ille dicendus est, qui simulat se VG. benè vivere, & malus est; aut sincerè loqui, & fraudulentus est.

ARTICULUS V.

De Virtutibus.

1. *Quid est Virtus?*

℟. Est habitus perficiens substantiam intellectualem, & ad bonam operationem illam inclinans.

2. *Quotuplex est Virtus?*

℟. Juxta *Arist:* 2. Ethic. c. 13. Alia est *Intellectualis*, quæ ad intellectum spectat, ut Prudentia. Et alia *Moralis*, quæ ad voluntatem pertinet, ut Justitia. Prima studio, secunda verò more seu consuetudine acquiritur.

3. *Item Quotuplex est Virtus?*

℟. Duplex: *Theologica* & *Moralis*. Prima est, quæ habet pro immediato objecto DEUM. Moralis est, quæ habet pro immediato objecto actiones humanas.

4. *Quotuplex est Virtus Moralis?*

℟. Duplex: Alia *Ad se* & alia *Ad alterum*. Prima est illa, cujus objectum sunt passiones ipsius operantis: ut est VG. fortitudo & temperantia, quæ versantur in moderandis passionibus ipsius operantis; Fortitudo enim mitigat irascibilem passionem. Temperantia autem concupiscibilem. Virtus ad alterum est illa, cujus objectum sunt passiones ipsius operantis, prout sunt Juris alterius adæquativæ, ut est VG. Obedientia, gratitudo, &c, quæ respiciunt alium.

5. *Adhuc Quotuplex est Virtus?*

℟. Duplex: *Actualis* & *Habitualis*: Prima est actus alicujus virtutis: Secunda vero est qualitas inclinans potentiam ad actus virtuosos.

6. *Quotuplex est Virtus Habitualis?*

℟. Duplex: *Infusa* & *Acquisita*. Prima est illa, quæ infunditur immediatè à DEO, hujusmodi sunt habitus Fidei, Spei, & Charitatis. Acquisita verò est facilitas quædam generata ex frequentatis actibus virtuosis, inclinans hominem ad eliciendos promptè & faciliter similes actus virtuosos illis, ex quibus fuit generata. Prima datur ad simpliciter, secunda verò ad faciliter operandum.

7. *Quot sunt Virtutes Theologicæ:*

℞. Sunt tres: Fides, Spes, & Charitas.

8. *Quid est Fides?*

℞. Juxta *Apost:* ad Hæbr. 11. Est sperandarum Substantia rerum, argumentum non apparentium.

9. *Quid est Spes?*

℞. Est virtus Supernaturalis inclinans nos ad amandum DEUM amore concupiscentiæ.

10. *Quid est Charitas?*

℞. Est virtus Supernaturalis, quâ DEUM diligimus propter se, & proximum propter DEUM.

11. *Quotuplex est Charitas seu Amor DEI?*

℞. Duplex: *Appretiativus* & *Intensivus*. Primus est ille, per quem DEUS amatur à nobis super omnia, ita ut si daretur homini coactio omittere amorem DEI aut creaturarum, potiùs relinqueret hunc amorem, quàm DEI. Intensivus verò, per quem DEUS amatur intensius quàm res creatæ.

12. *Poteſtne dari unus amor sine alio?*

℞. Potest, nam Filius VG magis intensè amat Patrem quàm Deum, non tamen magis appretiativè.

13. *Qui est necessarius ad Salutem?*

℞. *Appretiativus*, non enim DEUS à nobis extorquet, ut omninò diligamus ipsum intensiùs, quàm omnes res amabiles, sed sufficit, si plus his omnibus appretiemus eum.

14. *Quot sunt Virtutes Morales?*

℞. Sunt plures & ferè innumerabiles, quot enim sunt vitia, tot sunt virtutes illis oppositæ; reducuntur tamen ad certum numerum Virtutum Cardinalium.

15. *Quot igitur sunt Virtutes Cardinales?*

℞. Quatuor: Prudentia, Justitia, Temperantia, & Fortitudo.

16. *Quàre dicuntur Cardinales?*

℞.

℟. Quia in illis tanquam in cardinibus universa boni operis structura nititur.

17. *Quid est Prudentia?*

℟. Est habitus directivus actuum humanorum, ut benè & laudabiliter fiant in genere moris. Et hæc virtus concurrit ad omnes actus virtuosos.

18. *Quid est Justitia?*

℟. Est constans Voluntas suum unicuique tribuendi.

19. *Quotuplex est Justitia?*

℟. Duplex: *Perfecta* & *Imperfecta*. Prima est, quæ habet istas tres conditiones. 1. Jurium alteritatem. 2. Compensationis æqualitatem. 3. Debitum compensandi ex aliquo jure ortum. Imperfecta verò est, quæ aliquam ex his tribus conditionibus non habet; Justitia perfecta est una ex quatuor Cardinalibus, non verò Imperfecta, quia hæc est communis omnibus virtutibus, quæ sunt ad alterum.

20 *Quotuplex est Justitia Perfecta?*

℟. Triplex: Distributiva, Commutativa, & Legalis.

Distributiva est, quæ inclinat ad danda aliis præmia juxta illorum merita.

Commutativa est, quæ inclinat ad servandam æqualitatem rerum, quæ commutantur.

Legalis, est, quæ inclinat ad observantiam legum, quæ sunt ad bonum commune ordinatæ.

21. *Quotuplex est Justitia Distributiva?*

℟. Duplex: *Præmiativa*, per quam præmiantur merita. Et *Vindicativa*, per quam puniuntur demerita.

22. *Quid est Temperantia?*

℟. Est virtus, quæ moderatur delectationes corporis maximè ex cibo potuque ac Venere provenientes.

23. *Quid est Fortitudo?*

℞. Est virtus importans firmitatem animi in sustinendis & repellendis, quæ pertinent ad bonum virtutis. Vel juxta *Arist.* 2. Ethic. c. 3. Est mediocritas circa metum & tristitiam.

24. *Quæ virtutes reducuntur ad Justitiam?*

℞. Hæ sequentes: Religio, Pietas, Obedientia, Veritas, Gratitudo, Amicitia, & similes aliæ virtutes alterum respicientes.

25. *Religio* est virtus inclinans hominem ad reddendum cultum DEO debitum. Ejus actus præcipui sunt 6. Adoratio, Sacrificium, Oratio, Juramentum, Adjuratio, & Votum.

26. *Adoratio* est actus, quo alium reveremur. Et est duplex: *Interior*, & *Exterior*. Prima est, cordis ac mentis humilis ac sincera alteri submissio. Externa reverentia alteri exhibita, ut VG. Genuflexio, &c.

Item alia est *Absoluta*, quâ adoratur res propter excellentiam propriam, quam habet. Alia *Respectiva*, quâ adoratur res propter excellentiam alterius, quod repræsentat, vel ad quod respectum habet, ut est adoratio imaginis alicujus Sancti.

Item Adoratio est Triplex. Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ. *Latria* est cultus, qui DEO exhibetur ob infinitam ejus excellentiam. *Dulia* est: cultus, qui Sanctis exhibetur ob Sanctitatis excellentiam, quam habent. *Hyperdulia* est cultus, qui exhibetur B. V. MARIÆ ob particularem ejus excellentiam, quam habet præ cæteris Sanctis propter dignitatem Maternitatis Filii DEI.

De cæteris actibus Religionis suis in locis agetur.

27. *Pietas* est: Virtus, per quam Parentibus, & Patriæ cultum, & officium exhibemus.

28. *Obedientia* est virtus inclinans hominem ad ali-

aliquid eo motivo, quo imperatum est.

29. *Veritas* est virtus inclinans hominem ad veritatem alteri manifestandam per signa externa, conceptibus internis conformia.

30. *Gratitudo* est virtus, per quam Benefactoribus gratiam pensamus, à quibus Beneficia accepimus.

31. *Amicitia* est mutua benevolentia non latens.

32. *Quæ Virtutes ad Temperantiam reducantur?*

℞. Abstinentia, Sobrietas, Castitas, Pudicitia, Mansvetudo, Clementia. Modestia Humilitas, &c.

33. *Abstinentia* est Virtus, quæ moderatur delectationem cibi & potûs, ita ut quis in edendo & bibendo mensuram rectæ rationis non excedat.

34. *Sobrietas* est Virtus, quæ ita potum moderatur, ut non noceat usui rationis. Differt ab Abstinentia, quia hæc cibi & potûs delectationem impedit; Sobrietas vero prohibet impedimentum rationis in excessivo usu potûs.

35. *Castitas* est: Virtus, quæ moderatur Venereas voluptates. Et est triplex Conjugalis, Vidualis & Virginalis. *Conjugalis* est: abstinentia ab omni actu venereo extra Matrimonium. *Vidualis* est: abstinentia ab omni actu venereo stante viduitate. *Virginalis* est: abstinentia ab omni actione venerea, tam licita in Matrimonio, quàm illicita extra Matrimonium.

36. *Pudicitia* est: virtus moderans signa impudica provocantia ad delectationes venereas.

37. *Mansvetudo* est; Virtus, quæ iræ impetum juxta rationis regulam moderatur.

38. *Clementia* est, virtus, quæ moderatur pænas infligendas. Distinguitur à mansuetudine, quia hæc moderatur iram, quæ movet ad pænas infligendas. Clementia verò minuit pænam, quæ reis juxta leges debetur.

39. *Modestia* est: virtus, quæ modum statuit, quem unusquisque servare debet in humanis affectibus & actibus internis.

40. *Humilitas* est: virtus inclinans hominem ad sui vilitatem dictis & factis ingenuè profitendam.

41. *Quæ virtutes ad fortitudinem reducantur?*

℟. Quatuor præsertim scilicet: Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Perseverantia.

42. *Magnanimitas* Christiana est: Animus promptus ad subeunda etiam pericula mortis ob bonum virtutis.

43. *Magnificentia* Christiana est: virtus inclinans ad erogandos sumptus in opera sumptuosa, in ordine ad DEI gloriam, salutem suam, ac proximi commoditatem, ut est VG. erectio Templi, Monasterii, &c.

44. *Patientia* est: constans in rebus adversis propter Deum tolerantia

45. *Perseverantia* est: virtus, per quam homo persistit in opere bono, non obstante temporis diuturnitate, difficultate, & molestiis.

46. *Quot sunt dona Spiritûs S.?*

℟. Sunt septem juxta Jsai. 11. v: 2. Sapientia, Jntellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Timor Domini.

47. *Quot sunt Fructus Spiritûs S.?*

℟. Undecim juxta *Apost*: ad Gal. 5. v. 22. Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Constantia, & Castitas.

48. *Nota* ex V. *Scoto*, in 3. d. 34. quod septem Dona Spiritûs S. & Undecim Fructus non differunt essentialiter à tribus virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus, sed solum accidentaliter, in quantum sunt virtutes in excellenti

& intensæ. Dicuntur autem Dona & Fructus Spiritûs S, quia absque gratia, quæ est donum Spiritûs S. & charitate haberi non possunt. Jta etiam sentit *Trident.* Ses. 6. c. 7.

49. *Quot sunt Beatitudines?*

℟. Juxta Math: 5, sunt Octo. Beati pauperes. Beati mites. Beati, qui lugent. Beati, qui esuriunt. Beati misericordes. Beati mundo corde. Beati pacifici. Et Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.

50. *Quot & Quotuplicia sunt opera Misericordiæ?*

℟. Sunt 14. Quorum 7. Sunt Spiritualia, & 7. Corporalia, quæ aliundè suppono esse nota.

SECTIO III.
De Sacramentis in Specie.
ARTICULUS I.
De Baptismo.

1. *Quid est Baptismus?*

℟. Juxta V. *Scotum* in 4. d. 3. q. 1. est: *Sacramentum ablutionis animæ à peccato consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis.* Vel brevius Ex Cath. Trident. est: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

2. *Quotuplex est Baptismus?*

℟. Triplex: *Fluminis*, qui habetur per ablutionem aquæ. *Flaminis*, qui est desiderium suscipiendi baptismum fluminis, quod desiderium includere debet contritionem. Et *Sangvinis*, qui habetur per martyrium. Primus est propriè Sacramentum à *Scoto* definitum.

3.

3. *Nota*, quod licet per utrumque ex his deleatur peccatum originale, character tamen solum imprimitur per baptismum Fluminis; Undè baptizatus baptismo Flaminis, si potest commodè, debet baptizari baptismo Fluminis, ut satisfaciat legi Christi. Ita docet *Conc, Trident.* Ses. 6.

4. *Quæ est materia Baptismi?*

℟. Aqua; quæ juxta *Triden.* Ses. 7 c. 2. debet esse omninò naturalis, simplex, & elementalis. In casu necessitatis sufficit ex sale aqua, dummodo sal sit ex aqua, non verò de terra factum.

5. *Quæ est Forma Baptismi?*

℟. Sunt hæc verba à Ministro prolata: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritûs S.* Omnes particulæ sunt necessariæ ad valorem hujus Sacramenti, ut patet ex mente Christi *Math.* 28. Nam licèt in primitiva Ecclesia Apostoli baptizabant in nomine solius Jesu: hoc tamen, ut docet *V. Scotus*, fuit ex speciali privilegio Christi, ut ejus Nomen omnibus innotesceret, nunc verò prohibitum est à *Conc. Florent: & Trident.*

6. *Quotuplex est materia Baptismi?*

℟. Duplex: *Remota*, quæ est aqua naturalis. Et *proxima*, quæ est ablutio.

7. *Quotuplex est Ablutio?*

℟. Duplex: Una per Aspersionem seu effusionem aquæ in corpus. Altera per immersionem corporis in aqua. Utramque ablutionem consuetudo Ecclesiæ observat in diversis locis.

8. *Iterum Quotuplex est Ablutio?*

℟. Duplex: *Activa*, quæ est in agente. Et *Passiva*, quæ est in passo seu baptizato.

9. *Quæ ablutio est de essentia Baptismi?*

℟. *Passiva*, juxta *V. Scot:* quia in eo recipitur; in quo & ipse baptismus. Deinde ad multipli-

cationem numericam ablutionis passivæ, multiplicatur numero Sacramentum baptismi, etiamsi unica esset ablutio activa, & forma ut dum simul plures abluerentur Ministro dicente: *Ego vos baptizo* &c.

10. *Quis est Minister Baptismi?*

R. Licèt ex officio & ex vi Ordinis sit Presbyter & Diaconus, in casu tamen necessitatis quilibet homo rationis compos, sive Mas sive Fæmina; imò etiam Infidelis si debitè adhibeat formam & materiam, & habeat intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia: Ita decrevit Jnnoc. III.

11. *Potestne unus Minister validè simul plures baptizare sub hac Forma. Ego vos baptizo &c?*

R. Affirmativè. Ratio est, quia talis modus baptizandi non est contra baptismi institutionem, imò fundari videtur in illis verbis Christi: *Baptizantes eos* &c. Tum quia *Act.* 2. etiam Apostoli tali formâ & modo usi sunt, unâ enim die tria millia hominum baptizasse dicuntur.

12. *In tali casu quot essent Baptismata?*

R. Tot, quot essent subjecta, ut docet *V. Scot.* in 4. d. 6. q. 2. Ratio est, quia plures in tali casu essent baptizati, & per consequens plures baptizationes passivæ, in quibus præsertim Sacramentum baptismi consistit.

13. *Validène baptizarent plures eundem, si eodem tempore simul corpus abluerent, & debitam formam cum intentione proferrent?*

R. Affirmativè. Ratio est *V. Scoti*, quia in tali casu unus non irritaret factum alterius, nam non poneret actionem contrariam, sed omninò similem. Tum quia possunt simul Sacerdotes eandem hostiam consecrare; ut patet in Ordinatione Presbyterorum, ergo à pari &c. Tum quia in

casu

casu habentur omnia necessariò ad baptismum requisita.

14. *Quot in tali casu conficerentur baptismata?*

℟. Tot, quot essent baptizantes, quia plures essent baptizationes passivæ.

15. *Validene baptizarent plures eundem, si unus VG. Mancus proferret formam, Alter VG. Mutus ablueret?*

℟. Negativè. Ratio est, quia in tali casu ille baptismus falsam haberet formam, quia si mancus diceret: Ego te baptizo, falsum diceret, quia non ipse baptizaret sed mutus.

16. *Quod est Subjectum Baptismi?*

℟. Est homo Viator tam Infans quàm Adultus; cum hoc tamen discrimine, quod in infantibus nulla requiritur dispositio, in adulto verò tres communiter debent præcedere dispositiones.

Prima est: Consensus, nullum enim Deus omnino invitum vult Familiæ suæ adscribi.

Secunda Dispositio est Fides juxta illud *Math*: 25. Docete omnes Gentes, qui crediderit & baptizatus fuerit &c.

Tertia dispositio ad fructuosè recipiendum baptismum in illis adultis, qui ultra peccatum Originale habent mortale personale, requiritur aliqua pænitentia ac displicentia peccatorum commissorum, ut expressum est *Act.* 2. Verbis S. Petri dicentes: *Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum* quod etiam præcepit & *Trident.* Ses. 6. c. 6.

17. *Quid si adultus habens peccata mortalia vellet serio baptizari, non tamen pænitere?*

℟. Talis validè quidem, sed non fructuose reciperet Sacramentum (ut constat ex C. Majores &c. de Judæis d. 64.) haberet quidem characterem,

rem, non tamen gratiam. Unde prima dispositio scilicet consensus in adultis requiritur ad validè, fides autem & pænitentia non nisi ad fructuosè suscipiendum baptismum sunt necessariæ.

18. *An Monstrum genitum ex fæmina potest baptizari?*

℟. Affirmativè cum hac tamen cautela, quod si dubitetur, an sit homo, debet proferri forma sub conditione sic; *Si homo es, ego te baptizo in nomine* &c. Si tamen nullum adsit periculum mortis ejus, consulendi sunt Medici, & alii in hac re periti; Si verò baptizetur sub conditione, & postea deveniatur certo esse hominem, non est iterum rebaptizandum, quia illa conditio fuit semper vera. Si autem Monstrum tale sit, de quo dubitetur, an sit unus, vel plures homines, puta, si duo capita, vel duos truncos habeat, in tali casu docet *V. Scot*: d. 6. q. 2. quodsi tempus haberi potest, debet attendi diligenter, si simul in utroque capite aperiuntur oculi, aut simul ambo capita obdormiunt, signum est, quod una sit in tali monstro anima, & per consequens, unus est homo. Si autem certitudo haberi non potest, baptizandus est saltim in illis partibus, quæ principaliter pertinent ad unum, cum prolatione formæ in singulari, prout etiam declaratur in Rituali Romano.

19. *Qualis requiritur voluntas ad Valorem Sacramenti?*

℟. Requiritur voluntas libera, sufficit tamen gravi metu coacta, quod patet Can. *de Judæis* d. 45. Ratio est, quia ex una parte nullum damnum fit Sacramento, ad cujus valorem non semper requiritur propria voluntas, ut patet in infantibus, & perpetuo amentibus. Ex altera parte nulla fit

injuria

injuria taliter baptizato, quia transfertur per hoc ad meliorem statum, ut ait *V. Scotus* solvens paritatem de gravi metu cogente ad Matrimonium.

20. *Quot sunt Effectus Baptismi?*

℟. Sunt sequentes 1. Infunditur gratia habitualis simul cum virtutibus Theologicis. 2. Imprimitur character. 3 Delentur peccata non solum, quo ad culpam, sed etiam quo ad pœnam illis debitam. 4. Per baptismum conferuntur omnia illa auxilia supernaturalia, quæ sunt proportionata fini, ad quem baptismus est institutus. 5. Conjungitur moraliter homo baptizatus cum Christo tanquam membrum cum capite.

21. *Æqualemne per Baptismum recipiunt gratiam omnes baptizati, in quibus nulla fuit dispositio?*

℟ Affirmativè, est *ex Subtili* Doctore in 4. d. 4. q. 7. quia ab eadem causa æqualiter se habente, æqualis producitur effectus, sed baptismus semper habet æqualem virtutem; ergo quantum est ex parte ipsius semper æqualem causabit gratiam. In illis vero, in quibus datur dispositio propria; ut sunt adulti non æqualis confertur gratia, sed juxta uniuscujusque dispositionem, ut docet. *Trid:* Ses: 6. c. 6. ubi ait: *Secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.* Tum quia in suscipiente Eucharistiam majoritas gratiæ mensuratur juxta majoritatem dispositionis ipsius suscipientis, Ergo à pari &c.

22. *Quando Baptismus fuit institutus?*

℟ Jmmediatè ante Cænam Domini: licet in Evangelio non explicetur certum tempus Ratio est ex *D. August:* quia cum sit janua Sacramentorum, debuerat prius institui, quàm Eucharistia & Ordo, quæ instituit Christus in ultima Cæna.

23. *Quando cæpit obligare sub præcepto?*

℟.

℟. Post sufficientem promulgationem Fidei, quia ad hoc, ut recipiatur, maximè in adultis requiritur fides juxta illud, *Math*: 28. *Quì crediderit* &c.

24. *Ad quid necessarii sunt in Baptismo Patrini?*

℟. Ad hoc, ut baptizatum edocerent articulos Fidei. Cum enim in primitiva Ecclesia tempore persecutionum occultè baptizarentur plurimi non consentientibus parentibus eorum, hinc Patrini tenebantur illos fidem instruere. Quod etiam hucusque practicatur.

25. Antiquitùs inter plures contrahebatur Consangvinitas Spiritualis ratione baptismi, nunc per *Trid.* diminuta est.

26. *Inter quos contrahitur Cognatio Spiritualis ratione suscepti baptismi?* Vide inferius Sect. 3. art. 6.

27. Quantùm ad necessitatem Baptismi circa parvulos, qui nullatenus suscipere possunt sacramentum fluminis propter subitaneam ac prævenientem mortem non deest recens Theologorũ sententia ut ego problematicè docui: Talibus Infantibus ex speciali misericordia Divina dari miraculosè usum rationis in articulo mortis ut possent cognoscere statum suum, & sic desiderare Baptismum fluminis, perquod desiderium tanquam per Baptismum flaminis salventur. Ratio est quia *Deus vult omnes homines salvos fieri* juxta Apostolum 1. ad Timoth. cap. 2. & quidem vult sincerè ut nullus dubitat; videretur autem non velle sincerè si non dedisset hujusmodi Infantibus speciale remedium ad salutem. Neque miraculum videretur esse superfluum. Exquo enim Deus voluit sincerè tres pueros in fornace Babylonica servare illæsos miraculosè illis subvenit; ergo etiam à pari dicendum de infantibus nondum Baptisatis ubi agitur non de temporali eorum vita sed de æterna, Aliàs si tales destitu-

destituisset Deus non permittentibus causis secundis pervenire eos ad remedium salutis, jam damnatio eorum in fortuitos refunderetur concursus Causarum secundarum, quod est absurdum.

Hac tamen stante sententia non omnes adhuc salvarentur Infantes, quia in tam modico tempore potuissent aliqui tali remedio resentire, & sic punirentur non tantùm pænâ damni sed etiam pænâ sensûs & vermis, qui ultra originale jam haberent & personale, nempe negligentiam in procuranda salute.

Standum tamen est in praxi communiori sententiæ, in tam re gravissima & quantùm fieri potest citissimè Parochi applicent hoc Sacramentum unicè necessarium, juxta Decretum Concilii Constan. Ses 15 magis credentes Ecclesiæ quàm speculationi Theologicæ, quæ falli & fallere potest.

ARTICULUS II.
De Confirmatione.

1. *Quid est Confirmatio?*

℟. Est *Sacramentum, quô homo Viator baptizatus ungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate sub præscripta forma verborum, ad fidei robur consequendum:*

2. *Quotuplex est ejus Materia?*

℟. Duplex: *Remota*, quæ debet esse Chrisma confectum ex oleo olivarum & balsamo Et *Próxima*, quæ est unctio facta ab Episcopo in fronte suscipientis permodum crucis.

3. *Nota* tamen quod Apostoli in primitiva Ecclesia per solam impositionem manuum hoc Sacramentum ministrasse leguntur. *Act.* 8. hoc tamen faciebant ex speciali dispensatione Christi pro illo

solum

solùm tempore quô Spiritus S. supra fideles sub visibilibus signis descendebat, ac proinde non erat tunc necessaria visibilis materia Sacramentalis; quando vero hujusmodi signa cessarunt, usi sunt Apostoli Chrismate in collatione Confirmationis, ut docet etiam *Angelicus Doctor* q. 62 art. 2.

4 *Nota* 2. quod ad valorem hujus Sacramenti requiritur, ut Chrisma sit ab Episcopo benedictum, quod non requiritur in Baptismo. Rationem assignat *V. Scotus* & disparitatem, quia Christus per contactum suæ carnis mundissimæ, omnem aquam cosecravit in usum Baptismi, non sic autem materiam Confirmationis, & ideo hic requiritur specialis consecratio, quam rationem, ut bonam acceptat Catechismus Romanus.

5. *Quæ est Forma Confirmationis?*

℟. Sunt hæc verba ab Episcopo prolata; *Ego signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis. In Nomine Patris* &c.

6. *Quis est Minister Confirmationis?*

℟. De lege debet esse Episcopus, cum dispensatione tamen Papæ potest illud licitè & validè administrare simplex Presbyter, ut patet *ex Gregorio Papa* Ep: 66. in qua Presbyteris Sardiniæ concessit ministrare Cofirmationem.

7. *Quot sunt Effectus Confirmationis?*

℟. Sunt tres: 1. Gratia habitualis secunda. 2. Character. 3. Gratia Sacramentalis, quæ est speciale auxilium DEI tempore opportunô conferendum ad fidem Christi tam interius retinendam, quàm etiam exterius coram Tyranno fortiter confitendam.

8. *Quando fuit institutum hoc Sacramentum?*

℟. Probabiliter in ultima Cœna, ut docet *Fabianus Papa* Epist, 2. c. 4. dicens, *In illa die Domi-*

Dominus JESUS, postquam cœnavit cum Discipulis: Chrisma conficere docuit.

9. *Quomodo obligat hoc Sacramentum ad sui Susceptionem?*

℟. Ad summum sub veniali, cum enim non sit necessarium necessitate medii, ideo non obligat fideles sub peccato mortali, nisi adsit contemptus.

Notat tamen *Abellius* c. 3. quod in illis partibus, in quibus imminet persecutio contra Ecclesiam; teneri quemlibet adultum, si Episcopum commodè adire possit, hoc Sacramentum suscipere, ut ex illo robur & vires ad fidem constanter profitendam acquirat.

10. *Est ne de necessitate in Confirmatione assumere Patrinum?*

℟. Est de necessitate præcepti, quod transgredi probabilius sub mortali non licet.

11. *Ob quam causam adhibetur in Confirmatione Patrinus?*

℟. Ob similem, sicuti in Baptismo, nam sicuti Patrinus debet baptizatum instruere in fide, ita Patrinus confirmatum debet corroborare in fide, maximè dum mors pro Christo subeunda imminerct. Hæc enim consuetudo Patrinorum cæpit tempore persecutionum. Potest esse hæc alia ratio, ut confirmatus habeat testem: quod sit miles Christi, jam per Confirmationem robustus; Sæpius enim olim baptizati & confirmati revertebantur iterum ad ritum gentilium.

12. *Quot debent esse Patrini in Confirmatione?*

℟. Sufficit unus, & ad summum unus & una, & non plures; Qui debent jam prius esse confirmati. Ut patet ex Cap. *Pervenit* 30. q. 1. Insuper non debet esse idem Patrinus in Confirmatione

tione qui fuit in Baptismo; ut patet ex Consvetudine Romanæ Ecclesiæ.

13. *An liceat reiterare Confirmationem?*

℟. Scienter non licet sub gravissimo peccato mortali. Non fieret tamen irregularis scienter reiterans Sacramentum Confirm. sicuti reiterans Sacramentum Baptismi. Ratio Disparitatis est: quia Irregularitas hæc est in Jure expressa c. 2. *de Reiterantibus Baptisma* non vero illa de reiterantibus Confirmationem; & licet de reiteratione utriusq; Sacramenti sit omnimode similis ratio, ob similitudinem tamen rationis non extenduntur pœnæ absque lege expressa. Nam in odiosis leges sunt potius restringendæ non vero ampliandæ.

14. *Quare instigitur alapa in Confirmatione?*

℟. Ut sciat confirmatus se abhinc paratum fore ad ludibria & alapas pro Christo subeundas.

ARTICULUS III.
De Eucharistia.

1. *Quid est Eucharistia?*

℟. Est *Sacramentum Corporis & Sangvinis Christi veraciter contenti sub speciebus panis & vini post consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis ex institutione Divina efficaciter significans Corpus & Sangvinem Christi sub eis realiter contineri?*

2. *Quotuplex est Materia Eucharistiæ?*

℟. Duplex: *Remota*, & est panis triticeus, qui in latina Ecclesia ex præcepto debet esse azymus, in Græca verò fermentatus. *Proxima* verò sunt ipsæ species consecratæ, connotantes Corpus & Sangvinem Christi.

3. *Quæ est Forma Eucharistiæ?*

℟. For-

℟. Forma Eucharistiæ non datur ſicut in cæteris Sacramentis, quia ſi daretur, hæc deberent eſſe verba conſecrationis, quod non poteſt dici juxta *V. Scotum* in 4. d. 8 q. 1, quia verba ſunt quid tranſiens. Sacramentum verò Eucharistiæ eſt quid permanens, adeoque verbis non poteſt intrinſece conſtitui tanquam forma. Ita ex noſtris *Branc. Maſtrius* &c.

Poncius tamen *diſp.* 44. q. 1. tenet verba, ſecundum eſſe phyſicum non poſſe quidem eſſe formam Euchariſtiæ, quia ſic ſunt tranſeuntia; ſecundum tamen eſſe morale poſſunt eſſe, quia ſic moraliter ſunt permanentia, & ita vult intelligi ſubtilem Doctorem. Utraque autem Sententia eſt probabilis.

4. *Quæ eſt eſſentia Euchariſtiæ?*

℟. Sunt ſpecies panis & vini continentes Corpus & Sangvinem Chriſti. Undè *Conc. Flor.* in lit. Uni. quando dicit: omnia Sacramenta conſtare ex rebus & verbis (ut dictum eſt Sect. II. Art. I.) debet intelligi de Sacramentis ſucceſſivis, non vero de permanenti, quale eſt Euchariſtia,

5. *Sub una Specie eſtne integrum Sacramentum?*

℟. Eſt quo ad rem ſignificatam nempè Chriſtum, non tamen quo ad modum ſignificandi. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum convivii; Convivium autem completè conſtituitur tam per cibum quàm potum, undè qui ſumit ſub ſola ſpecie panis, ſumit formaliter tantum Corpus Chriſti, quod eſt per modum cibi, & concomitanter ſolùm Sangvinem, qui eſt potus Spiritualis.

6. *An majorem cauſet gratiam Euchariſtia ſumpta ſub utraque Specie, quàm ſub una?*

℟. Affirmativè, Ratio eſt, quia utraque ſpecies

cies est verum Sacramentum, adeoque ambæ majorem conferent gratiam. Tum quia utraque sumpta causat gratiam per modum cibi & potûs, non sic una tantum. Tum quia *Clemens IV.* concedens in quadam Bulla Regi Christianissimo communicare sub utraque specie in articulo mortis, addidit rationem hujus dicendo: *ad majus augmentum gratiæ.*

7. *Ergo Ecclesia injuste prohibuit Laicos sub utraque Specie sumere?*

℟. Negativè. Ratio est ex *Trid:* Ses. 21. c. 2. quia ex una parte per hoc non privantur aliquâ gratiâ ad salutem necessariâ, Ex altera parte facile possunt compensare illam gratiam per majorem dispositionem, nam major gratia in suscipientibus Eucharistiam attenditur ex majori eorum devotione, quam habent, dum illam suscipiunt. Tum quia esset sæpius periculum effusionis sangvinis in dispensatione populo, neque diu posset conservari. Deinde sunt nonnulli, qui ex natura sua odorem vini pati non possunt, quæ sunt justissimæ rationes denegandi sub utraque Specie sumere.

8. *Neque valet in hac re calumnia Lutheri dicentis:* quod injustè Ecclesia prohibet fideles sumere Eucharistiam sub specie vini, nam Christus *Lucæ* 22. jussit omnes bibere calicem, dicens: *Bibite ex eo omnes.* Non valet inquam, quia Dominus dixit hæc verba ad solos Apostolos, quod patet: Quia etiam tempore Apostolorum non dabatur Eucharistia sub speciebus vini fidelibus, ut videre est *Act:* 2. & 20. ubi dicitur: *Una Sabbathi fideles convenerunt ad fractionem panis.* Nullam faciendo mentionem de vino.

9. *Quot sunt Effectus Eucharistiæ?*

℟. Sunt plures, quorum primus: Gratia secunda.

da. 2. Remissio venialium. 3. Præservatio à mortalibus. 4. Diminutio fomitis peccati. 5. Unio nostræ carnis cum Christo.

10. *Ad hoc, ut recipiatur Gratia secunda per Eucharistiam, qualis requiritur dispositio in Suscipiente?*

℞. Sufficit, quod non sit in peccato mortali, estò in suscipiendo sit aliquando distractus venialiter. Ratio est, quia peccatum veniale non opponitur gratiæ, adeoque potest stare cum illa. Nocet sibi tamen taliter distractus, quia minorem recipit gratiam.

11. *Quando Eucharistia incipit causare gratiam?*

℞. Tunc, quando primo est in Stomacho, non vero dum est inter palâtum & lingvam. Ratio est quia sicuti corporalis cibus nutrit pro tunc, quando est in stomacho, ita etiam Eucharistia, quæ est cibus Spiritualis.

12. *Quamdiu hoc Sacramentum causat gratiam?*

℞. Probabiliter tam diu, quàm diu Species manent in stomacho, nam non est ratio, quare potiùs deberet in primo instanti causare, & non in sequentibus, aliàs otiosè pro tunc Christus esset in nobis Sacramentaliter.

13. Quàm autem longo tempore species in nobis incorruptæ maneant, universaliter non potest definiri, hoc enim provenit à dispositione stomachi, qui in aliis est calidior, in aliis vero debilior. Decisum tamen est à Romanis Medicis, quod utraque species in Presbytero potest durare mediâ horâ; in Laico vero, quia est parva particula, non nisi unô quadrante perseverat.

14. *Quòtuplex est Minister Eucharistiæ?*

℞. Duplex: *Conficiens*, qui est solus Presbyter. Et *Distribuens*, qui est Presbyter, & de ejus licen-

tia etiam Diaconus. In primitiva Ecclesia etiam dabatur Eucharistia ad manus fidelibus adultis, Infantibus vero statim post baptismum ori imponebatur, sed quia exinde magna fiebat Sacramento irreverentia, ideo ab Ecclesia utrumque prohibitum est.

15. *Quando fuit institutum hoc Sacramentum?*

℞. In ultima Cæna, quæ juxta *V. Scotum* ac cæteros Patres celebrabatur 14. Martii. Ratio est, quia Christus Dominus, qui non venit solvere legem, sed adimplere, hôc utique die sumebat agnum Paschalem, quô à lege institutum fuerat, lex autem jussit manducare Pascha 14. Mensis primi, ut videre est *Exod*: 12. v. 6. Per primum vero Mensem apud Judæos hucusque intelligitur *Martius*, qui vocatur *Nisan*, teste *Josepho*.

16. Ex quo patet, quod Christus D. consecravit in azymo pane, non vero fermentato, ut volunt Græci. Ratio est: quia Salvator habuit cænam in die Azymorum, ut patet ex illo *Math*: 26. *Primo autem die Azymorum accesserunt ad JESUM discipuli ajentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Diebus autem Azymorum non licebat comedere panem fermentatum, ut etiam ipsi Judæi hucusque observant juxta illud: *Exod*: 12. *Primô mense quartâdecimâ die Mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem septimum ejusdem Mensis.*

17. *In qua Cæna Christus instituit Eucharistiam die 14?*

℞. In secundâ; pro quo sciendum est; quod Judæi duplicem habeant Cænam illo vespere, quô sumebatur Agnus Paschalis. Prima fuit *Legalis*, à Lege videlicet præcepta; & in hac sumebant Agnum Paschalem juxta ritum suum. Secunda

fuit

fuit *Communis*, post legalem ceremoniam celebrata, propter refectionem Familiæ domesticæ, quæ unico Agnello refici non poterat. His adnotatis.

18 Probabilius censeo Christum instituisse hoc Sacramentum in Cæna communi, quæ fuit ordine secunda; Ratio est, quia in Cæna Legali manducantes stabant accinctis renibus. Quando autem Christus distribuebat Discipulis Euchariſtiam ad manducandum, dicitur cum illis discubuisse Marci 14. non stetisse: *Discumbentibus eis, & manducantibus accepit panem* &c.

19. Ex quo ulteriùs infertur, jejunium ad Sacramentum Eucharistæ requisitum esse purè Ecclesiasticum propter reverentiam tanti Mysterii, non verò Divinum, cum & Apostoli non jejuni supponuntur sumpsisse Eucharistiam.

20 *Nota*, quod ab initio Ecclesiæ usq; ad Leonem IX. nulla fuit controversia de materia panis ad Eucharistiam requisita, utrùm debeat esse Azymus vel fermentatus; post autem mille & viginti annos scilicet Anno 1053. Michàël Constantinopolitanus Patriarcha, & Leo Archi-Episcopus Aeridanus acceptô odiô contra Romanam Ecclesiam, cujus primitatem non bono ferebant animo, cæperunt illam accusare, quod in Azymo consecraret, quos Leo IX in Ep. sic redarguit: *Quis non stupescat, quod post tot Sanctos & Orthodoxos Patres, post mille & Viginti à Passione Salvatoris annos novus Calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti anathematizans eos, quicunque participantur ex Azymis.*

21. Plura habent Patres Græci quidem fundamenta de fermentato pane, sed præcipuum ponunt illud, quod scilicet Christus anticipavit ultimâ Cænâ suâ diem Azymorum. Ratio illorum est, quia dies Azymorum seu Paschatis, & esus agni Pascha-

lis eodem Vespertino tempore incipiebant; & Joan. 13. dicitur: *Ante diem festum Paschæ, sciens JESUS, quia venit hora ejus &c,* Secundum fundamentum habent ex illo Joan. 19. ubi describens mortem Christi ait: *Erat autem Parasceve Paschæ.* Parasceve autem apud Judæos est idem ac *Præparatio* Paschæ. Unde apud Judæos feria sexta dicitur Parasceve Sabbathi. Utraque igitur Authoritas Joan: videtur testimonium ferre, quod Christus anticipavit diem Azymorum, & sic debuerat in usitato consecrasse pane, scilicet in fermentato. Pro quo.

22. Sciendum est, quod apud Judæos est duplex dies: Unus *Naturalis*, qui comprehendit spatium ab ortu solis usque ad occasum. Alter *Legalis*, qui sumitur à Vesperi unius diei, ad Vesperam sequentis, ut patet etiam modò, ubi licet dies Sabbathi naturalis sit immediatus ante diem Dominicam, Legalis tamen incipit Feria sexta Vesperi. Quando ergo Joannes dicit: *Ante diem Paschæ*, sumit diem naturalem, qui fuit dies 15: Mensis Martii, qui etiam dicebatur solemnis juxta illud *Numeror*: 28. *Mense autem primo* 14*ta die Mensis phase Domini erit, &* 15: *solemnitas.* Non verò sumpsit diem Legalem, qui incipiebatur 14. vesperi.

23. Ad 2*dum* textum, hæc est facilis responsio; si scias, quod dies passionis Christi incidit Feriâ sextâ, quæ dicitur apud Judæos, perpetuò *Dies Parasceves.* Et sic prima dies Azymorum Parasceves dicebatur, ut etiam ipse testatur *Marcus* 15. *Erat Parasceves, quod est ante Sabbathum.* Ideo autem per *Joannem* dicitur *Parasceves Paschæ*, quia illa dies fuit una ex diebus Paschalibus. Ex quibus stat semper firma Latinorum sententia, Christum suam ultimam Cænam celebrasse 14. Martii seu

ſeu die Azymorum, & ſic ut obſervator Legis non alium adhibuit panem niſi Azymum.

24. *Quali Præcepto Fideles tenentur ad Euchariſtiam ſumendam?*

℟. Non ſolum præceptô Eccleſiæ, ſed etiam Divino juxta illud *Joan: 6. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

25: *Nota*, quod Anno 102. exorta eſt famoſa Hæreſis circa Euchariſtiam, quæ vocabatur Gnoſticorum. Hi enim Hæretici non credentes corpus Filii hominis contineri ſub ſpeciebus conſecratis panis puri triticei, parvulum recenter natum aſſabant, & aſſatum contundebant, cujus pulveres in farinam injectos & in panem redactos dabant aliis dicentes: *Nunc eſſe corpus Filii hominis.*

ARTICULUS IV.

De Pœnitentiæ Sacramento.

1. *Quotupliciter ſumitur Pænitentia?*

℟. Dupliciter: Ut eſt Virtus. Et ut eſt Sacramentum.

2. *Quid eſt Pænitentia ut Virtus?*

℟. Eſt dolor animi, & deteſtatio peccati cum propoſito emendandi.

3. *Quid eſt Pœnitentia ut Sacramentum?*

℟. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 14, q. 4. eſt: *Abſolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis cum debita intentione prolatis, à Sacerdote jurisdictionem habente, ex inſtitutione Divina, efficaciter ſignificans abſolutionem hominis à peccato.*

4. *Quotuplex eſt Materia Pœnitentiæ?*

℟. Duplex: Una *Remota*, quæ ſunt peccata perſonalia poſt baptiſmum commiſſa. Et alia *Proxima*, quæ ſunt actus pœnitentis, nempè Dolor, Confeſſio, & Satisfactio.

5. *Quotuplex est Materia Remota?*

℟. Triplex. Necessaria, Sufficiens, & Necessaria & non Sufficiens.

Necessaria est illa, quæ necessario in Sacramento Pœnitentiæ aperienda est; & hujusmodi sunt peccata mortalia.

Sufficiens est, quæ licet non sit necessario aperienda in Confessione, sufficit tamen ad validè obtinendam absolutionem, & talia sunt peccata venialia, vel mortalia jam confessa & absoluta, ut clarè deducitur ex *Extravag:* 1' Benedicti XI.

Necessaria & non Sufficiens sunt peccata dubia in gravi materia, quæ licet necessariò in confessione aperiri debent, non tamen sola sufficiunt, sed aliqua certa saltim venialia cum ipsis confiteri necesse est, quia non potest absolvi, quod purè dubium est.

6. *Sufficitne sola Confessio peccatorum jam confessorum ad hoc, ut validè conficiatur Sacramentum Pœnitentiæ?*

℟. Cum V. Doctore q, 2. non sufficit, sed ulterius requiritur novus dolor de iisdem peccatis. Ratio est, quia ad novum Sacramentum conficiendum, requiritur saltem nova materia proxima à priori distincta, si autem non adderetur novus dolor; non esset nova materia sufficiens ad novum Sacramentum pœnitentiæ constituendum.

7. *Valetne Sacramentum Pœnitentiæ, si Pœnitens præsenti Ministro porrigat in Charta, sua peccata?*

℟. Affirmativè. Ratio est, quia ex una parte nulla expressa hujus habetur Ecclesiæ prohibitio, ex alia parte in tali casu pœnitens omnia necessaria haberet ad valorem Sacramenti; haberet enim pudorem & verecundiam de suis peccatis, quam non

haberet

haberet in absentia Ministri. Unde licet ex Decreto Clementis VIII. Constit. 67. prohibeatur confessio peccatorum per literas, mens tamen Pontificis solum intelligenda est, dum Minister est absens, nam in præfato Decreto habetur: *Non licere per literas Confessario absenti Sacramentaliter confiteri, & eodem absente absolutionem obtinere.*

8. *Quotuplex est Dolor?*

℞. Duplex: *Perfectus* seu *Contritio*. Et *Imperfectus* seu *Attritio*. *Contritio* est dolor de peccatis quatenus sunt offensa DEI summè dilecti & super omnia. Et hæc remittit peccata etiam extra Sacramentum in voto tamen Sacramenti, unde taliter contritus tenetur sub mortali suô tempore confiteri. *Attritio* vero est dolor de peccatis propter turpitudinem peccati aut timorem inferni. Et hæc (si sit ex motivo supernaturali) licet in Sacramento pœnitentiæ sufficiat ad remissionem peccatorum obtinendam, tamen extra Sacramentum in nullo casu potest justificare peccatorem.

9. *Quid est Confessio?*

℞. Est accusatio de propriis peccatis, coram Sacerdote legitimo ad eorum remissionem obtinendam per absolutionem.

10. *Quot sunt Conditiones bonæ Confessionis?*

℞. Sexdecim his versibus contentæ.

Sit simplex, humilis confessio pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Ex his tamen omnibus solæ tres sunt necessariæ ad valorem Sacramenti, nempè fidelitas, Integritas, & Dolor.

11. *Quotuplex est Integritas Confessionis?*

℞. Duplex: Una *Materialis*, quæ tunc habetur, quando

quando pœnitens omnia peccata mortalia secundum speciem & numerum, prout memoriæ occurrunt, confitetur, ita ut nullum eorum remaneat aperiendum. Alia vero *Formalis*, quæ tunc est, quando pœnitens omnia peccata mortalia, prout memoriæ occurrunt, confitetur, quantum hic & nunc potest, ac tenetur, licet aliquod ex necessitate aut impedimento omittatur, potest quis excusari ab integritate materiali, nunquam tamen à formali.

12. *Quid est Satisfactio?*

℟. Est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam DEO illatam consistens in operibus pœnalibus & laboriosis à confessario taxatis.

Quotuplex est Satisfactio?

℟. Duplex; Una *In re*, quæ est ipsum opus à Confessario taxatum. Alia *In voto*, quæ est voluntas exequendi tale opus. Satisfactio *In voto* est de essentia Sacramenti; *In re* autem est pars integralis.

14. *Quæ est Forma pœnitentiæ?*

℟. Sunt hæc Verba: *Ego te absolvo à peccatis tuis in Nomine Patris &c.*

15. *Omniane hæc verba sunt essentialia?*

℟. Non, sed hæc sola: *Absolvo te*, reliqua tamen ex præcepto non sunt omittenda, ut colligitur ex *Cath. Pii V.* Orationes autem, præviæ, & subsequentes formam ut: *Misereatur tui* &c. *Passio Domini* &c. non sunt necessitatis, & ex rationabili causa omitti possunt, ut si VG. multi sint confitentes &c.

16. *Quò modò debeant proferri à Sacerdote verba absolutionis?*

℟. Modo indicativo aut imperativo, non autem deprecativo. Ratio est, quia juxta *Trid: Ses:* 14. c. 2. hoc Sacramentum est institutum per modum judicii

judicii, & Sacerdos se habet in illo ut Judex, unde sicut in judicio sæculari Judex profert sententiam imperativè, ita etiam hic.

17. *Valetne absolutio sub conditione de futuro, VG. Absolvo te, si reddideris furtum?*

℟. Negativè. Ratio est: quia forma pœnitentiæ valida, est signum demonstrativum gratiæ, in casu autem non esset, quia conditionata propositio habet veritatem solum tunc, quado adimpletur conditio, & sic illa forma esset signum gratiæ usque tunc, quando pœnitens redderet furtum, quod non potest dici, quia tunc absolutio jam non est. Validè tamen absolveretur, sub conditione de præterito: vel præsenti, quia talis conditio non suspendit actum, ut VG. *absolvo te, si contritus es.*

18. *Quis est Minister Sacramenti Pœnitentiæ?*

℟. Solus Presbyter habens potestatem tam Ordinis quàm Jurisdictionis.

19. *Quid est Potestas Ordinis?*

℟. Est illa, quam quilibet Sacerdos recipit in ordinatione sua per impositionem manuum Episcopi,

20. *Quid est Potestas Jurisdictionis?*

℟. Est jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi Ordinis Sacerdos habet; Unde per primam accipit potestatem judicandi spiritualiter, per secundam vero accipit subditos judicandos.

21. *Debetne Sacerdos habere utramque potestatem ad hoc, ut validè absolvat?*

℟. Affirmativè, nisi pænitens sit in articulo mortis, quia tunc quilibet Sacerdos etiam excommunicatus validè absolvit juxta *Trid.*

22. *Quot sunt Effectus Pœnitentiæ?*

℟. Quatuor 1. Remissio peccati tam mortalis quàm venialis. 2. Gratia prima vel secunda, si erit

remissio venialium. 3. Gratia sacramentalis. 4. Commutatio pœnæ æternæ in temporalem. Quibus adde etiam illud, quòd per pœnitentiam reviviscunt merita, quæ fuerunt per peccatum mortale mortificata; non verò illa, quæ fuerunt in peccato mortali facta, quia hæc potius mortua, quam mortificata debent dici.

23. *Quando fuit institutum Sacramentum Pœnitentiæ & à quo?*

℟. A Christo D. post resurrectionem, ut habetur Joann. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c.*

24. *Quô Jure tenentur fideles ad Sacramentum Pœnitentiæ in peccatum mortale lapsi?*

℟. Jure Divinô saltim in articulo mortis juxta illud *Lucæ* 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Quodsi non possit haberi Sacerdos; elicienda est in tali casu contritio. Et ad hoc tenentur fideles sub peccato, quia aliàs si in tali casu voluntariè peccator omitteret dolorem de peccatis, nollet salutem animæ, qui enim non vult media, neque vult efficaciter finem.

25. *Ad quid obligatur homo, dum ipsi deliberatè consultò veniunt in memoriam peccata aliàs jam confessa & absoluta?*

℟. Tenetur dolere ac detestari illa, & quidem sub peccato; nam si pro tunc in illis non displiceret, fuisset in periculo complacendi sibi in eis, maximè si forent peccata in materia delectabili: Tum quia peccatum etiam absolutum est semper malum, adeoque detestabile, eo quod fuerit offensa DEI.

ARTI-

ARTICULUS V.
De Extrema Unctione.

1. *Quid est Extrema Unctio ?*

℟. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 2. q. 1. est: *Unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione Divina efficaciter significans curationem finalem venialium.*

2. *Quotuplex est materia Extremæ Unctionis ?*

℟. Duplex: Una *Remota*, quæ est oleum olivæ ab Episcopo benedictum. Alia *Proxima*, quæ est ipsamet Unctio infirmi.

3. *Quot fieri debent Unctiones ?*

℟. Saltim quinque juxta quinque sensuum corporis partes, qui, si mutilati sint, in vicinis partibus unctio fieri debet. Quidam enim Doctores putant, unam tantùm unctionem esse de essentia Sacramenti, ideoque in periculo pestis, vel simili necessitate sufficere unum tantum Organum, vel potiùs caput, in quo sensus maximè vigent ungere dicendo: *Per istam &c. quid quid per visum, auditum, gustum, odoratum &c. deliquisti.* Tutius tamen erit in tali casu, unum oculum, aurem, manum, narem, & os velociter ungere dicendo prædictam formam.

4. *Quomodo fieri debeat Unctio ?*

℟. Non est simpliciter necessarium, ut fiat immediatô contactu manûs, nam peste grassante potest Sacerdos uti virgâ longâ tinctâ oleo, quæ postea comburenda est.

5. *Quæ est Forma hujus Sacramenti ?*

℟. Sunt verba à Sacerdote prolata: *Per istam Sanctam Unctionem &c.*

6.

6. *Quæ sunt de essentia hujus Sacramenti?*

℞. Sunt hæc: 1. Ut Organa 5. Sensuum, quæ inunguntur nominentur. 2. verba illa: *Per hanc Sanctam Unctionem* 3 Verba deprecativa *Indulgeeat tibi Dominus* Unde formam imperativam: *remittatur* &c. non valere dicunt Doctores.

7. *Quis est Minister hujus Sacramenti?*

℞. Sacerdos. & quidem proprius Parochus, de ejus tamen licentia, aut in extrema necessitate quilibet Sacerdos, ut patet in Clementina I.

8. *Quod est subjectum capax extremæ Unctionis?*

℞. Homo baptizatus infirmus, qui juxta *V. Scotum & D. Bonaventuram* debet aliquando esse in peccato Unde infantes non sunt capaces hujus Sacramenti ante usum rationis, sufficit tamen in iis ea ætas, quâ peccare possunt. 2. incapaces sunt perpetuò amentes: illis autem, qui antequam delirium passi sunt, petierunt, vel petiissent, si opus fuisset, dari debet. 3. Communi morbo seu non periculosè infirmantibus invalidè confertur hoc Sacramentum. Ita *Suarez. Palaus. Gran. &c.*

In diuturnis autem morbis toties est conferendum, quoties adest novum periculum.

9. *Qui sunt Effectus hujus Sacramenti?*

℞ Juxta *Trid.* Sunt 1. Remissio finalis venialium. 2. Robur animæ contra tentationes dæmonis in articulo mortis. 3. Sanitas corporis, si expediat.

ARTICULUS VI.

De Matrimonio.

1. *Quid est Matrimonium?*

℞. Est Sacramentum inter baptizatos, quô vir & mulier sibi mutuo legitimè corpora sua tradunt

dant ad perpetuam vitæ ſocietatem & remedium concupiſcentiæ.

2. *Quotuplex eſt Matrimonium?*

℞. Triplex: *Legitimum*, quod eſt contractus legibus conformis, non tamen *S*acramentalis, uti eſt inter Judæos. *Ratum* eſt: contractus fidelium ab Eccleſia approbatus non tamen copulâ carnali completus. Et *Conſummatum*, quod eſt Contractus fidelium Sacramentalis copulâ carnali completus.

3. *Quotuplex eſt materia Matrimonii?*

℞, Duplex: *Remota & Proxima*. Remota ſunt ipſa corpora contrahentium, ut actu tradita vel tradenda. Proxima vero eſt Corporum mutua traditio.

4. *Quæ eſt Forma hujus Sacramenti?*

℞. Sunt verba vel nutus contrahentium mutuum conſenſum exprimentes.

5. *Quis eſt Miniſter Matrimonii?*

℞. Sunt ipſi contrahentes, non vero Parochus, ut expreſsè declaravit Eugenius V. Tum quia ante *Trid*: validè miniſtrabatur hoc Sacramentum, quamvis abſente Parocho. Unde etiam nunc *Trid.* ſolum requirit Parochum, ut aſſiſtat, non vero miniſtret. Et cùm dicit, *Ego vos conjungo*, ſenſus eſt juxtâ *V. Scotum* d. 4. Ego veſtram conjunctionem approbo.

6. *Quomodò Parochi procedere debeant in aſſiſtentia Matrimonii Vagorum?*

℞. Juxta *Trid.* Ses. 24. c. 7. *de Reformatione Matrimonii*; hæc cautela datur, ut feſtinanter non deſcendant ad confirmandum Matrimonium: niſi prius diligenter inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint,

7. *Eſt ne validum Matrimonium inter abſentes, nempè per Procuratorem vel Epiſtolam?*

℞. Affir-

℟. Affirmativè: quia etiam sic adest ratio veri contractûs vel mutui consensûs.

8. *Ad quid institutum est Matrimonium?*

℟. Propter duo, nempè: propter educandam prolem, & mutuum obsequium viri & mulieris juxta illud Apost: *Melius est nubere quàm uri.* 1. ad Cor. 7.

9. *Qui sunt Effectus Matrimonii?*

℟. Præter gratiam habitualem & Sacramentalem, quæ sunt communes aliis Sacramentis, trià alià numerantur bona, nempè: *Sacramentum, Fides,* & *Proles.*

10. *Quæ ætas requiritur ad contrahendum Matrimonium?*

℟. In Fæminis annus 12. completus, in viris 14. Si tamen certò constat malitiam supplere ætatem in aliquo ex conjugibus, potest contrahi matrimonium, etiam ante præscriptam ætatem absque recursu ad sedem Apostolicam (nisi pro majori actûs solemnitate) quià juxta Epistolam Encyclicam Benedicti XIV. ad Archiepiscopos Regni Poloniæ, quæ incipit: *Magnæ Nobis &c.* Episcopi ipsi jure suo possunt pronunciare, an malitia ætatem suppleat. Quoties autem malitia supplet ætatem, facultas contrahendi Matrimonium ante præscriptum ætatis tempus, ab ipsa Legum & Canonum dispositione habetur.

SPONSALIA.

11. *Quid sunt Sponsalia?*

℟. Sunt promissio vera, voluntaria, deliberata, ac mutua, signô sensibili expressa, futuri Matrimonii inter Personas jure habiles.

12. *Quæ requiruntur ad valorem Sponsalium?*

℟. Hæc quinque: 1. Ut sit promissio vera &

non

non ficta. 2. Ut sit voluntaria. 3. Ut sit mutua. 4. Ut sit sufficienter verbis aut nutibus expressa. 5. Requiritur tam in masculo, quàm fæminâ annus septimus completus, nisi prudentia præveniat ætatem, quia tunc potest rationalis haberi consensus. Ut patet ex C *Juvenis* Non requiritur autem præsentia Parochi aut testium, ut communis Ecclesiæ praxis ostendit. Neque etiam requiritur consilium aut consensus Parentum: juxta *Trid*: Ses 24. c. 1. Ut tamen licitè fiant Sponsalia, debent à parentibus liberi consensum unà cum benedictione postulare ne inducant in se maledictionem.

13. *Qui & Quot sunt Effectus Sponsalium?*

℟. Sunt tres: 1. Obligatio ea implendi, & quidem sub mortali culpa, etiamsi non sint jurata, ut C. 1. *de Sponsa duorum.* 2. Impedimentum publicæ honestatis. 3. Inhabilitas his stantibus alià ad-implendi. Unde obligatus per sponsalià ad Matrimonium, si illud absque justa causa contrahere renuit, debet ab Ordinario loci compelli, etiam pænâ Excommunicationis, ut mandat *Trid.* Ses. 25.

14. Quibus de causis dissolvi possunt Sponsalia? vide in *Felici Potestate* t, 1. p. 4. n 3939.

DENUNTIATIO

15. *Quid est Denuntiatio?*

℟. Est Proclamatio publica in facie Ecclesiæ de Matrimonio duorum inter se contrahendo, facta ad eum finem, ut si aliquod sit impedimentum inter contrahentes, à fidelibus detegatur. Quæ denunciatio fieri debet omninò trina ante Matrimonium sub peccato mortali, tam Parochi, quàm contrahentium, uti præcepit *Trid*: Ses. 24. c. 1.

16. *Potestne Ordinarius dispensare, ut absque omni denuntiatione, vel unâ tantum præmissâ contrahatur Matrimonium* ℟.

℞. Affirmativè; Ex justa causa, ut si VG. per denuntiationem fiat infamatio contrahentium, aut irrisio, quia vel Concubinarii sunt, vel valde Senes, aut dispares vel si ambo vagi vel ignoti; gratis enim de illis fieret denuntiatio, siquidem non noscuntur à Parochianis. Benè tamen facit Ordinarius, si à talibus juramentum exigat, quòd sint liberi, vinculò Matrimonii aut sponsalium non ligati.

JMPEDIMENTA Matrimonii.

17. *Quid est Impedimentum Matrimonii?*

℞. Est: Obstaculum quoddam impediens, ne licitum aut validum fiat Matrimonium.

18. *Quotuplicia sunt Impedimenta?*

℞. Duplicia: Alia *Impedientia* tantum. Et Alia *Dirimentia.* Priora Matrimonium illicitum reddunt. Posteriora vero illicitum & invalidum.

§. I.

De Impedimentis Impedientibus tantum.

1. *Quot sunt impedimenta impedientia?*

℞. Licet ante *Trid.* fuerint plura, nunc tamen quatuor solum numerantur, videlicet: *Interdictum, Sponsalia, Crimen,* & *Votum.*

2. *Quid intelligitur per Interdictum?*

℞. Intelligitur certum tempus ab Ecclesia institutum, quô prohibentur nuptiæ solemnes celebrari. Tale autem tempus juxta *Trid:* est: ab Adventu ad Epiphaniam, & à feria quarta Cinèrum usque ad Octavam Paschæ inclusivè. De licentià tamen Ordinarii possunt his temporibus celebrari Sponsalia & Matrimonia absque solemnitatibus tamen.

3. *Quid Intelligitur per Sponsalia?*

vide supra 9.

4. *Quid intelligitur per Crimen?*

℟. Intelliguntur ſeptem delicta his verſibus expreſſa.

Inceſtus, Raptus ſponſæ, Mors Mulieris,
Suſceptio propriæ Sobolis, Mors Presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium ſocianda.

Nunc autem ſunt talia crimina ſex, quia non eſt modò in uſu publicas pœnitentias in Eccleſiia agere, ſicuti fuit mos antiquitùs, quo tempore pœnitenti non licebat nubere.

Explicantur hæc Crimina.

Inceſtuoſus eſt ille, qui peccat carnaliter cum conſangvinea.

Raptum committit, qui rapit alienam ſponſam; pro quo neque cum alia poteſt licitè contrahere Matrimonium.

Qui occidit Uxorem, aut Presbyterum, prohibetur nubere.

Qui eſt Patrinus propriæ Sobolis ex mala intentione, nempè: ut cognationem contrahat ſpiritualem cum Conjuge, & ſic privet eum jure petendi debitum; talis in pænam, poſt mortem conjugis prohibetur aliud inire Matrimonium.

Qui ſcienter contraxit Matrimonium cum Moniali profeſſa, in tali caſu & contractus illius Matrimonii eſt nullus, & contrahens in pænam peccati, non poteſt aliam ducere.

5. Hæc tamen crimina tacitè ſolent diſpenſari ab Ecclesia, ut advertit *Navar*: *Sanch*: & alii, eò quia pro diſpenſatione illorum, non ſolet fieri recurſus ad ſedem Apoſtolicam.

6. *Quid intelligitur per Votum?*

℟. Non debet intelligi votum ſolemne Caſtitatatis, quia tale votum non ſolum impedit, ſed etiam

tiam invalidat Matrimonium, ut dicetur inferiùs; sed sermo èst de voto simplici castitatis, vel ingrediendæ Religionis, vel suscipiendi Sacros Ordines, aut non nubendi. Unde cum tali voto Matrimonium contrahens, si dispensationem non obtineat, non solum peccat mortaliter, sed etiam debitum conjugale licitè petere non potest, licèt reddere teneatur, quia aliàs innocenti parti fieret injuria.

7. *Nota* tamen, quòd Confessarii Regulares possunt dispensare cum conjugibus ad petendum debitum conjugale; qui ante contractum Matrimonium hujusmodi votum emiserint simplex castitatis *Toran:* n. 10 *ex Pio V.* 28. *Octobr.* 1569. Secus verò dicendum est, si post contractum Matrimonii hujusmodi votum emiserint, nisi unus illorum id fecerit cum vel absque licentia alterius. *Portel.* n. 17.

8. *A quo possunt dispensari illa impedimenta?*

℟. Ab Episcopo; excepto tamen voto Castitatis ac Religionis, nec non solemniter celebrandi nuptias tempore prohibito.

9. *Nota* autem ex *Mastrio* d. 20, q. 5. art. 4. quod Summus Pontifex potest dispensare in omnibus impedimentis jure Ecclesiastico, non solum impedientibus, sed etiam dirimentibus Matrimonium. Ratio est, quia in cujus potestate est legem ponere, in ejus potestate est, dispensare in illa; Sed summus Pontifex est Conditor Juris Ecclesiastici; ergo etiam & Dispensator.

10. In illis tamen, quæ dirimunt jure Divino, dispensare non potest; quia dispensatio, est juris relaxatio, Papa autem non habet potestatem in jus naturale & Divinum, cum hæc sint superioris Ordinis. Habet tamen potestatem declarandi & interpretandi, quando præcepta naturæ obligant, quando non, in quibusdam gravissimis casibus, &

sic

ſic habet poteſtatem diſpenſandi declarativè in jure naturali & Divino; ut patet etiam ex praxi de Caſimiro Rege Poloniæ Diacono apud Benedictinos, & Conſtantia Sanctimoniali Rogerii Siciliæ Regis Filia, quam Cæleſtinus Papa diſpenſavit, ut poſt profeſſionem Henrico VI. Regi nuberet.

§. .2

De Impedimentis Dirimentibus.

1. *Quot ſunt Impedimenta Dirimentia?*

℟. Ante *Trid.* fuerunt 12. poſtea *Trid.* addidit alia duo: nempè *Raptum*, & *Abſentiam Parochi*, unde modo ſunt 14. his verſibus expreſſa:

Error, conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs Diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis Affinis, ſi forte coïre nequibis,
Si Parochi, aut duplicis deſit præſentia Teſtis.
Raptaque ſit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc ſocianda vetant, connubia facta retractant.

2. *Quotuplia ſunt hæc Impedimenta?*

℟. Duplicia: Alia, quæ invalidant Matrimonium jure naturali & Divino, & talia ſunt quinque Error, Impotentia perpetua, Conſangvinitas in primo gradu, Vis, & Ligamen. Et alia quæ invalidant ſolum jure Eccleſiaſtico, & hujusmodi ſunt reliqua novem

Explicantur hæc Impedimenta Dirimentia.

I. ERROR.

3. *Quotupliciter poteſt contingere error in Matrimonio?*

℟. Dupliciter: Unus circa Subſtantiam Perſonæ, ut ſi quis ducat Annam, putans eſſe Helenam. Et alius circa qualitatem Perſonæ, ut ſiquis ducat

Annam putans illam esse nobilem, divitem, Virginem, quam postea talem non invenit.

4. Error circa Substantiam Personæ semper invalidat Matrimonium; quia taliter errantis nullus est consensus, nihil enim est volitum, nisi præcognitum, non præcognita autem fuit Anna, sed Helena. Error autem circa qualitatem Personæ per se non dirimit Matrimonium. Ratio est, quia in tali casu contractus, quo ad essentiam est voluntarius, nam intentio nubendi VG. cum Rosa, non respicit qualitatem illam in Rosa (VG. Nobilitatem) per se & tanquam objectum, sed tanquam aliquid accidentale objecto per se.

5. Si tamen Matrimonium dependebit à qualitate tanquam à conditione, ut si VG. contrahens diceret sive expressè, sive intra se: Duco te in uxorem si Virgo es, tunc utique dirimeret Matrimonium, etiam qualitatis error, nam si non reperiret virginem, nullus esset illius consensus.

II CONDITIO.

6. *Quid intelligitur Nomine Conditionis?*

℞. Intelligitur Status servilis alicujus ex contrahentibus, & quidem non qualiscunque servitus, sed illa, quæ mancipium reddit ita subditum Domino, ut ab illo possit vendi pro suo libito.

7. *Quandò Error Conditionis invalidat Matrimonium?*

℞. Tunc, quando Conditio errantis fit deterior; ut dum libera contrahit cum servo, quem credebat esse liberum. Ratio est, quia Ecclesia hoc impedimentum apposuit, ut non fiat injuria liberis Personis, magna autem esset injuria illius liberæ, quæ Mancipio traderet suum corpus, & sic ratione vinculi cum ipso fieret aliquomodo mancipium.

8. Quando autem Matrimonium contractum fuisset cum errore Conditionis, ita ut Persona, cum qua contrahitur, esset æqualis aut melioris conditionis, quam ille, qui sic erraret, non esset invalidum, ut si VG. servus contraheret cum serva, quam putabat esse liberam, aut cum libera, quam judicabat esse servam. Ratio est, quia in utroque casu conditio contrahentis non est deterior, sed in primo casu est æqualis, in secundo melior est, & sic nulla est injuria erranti.

III. VOTUM

9. *Quale votum est Impedimentum dirimens Matrimonium?*

℟. Votum solemne; Et tale votum duplex est, duntaxat, nempe: Professionis Religiosæ, & votum Castitatis sacris Ordinibus annexum. Et hoc votum, si sit emissum ante Matrimonium, invalidat illud, si verò post initum Matrimonium emitteretur, nullum esset, quia prior contractus Matrimonii destrueret valorem ejus. Taliter tamen vovens non posset petere debitum conjugale, licet reddere teneretur.

IV. COGNATIO

10. *Quid est Cognatio?*

℟. Est quædam conjunctio inter certas Personas.

11. *Quotuplex est Cognatio?*

℟. Triplex: Legalis, Spiritualis, & Naturalis. *Legalis* est; Propinquitas Personarum ex adoptione proveniens.

12. *Quid est Adoptio?*

℟. Est: Personæ extraneæ in Filium, aut Filiam legitima assumptio.

13. *Quotuplex est Adoptio?*

℟. Duplex: Una *Perfecta*, quæ etiam Arrogatio dicitur. Altera *Imperfecta*, seu simplex. Perfecta est, per quam Persona extranea transit in potestatem Adoptantis, & fit hæres illius necessarius, non minus ac Filii naturales. Et talis adoptio fit non nisi authoritate supremi Principis. Imperfecta est, per quam Adoptatus non transit in potestatem Adoptantis, (quia est sub potestate Patris sui naturalis) & non est hæres necessarius in testamento, sed tantum ab intestato.

14. Conveniunt omnes D. D. ex Adoptione Perfecta oriri cognationem Legalem Matrimonium dirimentem. Utrum autem oriatur ex adoptione imperfecta ? aliqui negant: alii autem cum *V. Scoto.* in 4. d. 40. q. *Unic.* affirmant. Ratio est, quia etiam talis adoptio est vere & proprie Adoptio. Tum quia ubi Jura non distingvunt, neque nos distingvere debemus, jura autem hac in re indistinctè loquuntur de adoptione absolutè sumptâ.

15. *Quid est Cognatio Spiritualis* :

℟. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 42. q. Un. Est: quoddam vinculum inter certas Personas contractum ex dispensatione Sacramentorum Baptismi & Confirmationis.

16. Hæc Cognatio est ex solo jure Ecclesiastico statuta, ut patet in *Trid.* Ses. 24. c. 2. Ratio autem congruitatis est, cur Ecclesia hanc Cognationem Spiritualem constituerit, potiùs ex susceptione Baptismi & Confirmationis, non verò aliorum Sacramentorum, quia sicuti per generationem naturalem contrahitur naturalis cognatio, ita etiam per generationem Spiritualem, quæ fit per hæc Sacramenta, constituitur cognatio Spiritualis, & sicuti cognatio naturalis dirimit Matrimonium, ita & Spiritualis.

17.

17. *Quot Personas afficit hæc Cognatio Spiritualis?*

℟. Licet ante *Trid:* plures afficiebat, nunc tamen solum versatur inter Sex. 1. Inter baptizatum & confirmatum, & inter baptizantem & confirmantem. 2. Inter baptizatum vel confirmatum & inter Patrinum vel Matrinam (Et hæ duæ cognationes vocantur Paternitas & Filiatio Spiritualis) 3. Inter Patrem & Matrem baptizati vel confirmati, & inter baptizantem vel confirmantem. 4. Inter Patrem & Matrem baptizati, ac inter Patrinum & Matrinam.

18. *Nota* tamen, quod dum administratur privatim baptismus, non contrahitur cognatio Spiritualis à baptizato cum Patrino vel Matrina, neque à Patrino & Matrina cum Patre & Matre baptizati. Ratio est, quia Cognatio Spiritualis ex parte illorum non contrahitur præcisè propter munus; quod exercent, sed quia illud exercent solemniter. Jlle tamen baptizans semper contrahit cognationem Spiritualem, etiamsi absque solemnitate baptizet, exceptô casu summæ necessitatis, ut dum maritus suam prolem morientem baptizat,, protunc nullam incurrit cognationem.

19 Si plures quam duo concurrunt Patrini, illi tantum contrahunt cognationem Spiritualem, qui à Parentibus, vel horum locô à Parocho ad munus Patrini sunt designati, ut statuit *Trid*: Ses. 24, c. 2 Quod si plures à Parentibus vel ab ipso Parocho adhibeantur Patrini, omnes cognationem Spiritualem contrahent, ut docet P. Kloz l. 4. t. 11.

20. *Quid est Cognatio Naturalis?*

℟. Est: Vinculum Personarum, quæ ab eodem proximo stipite per carnalem propagationem descendunt. Et hæc Cognatio vocatur etiam Consangvinitas, quæ distingvitur per lineas & gradus.

21: *Quid intelligitur per Lineam?*

℟. Intelligitur collectio Personarum tam ascendentium quàm descendentium ab uno eodemque stipite. Stipes autem vocatur Persona illa, à qua descendunt vel ascendunt.

22. *Quid Intelligitur Per Gradum?*

℟. Intelligitur mojor vel minor distantia unius Personæ ab alia secundum lineam Consangvinitatis.

23. *Quotuplex est Linea?*

℟. Duplex: *Recta* & *Collateralis*. Recta est illa, secundum quam multæ Personæ descendunt ab uno stipite, ita ut una sit genita ab alia VG. Filius à Patre, Nepos à Filio. Collateralis est illa, secundum quam multæ personæ ab uno Stipite procedunt, ipsæ tamen personæ à se invicem non descendunt, ut est VG. Frater & Soror.

24. *Quotuplex est Linea Recta?*

℟. Duplex: alia *Descendens*, quæ est à persona generante ad genitas, ut Pater, Filius, Nepos &c. Et alia *Ascendens*, quæ est à Persona genita ad generantem, ut Pater, Avus, Proavus, &c.

25. Ad dignoscendos ipsius Consangvinitatis gradus, quomodo nempe una persona distet ab alia, tres generales assignat regulas *V. Scot:* in 4. d. 4. q. Un.

Prima Regula est, quod in linea recta tot numerantur gradus, quot generationes sunt. Unde Pater & Filius in primo gradu sunt, quia Filius à Patre una generatione descendit. Nepos vero, quia ab eo duabus generationibus descendit, est in secundo gradu, & sic deinceps.

Secunda Regula est, quod in linea collaterali æquali (quæ est inter personas à communi stipite æqualiter distantes) tot gradibus personæ singulæ conjun-

Abavus 4.
Propatruus 4
Proavunculus 4.
Horū Filius 4.
Horū Filius 4.
Eorū Nepos 4.
Proavus 3
Patruus 3.
Avunculus. 3.
Eorū Nepos 4.
Eorū pronepos 4.
Eorū pronep. 4.
Sobrin. 3
Avus. 2.
Sobrius 3.
Horū Filius. 3.
Patruus 2.
Avunculus. 2.
Horū Filius 3.
Eorū Nepos 4.
Eorū Nepos 4.
Amiting 2.
Pater 1.
Consobrinus 2.
Frater 1.
Soror. 1.
Horum Filius. 3.
Horum Filius. 3.
Eorū Nepos 4.
Eius Filius. 2
Petrus
Eius Filius. 2.
Eorū Nepos 4
Nepos 3.
1. Filius.
Eius Nepos 3.
Pronepos 4.
Sororis Pronepos 4.
2. Nepos
3. Pronepos
4. Abnepos

Arbor Consangvinitatis

conjunguntur inter se aut distant, quot gradibus conjunguntur aut distant à communi Stipite. Unde Frater & Soror sunt in primo gradu lineæ collateralis, quia in primo gradu conjunguntur cum communi Stipite nempe Patre.

Tertia Regula est, quod in linea collaterali inæquali (quæ est inter Personas à communi stipite inæqualiter distantes) tot gradibus unus conjungitur alteri, & ab eo distat, quot gradibus remotior perso a distat à communi stipite, & ei conjungitur. Unde Patruus & Nepos sunt in secundo gradu, quia eodem gradu distat Nepos ex Fratre ab Avo, qui est stipes utriusque.

26. Hæc Cognatio dirimens Matrimonium extendebat se olim usque ad septimum gradum, postea autem ab *Innocentio III.* & *Trid.* Ses 24. solum ad quartum gradum inclusive extendi potest.

V. CRIMEN.

27. *Quotuplex est Crimen dirimens Matrimonium?*

℟. Duplex: 1*mum* est: Homicidium seu Occisio conjugis; *Alterum* vero Adulterium.

28. *Quot conditiones requiruntur ad hoc, ut Homicidium seclusô Adulteriô dirimat Matrimonium?*

℟. Quatuor: 1*ma*, ut Uxor occidat Maritum sive per se, & immediate, sive per alium jubendo vel consulendo 2*da* Ut vir & fœmina, qui Matrimonium contrahunt ambo simul in mortem conjugis conspirent. 3*tia* Ut in finem contrahendi secum Matrimonium, machinentur in mortem. 4*ta* Ut ipsa mors sequatur realiter ex eorum actione, & non alia de causa.

29. Similirer etiam Adulterium, ut sit impedimentum dirimens Matrimonium, requirit aliquod ex his tribus peccatis. Vel quia conjungitur cum

Homi-

Homicidio conjugis. Vel quia post factum Adulterium, adest promissio Matrimonii futuri cum adulterante. Vel etiam, quia actu adulterantes contrahunt secum clandestinum Matrimonium, vivente altero conjuge adulterantis.

VI. CULTUS DISPARITAS

30. *Quid intelligitur per Disparitatem Cultûs?*

℞. Intelligitur diversitas Religionis inter contrahentes Matrimonium, dum videlicet infidelis cum fideli, vel fidelis cum infideli contrahit. Infidelis autem hic sumitur pro non baptizato, ut est VG. Judæus Gentilis &c. & etiam Catechumenus, qui esto jam habeat fidem, quia tamen nondum ingressus est per januam Sacramentorum, scilicet baptismum, ideo non potest accedere ad Sacramentum Matrimonii.

31. *Validumne est Matrimonium fidelis cum Hæretico?*

℞. Validum, sed illicitum; adeoque pro dispensatione recurrendum est ad Sedem Apostolicam cum expressione partis infidelis, ne indigni gaudeant dispensationis gratiâ, ut monet Benedictus XIV. in Epistola Encyclica ad Episcopos Regni Poloniæ, quæ incipit: *Magnæ Nobis*, data 29. Junii 1748.

Obtentâ autem dispensatione has conditiones hujusmodi conjuges servare debant ex eadem Epistola. *1mò* Ne conjux fidelis ab Hæretico pervertatur, sed potius illa tenetur pro viribus hunc ab errore retrahere. *2dò* Ut proles utriusque sexûs ex illo Matrimonio procreanda in Catholicæ Religionis Sanctitate educetur.

32. *Quando ex conjugibus infidelibus unus convertitur ad fidem, & alter non, an conversus possit deserere conjugem infidelem, & nubere fideli;*

℞.

℞. Affirmative, etiamsi infidelis cohabitare vellet cum converso pacificè, & absque injuria Creatoris, ut patet 1. ad Cor. c. 7 ubi Apost. ait: *Quod si fidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est Frater aut Soror in hujusmodi.* Tum quia ut notat *Laym.* l. 5. t. 10. p. 2. Romæ consuetudo est, quod dum Judæus aut Judæa convertitur ad fidem, 40 dies assignantur ad deliberandum, quibus expletis, si alter conjugum converti renuat, separatio inter illos instituitur.

33. Quod si ambo infideles convertantur ad fidem Catholicam, possunt & debent in Matrimonio prius contracto permanere, in quo casu, si vir infidelis plures haberet uxores, debet cæteris dimissis primam retinere, si velit converti. Ratio est, quia cum Polygamia sit jure Divinò prohibita, talis cum prima non nisi validum contraxit Matrimonium. Quod si prima Uxor nolit converti, poterit pro libitu suo ex antiquis suis uxoribus copulare sibi in Matrimonium, vel etiam quamcunque aliam, ut notat *P. Kloz* l. 3. t. 33.

34. Advertendum tamen est, quod dum unus Conjugum fidelium apostatat à fide, secundus, etiamsi innocens, non potest alteri nubere, stante vitâ Apostatæ. Ratio est, quia inter tales non solum Matrimonium fuit validum in ratione vinculi & contractûs, sed etiam in ratione Sacramenti. Ex qua ratione habetur clara disparitas, cur infidelis maritatus conversus ad fidem potest aliud inire Matrimonium, non autem fidelis, cujus conjux apostatavit à fide. Quia videlicet inter infideles contractum Matrimonium, nullum fuit in ratione Sacramenti, inter fideles autem fuit Matrimonium validum etiam in ratione Sacramenti. Tum quia hoc specialiter concessit Christus in favorem ad fidem, ut patet 1. Cor. c. 7.

VII.

VII. VIS

35. *Quid per vim intelligitur?*

R. Gravis metus injuste incussus, quando nimirum aliquis per vim ad contrahendum inducitur Matrimonium, quod nullomodo contraxisset, nisi ad illud per vim compulsus fuisset. Taliter enim contractum Matrimonium est nullum, non solum jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturali & Divino, propter defectum libertatis ad contractum Matrimonii requisitæ.

VIII. RAPTUS.

36. *Quid est Raptus Dirimens Matrimonium?*

R. Juxta *Trid.* Ses. 24, est violenta abductio fœminæ in ordine ad contrahendum Matrimonium.

37. *An committitur Raptus, si fæmina abducatur de domo Parentum, precibus, blanditiis, donis aut promissis?*

R. Negativè, quia tunc non erit violenta abductio. Similiter dum educitur invitis parentibûs, aut illis, sub quorum cura est, ipsâ verò consentiente, non committitur talis raptus. Ratio est, quia *Trid.* loc cit. de illo tantum loquitur Raptu, quo læditur libertas ad Matrimonium requisita. in casu autem hæc non læderetur, siquidem non libertas Parentum, sed ipsius fæminæ contrahentis est necessario requisita ad valorem Matrimonii,

38. Item, dum fæmina rapitur non propter contrahendum Matrimonium, sed causâ satiandæ libidinis, non fit Raptus dirimens Matrimonium, ut notat *Dian. Sanch. & alii.* Ratio eorum est, quia qui fæminam rapit, solum ad explendam libidinem non violat libertatem ad Matrimonium requisitam, quia per hoc non supponitur ab illo cogi ad Matrimonium.

39. Hoc impedimentum jure antiquo ita dirimebat Matrimonium, ut, etiamsi rapta in pristinam libertatem remissa, consentire & contrahere vellet cum suo Raptore, nullatenùs valide fieret Matrimonium. Jure autem novissimo *Trid*: Ses. 24. c. 6. solum protunc irritatur Matrimonium, quando Rapta in potestate Raptoris manet, postquam autem in locum liberum restituta fuerit extra potestatem Raptoris, potest cum eodem contrahere, si velit, absque ulla impedimenti dispensatione.

IX ORDO

40. *Per Impedimentum Ordinis quid intelligitur?*

℞. Tres Sacri Ordines, qui non solum ratione voti solemnis castitatis, quod habent annexum, sed etiam ratione Ordinis dirimunt Matrimonium, ita ut si clericus initiatus his Ordinibus, aut aliquo illorum, contraheret Matrimonium, nullum esset, ut patet ex *Trid.* Ses. 24. c. 9.

X. LIGAMEN

41. *Per Ligamen Quid intelligitur?*

℞. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 33. intelligitur: vinculum viri cum Uxore post contractum legitimum Matrimonium sive consummatum, sive tantummodo ratum; quam diu enim hoc vinculum durat, Matrimonium cum quovis alio contrahendum impedit ac dirimit, non tantum jure Ecclesiastico, sed etiam Divino, ut patet ex verbis Christi *Math*: 19. *Quicunque dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mæchatur.*

XI. HONESTAS

42. *Quid intelligitur per Honestatem?*

℞. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 71. intelligitur: Propinquitas quædam jure Ecclesiastico introducta,

orta

orta ex sponsalibus inter sponsum & consangvineos sponsæ, vel è contra inter sponsam & consangvineos sponsi aut etiam oriens ex Matrimonio rato nondum consummato inter Maritum & consangvineos Uxoris, & è contra.

43 Hoc impedimentum jure Ecclesiastico invalidat Matrimonium contractum cum persona consangvinea illius, cum qua sponsalia vel Matrimonium ratum inierat. Quod jure antiquo dirimebat Matrimonium inter sponsum & consangvineos sponsæ usque ad quartum gradum. Jure tamen novo *Trid.* Ses. 24. c. 3. ultra primum gradum non extenditur. Unde si quis contraheret sponsalia cum Anna; illâ mortuâ non posset cum ejus matre vel sorore contrahere, quia sunt in primo gradu, in cæteris autem gradibus posset.

XII. AFFINITAS


44. *Quid intelligitur per Affinitatem?*

℟. Juxta Doct:· Subtil: in 4. d: 41. intelligitur: vinculum quoddam Personæ ad Personam ex carnali copula, cum persona alteri consangvinea contractum, sive hæc copula sit licita, sive illicita.

45 *Inter quos Affinitatis Impedimentum contrahitur?*

℟. Inter consangvineos Viri cognoscentis fæminam, & ipsam fæminam cognitam, & è contra inter consangvineos fæminæ cognitæ, & inter ipsum virum cognoscentem, ut si VG. Petrus habeat copulam cum Anna, fit affinis cum consanguineis Annæ, & quidem in eo gradu, in quo sunt ipsi consangvinei Annæ, cum ipsa Anna.

46. Licet autem Petrus fiat Affinis cum consangvineis ipsius Petri, Consangvinei tamen Petri, & consangvinei Annæ nullo jure sunt consangvi-



Arbor Affinitatis

nei inter se, quia affinitas non parit affinitatem. Tunc autem nonnisi dirimit, quando ante Matrimonium contrahitur, quod si post contractum committatur, solum impedit committentem, ne possit licite petere debitum à suo conjuge.

47. *Nota* tamen, quod Confessarii Mendicantes possunt dispensare cum conjugibus incestuosis in primo & secundo gradu, ad petendum Matrimoniale debitum. Ita *Franc*: *Toran*: &c.

48. Affinitas orta ex copula illicita, dirimit Matrimonium ad secundum duntaxat gradum, orta autem ex copula licita, dirimit usque ad quartum, ut notat *Trid* Ses. 24. c. 4.

49. Affinitatis gradus mensurantur juxta gradus Consangvinitatis, unde distantia vel propinquitas affinitatis mensuranda est juxta distantiam vel propinquitatem graduum consangvinitatis cum ea Persona, per quam contrahitur affinitas. Quare stipes in affinitate, sunt illæ duæ personæ, quæ se carnaliter cognoscunt.

50. Ad cognoscendam affinitatis distantiam vel propinquitatem, talem assignat regulam *V. Scotus* loc: cit. *Quotô gradu consangvinitatis aliquis distat ab alio, totô gradu affinitatis ab eodem distat illa, quæ est ab isto carnaliter cognita.*

XIII. IMPOTENTIA

51. *Per Impotentiam quid intelligitur?*

℟. Inhabilitas perpetua ad consummandum Matrimonium, sivè hæc impotentia proveniat ex parte viri, sive ex parte fæminæ.

52 *Quotuplex est Impotentia?*

℟. Duplex: Una *Perpetua*, quæ nullâ arte & nullô modo tolli potest. Et alia *Temporalis*, quæ solum ad tempus impedit copulam, VG. propter ægritu-

gritudinem fæminæ, vel propter frigiditatem viri.

53. Item alia est *Antecedens*, & alia *Consequens* Matrimonium.

54. *Quæ Impotentia irritat Matrimonium?*

℞. Impotentia perpetua & antecedens Matrimonium, cum enim finis primarius Matrimonii sit prolis generatio, debet in conjugibus præsupponere habilitatem ad copulam, siquidem absque hac generatio prolis haberi non potest.

XIV. PRÆSENTIA PAROCHI ET TESTIUM.

55. Ante Conc. *Trid.* validum fuit Matrimonium clandestinum, quod clam seu extra conspectum Ecclesiæ sine præsentia Parochi, & duorum vel trium testium contrahi solebat, nunc autem juxta *Trid.* Ses. 24. *de Refor. Matrimonii* c. 1. pro invalido habetur.

56. Sufficit autem Parochus ad valorem Matrimonii, etiamsi non sit actu Sacerdos, in delegato autem requiritur omnino Sacerdotium. Ratio primæ partis est, quia *Trid.* tantum requirit Parochum sine addito, quod sit Sacerdos. Ratio secundæ partis est, ipsa declaratio *Trid.* ubi in delegato omnino vult Sacerdotium, ut notat *Bossius*.

57. Valida esse Matrimonia Catholicorum sine præsentia Parochi duobus tantum testibus adhibitis in locis Hæreticorum, ubi ob metum vel potentiam Hæreticorum nullus adest Episcopus vel Parochus aut alius Sacerdos ab illis licentiam assistendi habens, ut docet, *P. Kioz* l. 4. t. 3. quia talem casum *Trid.* non supponitur comprehendere.

58. *Quomodo revalidandum sit Matrimonium, habitâ dispensatione Impedimenti dirimentis?*

℞. Debet alter conjunx informari de nullitate

Matrimonii, & facere novum consensum; si autem nullitas Matrimonii absque infamia vel periculo manifestari non posset, tunc non aperto impedimento interrogari debet conjux nullitatis inscius, ita: VG. *Si contractus Matrimonii nostri esset invalidus, an velles me habere Maritum?* Si respondeat affirmativè, tunc & ipse etiam affirmet; quodsi neque tali modo possit haberi consensus, sufficiet copula maritali affectu facta, ut docetur c. ult. *De Conjug. Servo.*

59. *Quando revalidatur Matrimonium debetne adesse Parochus & testes?*

℞. Negativè, etiamsi uterque sciret, nullum esse Matrimonium. Ratio est, quia illud solum debet adesse in revalidatione, quod deficiebat in contractu Matrimonii, solus autem consensus deficiebat, non autem Parochus & testes, quia hi supponuntur adfuisse.

XIV. DIVORTIUM

60. Matrimonium validè contractum, est ita indissolubile quo ad vinculum, ut ex natura sua inter contrahentes nexum requirat perpetuum, & quidem non solum jure Ecclesiastico, sed etiam Divino, ut patet ex illo *Math.* 19. *Qui dimiserit uxorem suam, mæchatur.* Et *Marci* 10.

61. Excepto tamen Matrimonio rato non consummato, quod solvi potest etiam quo ad Vinculum per Professionem Religiosam. Permittitur enim ab Ecclesia cuilibet conjugum bimestre tempus ad deliberandum, utrum velit consummare Matrimonium, vel potius Religionem ingredi, ut habetur in *Trid.* Ses. 24. c. 6. Ratio est, quia ex una parte status Religionis perfectior, quam status Matrimonii: ex altera parte nulla fit injuria alteri

con-

conjugi, siquidem potest æquè benè nubere alteri, ac antea, cum sit Virgo. Quod si consummatum fuerit, nullomodo potest solvi quo ad vinculum, sed solum quo ad thorum, id est, solam obligationem reddendi conjugale debitum, & mutuam cohabitationem, quæ dissolutio vocatur Divortium.

62. Divortium perpetuum quo ad thorum & cohabitationem potest fieri propter commissum adulterium etiam propriâ authoritate innocentis, non expectatâ Judicis sententiâ, præsertim, quando adulterium est publicum. Ita notat *P. Kloz.* In quo casu conjunx innocens potest statum suum mutare, vel per ingressum Religionis, vel per susceptionem sacrorum Ordinum, etiamsi conjunx adulter renuat. Non tamen post factum Divortium potest mutare statum suum conjunx adulter inconsulto innocente, qui si Religionem VG. professus fuerit, aut castitatem voverit, pars innocens invalidare potest. Ratio est, quia divortium fit ab Ecclesia in favorem partis innocentis, ut docet *Sanch. Hurtad. & alii.*

63. *Quænam observari debent ad hoc, ut justè fiat Divortium propter Adulterium?*

1mo. Ut adulterium fiat cum culpa adulterantis, nam si VG. sit uxor cognita ab aliquo per fraudem se virum ejus simulante, vel si per vim fuerit ab alio oppressa, tale adulterium neque sufficit ad divortium, neque excusat virum à reddendo debito, quia non est peccatum, nisi voluntarium, ut docent communiter D. D.

2dò Adulterium non sufficit ad Divortum, ad quod alter conjunx consentit, vel fuit causa illius, quia protunc est particeps ejusdem culpæ, ut VG. vir prostituat uxorem, ut exerceat lenocinium vel quando potest prohibere, & non vult.

3tiò, Adulrerium non sufficit ad Divortium, quan-

quando ab utroq; commissum est conjuge, in tali enim casu injuria uni facta compensatur per injuriam ei ab altero illatam.

4tò Si peccatum remittatur ab innocente expressè vel tacite per petitionem debiti.

5tò Si innocens post factum divortium adulteret, pro tunc enim jam nocens fit, & sic debet alium conjugem admittere, non obstante quod sit divortium factum per sententiam Judicis, nam inter illos semper manet vinculum Matrimonii, ut docent communius DD.

64. *Præter Adulterium suntne etiam aliæ causæ divortii quò ad thorum & cohabitationem?*

℟. Affirmativè, non quidem in perpetuum, sed quàmdiu ipsæ causæ durant.

65. *Quænam hæ sunt causæ?*

℟. *1mà* Causa est: Fornicatio Spiritualis, seu lapsus in Hæresim.

2da est: Sævitia, si nimirum tanta est, ut grave malum indè inferatur, vel inferri timeatur, & facile vitari nequit nisi factô divortiô, ut est VG. verberatio crudelis, aut mors per venenum inferenda.

3tia. Causa faciendi divortium est: grave periculum corporis, ex morbo contagioso alterius conjugis, ut est pestis, lepra, morbus Gallicus &c quod tamen periculum, si est timendum solum ex debito conjugali, non autem ex cohabitatione, tenebitur sanus conjux cohabitare cum infirmo.

66. *Post Divortium teneturne vir uxori præstare alimenta?*

℟. Si ob culpam Mariti fiat Divortium, tenebitur vir alere uxorem, quia ab illa obligatione non liberatur per suam culpam, quam sequitur hujusmodi separatio. Quod si causa Divortii cesset, & ipsa ad maritum redire renuat, non tenebitur ulterius, quia ipsa tunc est in culpa. Ita *Gob.* c. 39.

Si vero divortium fiat ob culpam solius uxoris, non tenetur Maritus eam alere, quia ipsa non fecit, quod debuit: ita La Croix l. 3. p. 1. n. 74.

67. Si tandem Divortium fiat ob culpam utriusque, probabilius manet Maritus obligatus alere uxorem, quia culpa unius compensatur per culpam alterius. Similiter si fiat absque culpa alterius utrius.

68. *Si Uxor non haberet dotem, an tenebitur vir illam alere, post Divortium ex parte sua proveniens?*

℟. Tenebitur, si scivit illam non habituram dotem, nam ducendo illam, tacite se obligavit eam alere, ut docet *Covarr. Rodriq.* contra *Sanch.* & *Bonac.* Quod si dos sit marito promissa, & non reddita, nullô jure manet obligatus, quia se non obligavit alere illam, nisi sub pacto dotis.

69. *An vir teneatur reddere Uxori dotem post Divortium factum ob adulterium ejusdem uxoris?*

℟. Negativè cum *Sanch.* & *La Croix* l. 3. p. 1. n. 716 imò neque Hæredes bonorum Mariti post ejus mor tem tenebuntur ad reddendam dotem, in quo casu, debebunt firmari sententia Judicis.

SECTIO IV.
De Ordine in communi, & ejus Requisitis.

ARTICULUS I.
De Ordine in Communi.

1. *Quid est Ordo?*

℟. Est *Sacramentum in quo Spiritualis potestas traditur Ordinato ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium & Eucharistiam perficiendam;*

2.

2. *Quot ſunt Ordines?*

℟. Septem: *Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Accolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus,* & *Presbyteratus.*

3. *Quotuplices ſunt Ordines?*

℟. Duplices: *Minores & non Sacri,* & tales ſunt primi quatuor. Alii vero *Majores & Sacri,* & tales ſunt reliqui tres.

4. *Quare primi quatuor Minores & non ſacri dicuntur?*

℟. Quia verſantur circa Minora, ac inferiora Miniſteria, & non habent annexum votum Caſtitatis.

Reliqui vero tres dicuntur *Majores & Sacri,* quia & verſantur circa majora Officia, & habent annexum votum ſervandæ Caſtitatis.

5. *Epiſcopatus eſtne etiam Ordo?*

℟. Affirmative. Ratio eſt ex *V. Scoto* in 4. d. 24. q. U. quia Epiſcopo convenit ſpecialis poteſtas, quæ non poteſt dici poteſtas jurisdictionis, quia alias poſſet ab illo auferri, quod nemo concedit, adeoque eſt poteſtas Ordinis.

6. *Concilia & Canones quoties de Ordinibus mentionem faciunt, ſemper ſeptem tantum numerant, nullam faciendo mentionem de Epiſcopatu?*

℟. Quia loquuntur ſolum de Ordinibus ad Sacerdotium requiſitis. Vel etiam prout comprehendunt & ipſum Epiſcopatum, nam Ordo Sacerdotii in duos dividitur gradus, quorum primus nempè ſimplex Sacerdotium verſatur ex Officio circa Baptiſmum, Pænitentiam, Euchariſtiam, Extremam Unctionem, & Matrimonium. Alter vero ſcilicet Epiſcopatus circa Confirmationem & Ordinem.

7. Ex quo patet, quod Epiſcopatus non ita diſtingvitur à Sacerdotio ſicut alii Ordines inter ſe, alii enim Ordines non habent inter ſe connexionem, niſi ex præcepto Eccleſiæ, unde Presbyteratus, VG.

 ſi non

si non habenti Diaconatum, conferretur, esset validus, Episcopatus vero absque Presbyteratu nullus erit.

Papatus, Cardinalatus, & cæteræ dignitates non sunt Ordines, sed quidam sublimiores gradus, Officia, & potestates in Ecclesia DEI.

8. *Omnes isti Ordines suntne unum Sacramentum Ordinis?*

℟. Affirmativè: Quia ad unum finem omnes ordinantur, scilicet ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam conficiendam, & ideo sunt unus Ordo unitate genericâ.

9. *Quotuplex est Materia cujuscunque Ordinis?*

℟. Duplex: Una *Remota*, quæ sunt ipsæ res ab Episcopo porrectæ Ordinando, VG, Liber in Ordinatione Lectoris. Alia *roxima*, quæ est traditio Materiæ remotæ, & ejuPe acceptio.

10. *Quæ est Forma hjus Sacramenti?*

℟. Sunt verba ab Episcopo prolata in traditione Materiæ.

11. *Requiriturnè ad validitatem Ordinis, ut instrumentnm VG, Liber aut Patena tangatur tactû physico immediato?*

℟. Non requiritur, sed sufficit, si illud Ordinatus tangat mediatè VG. per velum; nam Presbyteratûs materia non solum est calix, sed etiam vinum, & tamen illud immediatè non tangitur, sed medio calice.

12. *Quis est Minister Ordinarius Sacri Ordinis?*

℟. Solus Episcopus Minores autem potest conferre & alius Prælatus Ecclesiæ, ut sunt Abbates &c. Extraordinarius vero potest esse etiam simplex Sacerdos ex dispensatione Papæ, excepto Presbyteratu, qui non nisi à solo Episcopo ministrari debet.

13. *Quot sunt Effectus Ordinis?*

R. Quatuor. 1. *Gratia Habitualis.* 2. *Character.* 3. *Gratia Sacramentalis.* 4. *Privilegia.* Per Ordinem enim homo eximitur à jure civili.

14. *Quando fuit institutus Ordo?*

R. In ultima Cæna à Christo dicente: *Hoc facite in meam Commemorationem.*

15. *Quid servari debeat in Ordinatione?*

R. *Primò* servandum est tempus, nam licet Ordines Minores quolibet die Dominico conferri possunt; Majores tamen non nisi in Sabbathis Quatuor Temporum, Sabbatho ante Dominicam Passionis, & Sabbatho Sancto juxta *Trident* Ses. 23. c. 8. Possunt autem ministrari etiam extra hæc tempora obtento à Sede Apostolica speciali Privilegio.

16. Fratres tamen Minores, & alii Regulares Communicationem Privilegiorum habentes ex concessione *Sixti* IV. *Leonis* X. & novissimè *Benedicti* XIII. in Constit. *Summè decet.* possunt ordinari extra tempora à Jure statuta, ut videre est *apud Barbos:* p. 2.

Secundò Servanda sunt interstitia in Ordinatione, præsertim dum Majores conferuntur, ut nempè post Annum Subdiaconus ordinetur in Diaconum, & iterum expectato anno Diaconus fiat Presbyter. Ita *Trident.* Ses. 23. c. 11.

17. Solet etiam præmitti ante Ordinationem jejunium, hoc autem licet sit meritorium, nullibi tamen præceptum invenitur. Similiter de sumptione Eucharistiæ dici debet, præcipue in susceptione Minorum, qui etiam post prandium conferri possunt.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Requisitis ad Ordines.

1. *Quid sunt Requisita ad Ordines?*

℟. Sunt quædam qualitates tam in Ordinando, quàm etiam in Ordinante requisitæ ad hoc, ut validè & licitè ministretur Sacramentum Ordinis.

2. *Quotuplicia sunt hæc Requisita?*

℟. Triplicia: Alia *Ex parte Sacramenti.* Alia *Ex parte Ordinandi.* Et alia *Ex parte Ordinantis.*

3. *Quid requiritur ad validè ministrandum Ordinem Ex parte Ordinantis?*

℟. Sunt hæc 1. Ut sit validè consecratus. 2. Ut habeat intentionem. Ad hoc autem, ut licitè conferat Ordines, debet esse in statu gratiæ, non Excommunicatus, suspensus, aut aliquo Canonico impedimento innodatus. In super debet suos non nisi subditos ordinare, non vero alterius Diœcesis, nisi habeat ab Ordinario licentiam.

4. *Quid requiritur ad validè suscipiendum Ordinem ex parte Sacramenti?*

℟. Materia & Forma, quia hæc sunt partes essentiales ejusdem.

5. *Quæ & Quot sunt Requisita ad validè suscipiendum Ordinem ex parte Ordinandi?*

℟. Sunt quatuor: 1. Ut Ordinadus sit homo & quidem Viator (per Viatorem autem intelligitur ille qui est in hac mortali vita, quasi in via ad Patriam) 2. Ut sit Masculus. 3. Ut sit baptizatus. 4. Ut intentionem habeat.

6. *Quæ & Quot sunt Requisita ad licitè recipiendum Ordinem ex parte ejusdem Ordinandi?*

℟. Sunt Octo: 1. Ut Ordinandus sit in gratia. 2. Ut habeat Confirmationem & primam tonsuram. 3. Ut habeat dimissoriales. 4. Ut sit examinatus.

5. Ut

5. Ut n n sit innodatus aliquâ Censurâ 6. Ut per saltum non ordinetur, sed gradatim post Minores Subdiaconatum accipiat &c. 7. Ut habeat annos à *Trid.* Ses. 27. c. 12 requisitos, nempe pro prima Tonsura, & tribus Minoribus septimum annum completum, pro Accolythatu 12. completum, pro Subdiaconatu 22. inchoatum, pro Diaconatu 23. inchoatum, pro Presbyteratu 25. inchoatum. 8. Si vult initiari Majoribus Ordinibus debet habere titulum Sustentationis. *Quotuplex est titulus?* Vide Sect. 9. Art. 3.

7. *Quotupliciter potest aliquis esse subditus Episcopo?*

℟. Tripliciter: 1. Ratione *Originis*: quatenus in ejus Diæcesi natus est. 2. Ratione *Domicilii*: quatenus in ejus Diæcesi sibi mansionem elegit perpetuam. 3. Ratione *Beneficii*: quatenus habet Beneficium sufficiens in tali Diæcesi ad sustentandam vitam.

8. Fratres Minores ex Const. *Pii V. Etsi mendicantium.* possunt Ordinari à quocunque Catholico Episcopo, qui hac in re mentem Conc. *Trid.* interpretatur, tenor Bullæ, Sect. vero 23. c. 8. dicit: *Neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse, statuens; in Regularibus locum non habere omninò declaramus, ita quod Fratres hujusmodi præfatos etiam S. Ordines à quolibet Antistite gratiam & Communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarii Loci minimè requisitâ licentiâ in locis seu Domibus Fratrum hujusmodi, aut alibi recipere possint.*

9. Licet autem aliqui dicant, hanc Bullam esse revocatam à *Gregorio* XIII ad terminos Conc. *Trid.* Multi tamen cum *Portel*: id negant, quia Constitutio revocatoria *Greg.* non fuit promulgata ob mortem incidentem ejusdem Pontificis.

10.

10. Tutius tamen facient Prælati Regul. dantes Dimissorias literas ad alienum Episcopum cum expressione absentiæ proprii Episcopi, vel alterius causæ ob quam non est habiturus Ordinationes, prout mandavit S. Cong. Conc. *Trid.* 1596. quæ ex quo est posterior Const. *Pii* V. magis ligare debet.

Tum quia Benedictus XIV. 27. Februarii 1746. novissimè hanc rem quietavit in Bulla, quæ incipit: *Impositi Nobis*, in qua expresse statuit irrestrictè pro omnibus Regularibus, ut si illos contingat ab alio, quam à proprio ordinari Episcopo, ultra Dimissoriales literas Superiorum suorum, debent habere alias ab ipso Ordinario proprio, vel ejus Vicario cum expressione causæ, cur transferri ad alium Antistitem debeant, vel scilicet, quia infirmus est Episcopus proprius, vel extra Diæcesim moratur, vel quia non sit habiturus Ordinationes legitimo tempore.

Monet tamen Ssmus in prædicta Bulla omnes Episcopos, ut faciles se exhibeant Regularibus, utens his verbis Synodi *Lateranensis* sub *Leone X. Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ DEI nostri requirimus, ut Fratres ipsos benevolô affectû prosequentes, charitativè tractent, ac benigne foveant &c. & tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes promptâ benignitate recipiant.*

11. *Quæ scientia requiritur ad Ordines suscipiendos?*

R. Ad primam Tonsuram sufficit scientia articulorum Fidei, ultra quam ad quatuor Minores debet uniuscujusque Ordinis notum esse Officium, Materia, Forma & Intentio.

12. Ad Subdiaconatum & Diaconatum requiritur scien-

ſcientia Cenſurarum, & aliarum pœnarum Eccleſiæ notitia Canonum, Rubricarum, Ceremoniarum &c. ut ſuo quisque dignè ſatisfaciat Ordini ac Officio.

13. Ad Presbyteratum requiritur in ordinando, ut habeat illam ſcientiam, quâ poſſet docere populum, & adminiſtrare Sacramenta.

14. Ad Epiſcopatum requiritur, ut ſit Doctor aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel in Jure Canonico. Ita *Trid* Ses. 22. c. 2. & Ses 23 c. 4.

15. *Debentnè òmnes Ordinandi de ſua ſcientiæ examinari?*

℟. Affirmativè. Licet enim antea nos F, F. Minores ab examine faciendo excepti fuerimus, ex Conſt, *Alexandri IV.* & *Sixti IV.* Nunc tamen per *Trid*: hæc privilegia ſunt nobis ſublata. Et non niſi P. P. Soc. JESU poſt *Trid* à Gregorio XIII concesſa in Bulla, quæ incipit: *Pium & utile* in quibus alii Regulares non communicant, ut patet legenti Bullam.

ARTICULUS III
De Intentione.

1. *Quid eſt Intentio?*

℟. Eſt *voluntas aliquid faciendi.*

2. *Quotuplex eſt Intentio?*

℟. Quatruplex. *Actualis, Virtualis, Habitualis, & Interpretativa.*

Actualis eſt illa, per quam quis actu intendit aliquid facere.

Virtualis eſt, Ipſa intentio actualis præterita non retractata, virtualiter permanens in aliquo, quod influit in opus,

Habitualis eſt facilitas quædam generata ex frequen-

quentatis intentionibus actualibus inclinans hominem ad faciliter eliciendas intentiones.

Interpretativa est illa: per quam quis vult aliquid non in se, sed in causa. Ut si quis sciret se in ebrietate aliquod crimen consuevisse facere, talis, dum vult inebriationem, vult etiam consecutive & Crimen.

3. *Quotuplex est adhuc Intentio?*

R. Duplex: Una *Directa*, quâ aliquid in se ipso volumus. Et alia *Indirecta*, quâ volumus causam aut aliquid cum re connexum, vel non impedimus existentiam rei, quam possumus & debemus.

4. *Qualis Intentio requiritur ad valide Ministrandum Ordinem, ac etiam alia Sacramenta?*

R. Licet est optima intentio Actualis; sufficit tamen Virtualis, ut docent communiter DD.

Ad valide autem suscipiendum Sacramentum Ordinis & Matrimonii, licet requiratur intentio Actualis aut Virtualis, non tamen ad alia Sacramenta, ad quæ suscipienda sufficit Habitualis aut Interpretativa. Ratio disparitatis est, quia, cum Ordo & Matrimonium faciant immutationem totius statûs, afferantque gravia onera suscipienti illa, & aliunde non sint simpliciter necessaria ad salutem, ideo requiritur ad illa recipienda omnino perfecta intentio, ne postea in sustinendis oneribus excusatio habeatur. Cæterum alia Sacramenta, aut talia suscipientibus non imponunt onera, aut si imponant, ut VG. Pænitentia, sunt tamen necessaria simpliciter ad salutem.

Ex quo patet, quod major intentio requiritur in Ministro Sacramentorum, quam in suscipiente illa; plus enim semper requiritur ad agere quàm ad pati.

5. *Adhuc Quotuplex est Intentio?*

R. Du-

℟. Duplex: Una *Absoluta*: per quam intenditur aliquid fieri absque ulla conditione. Et alia *Conditionata*; per quam quis intendit aliquid facere cum conditione.

6. Ad hoc, ut valide administret aut suscipiat quis Ordinem, debet habere intentionem absolutam. Ratio est. quia Sacramentum Ordinis est signum efficax gratiæ, non esset autem tale, si adesset intentio Conditionata: nam talis intentio vel esset de futuro, & sic suspenderet collationem Ordinis, quia dependeret à conditione futura Vel esset de præterito, & tunc fieret absoluta, & efficax, si adesset conditio, inefficax ,si deesset.

7. Ex quo patet, quod Episcopus absolutam semper intentionem habet in ordinatione, nam licet ante ipsam protestetur se nolle ordinare eos, qui aliquo impedimento Canonico sunt innodati, tamen format aliam intentionem absolutam, per quam vult ordinare omnes præsentatos. Undè etiamsi irregularis accedat, validè, licet illicitè ordinabitur.

8. In administratione omnium Sacramentorum intentio consistit in voluntate faciendi id, quod intendit S. Mater Ecclesia, sive illa voluntas exprimatur verbo, sive etiam per actum internum.

SECTIO V.
De Pœnis Ecclesiasticis.

1. *Quot sunt Species Pœnæ Ecclesiasticæ?*

℟. Juxta Canonistas sunt septem: *Infamia*, *Depositio*, *Degradatio*, *Irregularitas*, *Excommunicatio*, *Suspensio* & *Interdictum*.

2. *Quid est Infamia?*

℟. Est *Privatio* vel *Diminutio bonæ Famæ*.

3. *Quotuplex est Infamia?*

℟. Duplex: *Juris*, quæ à jure infligitur committenti enorme scelus. Alia *Facti*, quæ facto delicto statim incurritur.

Quia autem aliud est *Jus Civile*, & aliud *Ecclesiasticum*; hinc alii sunt infames, de jure Ecclesiastico, & alii de jure Civili.

4. *Quot sunt Effectus Infamiæ?*

℟. Tres. 1. Irregularitas. 2. Exclusio à Dignitatibus tam Ecclesiasticis, quam Politicis & Civilibus. 3. Incapacitas ad hæreditatem, si consangvinei querelam movent contra infamem.

5. *Quotuplex est Depositio?*

℟. Duplex: *Verbalis*, quæ vocatur simplex: Et *Realis*, quæ idem est ac Degradatio. *Prima* est illa, per quam Clericus arcetur ab Ordine vel Beneficio, vel utroque simul, quam sequuntur aliæ pænæ, ut est Carceratio, condemnatio ad triremes &c.

6. *Degradatio* vero est illa, per quam Clericus solemniter & authenticè non solum privatur beneficio, sed etiam statû Clericali, ita ut à sæculari Judice velut simplex Laicus ad mortem possit condemnari: *à Trident.* Ses. 13. c. 4. Et hæc est omnium pæna gravissima, per quam licet auferatur status Clericalis, non tamen Character, aut potestas Ordinis.

ARTICULUS I.
De Irregularitate.

1. *Quid est Irregularitas?*

℟. Est *Impedimentum Canonicum. susceptionem Ordinum, ac susceptorum usum impediens.* Dicitur *Impedimentum Canonicum*, quia Irregularitas est in-

ducta jure Canonico, non vero naturali aut Divino, unde fœmina, aut non baptizatus non sunt propriè irregulares, quia non sunt impediti jure Ecclesiastico, sed Divino.

2. *Irregularitas estnè Censura?*

℟. Negativè. Ratio est, quia Censura, cum sit pœna medicinalis, necessario præsupponit culpam in Censurato; Irregularitas vero est purum impedimentum, non necessario præsupponens culpam, namsi aliquando requirit culpam, ut est Irregularitas *Ex delicto*, non fertur tamen ut pœna, sed tanquam impedimentum, proveniens ex delicto.

3. *Quotuplex est Irregularitas?*

℟. Duplex: *Totalis* & *Partialis*. *Prima* privat omnis Ordinis susceptione, & suscepti exercitiô. *Altera* verò impedit alicujus tantum Ordinis susceptionem, aut suscepti exercitium, ut V G. carens oculô sinistrô, est quidem inhabilis ad Sacerdotem; non tamen ad alios Ordines.

4. *Quotuplex est adhuc Irregularitas?*

℟. Duplex: Una *Ex delicto*, quæ incurritur propter aliquod delictum in jure expressum. Alia Ex *defectu*, quæ est à jure imposita ob indecentiam, quam talis & talis defectus affert Sacro Altari & Ministerio.

5. *Quot sunt Delicta, ex quibus contrahitur Irregularitas?*

℟. Sunt septem. 1. Iteratio Baptismi voluntaria & absoluta. 2. Violatio Censuræ in susceptione vel exercitio Ordinum. 3. Indebita susceptio Ordinis (puta furtive aut per saltum) 4 Exercitium illius Ordinis, quem non habet, VG. Si Diaconus Missam celebraret. 5. Hæresis vel Apostasia quæcunque à fide. 6. Irregularitas incurritur ex delictis infamibus seu infamiam inducenti-

bus

bus, sive illa infamia sit imposita à jure Canonico, sive à jure civili. 7. Contrahitur Irregularitas ex homicidio vel mutilatione alterius, vel etiam sui ipsius. Quæ delicta his versibus exprimuntur,

Hæreticus, Baptismum iterans, Mutilans, Homicida,
Famosus, Violans censuras, unde ligatur,
Improbe suscipiens, & tractans Ordinis Acta.

6. *Quid requiritur ad hoc, ut incurratur Irregularitas Ex delicto?*

℞. Requiritur actus externus, consummatus & mortalis. *Externus* quidem, quia actus interni non subjacent potestati Ecclesiæ. *Consummatus* vero, quia ad incurrendam Irregularitatem ex homicidio VG. non sufficit desiderium aut Conatus inferendæ mortis, quia lex requirit expresse factum, ut advertit *Suar*, D. 44 S 3. *Mortalis autem*; quia cum Irregularitas *Ex delicto* sit impedimentum magni boni, debet provenire ex gravi culpa.

Ab incurrenda Irregularitate *Ex delicto* excusat Ignorantia Juris vel facti, ut docet *Suar. Sanch. Nav.* & alii.

7. *Quot sunt Defectus, ob quos incurritur Irregularitas Ex defectu?*

℞. Sunt Octo. 1. defectus animæ. 2. Corporis. 3. Natalium. 4. Ætatis. 5. Sacramenti. 6. Libertatis. 7. Bonæ Famæ. 8. Lenitatis. Qui Defectus his versibus exprimuntur.

Infamis, Bigamus, Mutilus, Iusteque cruentus,
Neophytus, Obstrictus, Nothus, puer atque Idiota
Obsessus, Demens Lunaticus, Hermaphroditus.

8. *Qui sunt Irregulares ex Defectu Animæ?*

℞ 1. Jlliterati, qui scientiâ ad talem Ordinem requisitâ carent. 2. Usû rationis carentes, ut sunt perpetuò amentes, lunatici, arreptitii, epileptici, qui si antea ordinati sint, & per annum eô morbo

non laborârunt, permittitur illis exercitium Ordinum, quia præsumuntur liberati. 3. Neophyti, hoc est, recenter ad fidem conversi.

9. *Qui sunt Irregulares ex Defectu Corporis?*

R. Sunt hi. 1. Cæci, surdi, & similes ad exercitium Ordinis inepti. 2. Carentes pollice, indice, aut oculo sinistro. 3. Enormiter mutilati, aut alio quocunque modo defectuosi, monstrosi. 4. Hermaphroditi, qui de utroque sexu participant.

10. *Qui sunt Irregulares ex Defectu Natalium?*

R. Illegitimè nati, qui si sint geniti per simplicem fornicationem, vocantur *Filii naturales*, Si vero per adulterium inhonestum aut sacrilegium, dicuntur *Spurii Filii Naturales* legitimari possunt dupliciter. 1. Per subsequens Matrimonium ratum inter eorum Parentes. 2. Per professionem Religiosam legitimantur quoad Sacros Ordines, non verò quò ad Prælaturas & Dignitates Ordinis.

11. *Qui sunt Irregulares ex Defectu Ætatis?*

R. Omnes illi, qui non habent ætatem ab Ecclesia præscriptam in ordine ad suscipiendos Ordines, qua Irregularitas cessat adveniente termino ætatis aut dispensatione Papæ. *Quæ autem ætas ad singulos requiritur Ordines?* dictum est superius *Sect.* IV. *Artic.* II.

12. *Qui sunt Irregulares ex Defectu Sacramenti?*

R. *Bigami*, qui multiplicando Sacramentum Matrimonii, carnem suam dividunt in plures uxores, propter quod non repræsentant perfectè Unionem Christi cum Ecclesia.

13. *Quid est Bigamia?*

R. Est *Matrimonii multiplicatio.*

14. *Quotuplex est Bigamia?*

R. Triplex: *Vera, Interpretativa, & Similitudinaria.*

Vera

Vera habetur tunc, quando quis plura Matrimonia succesivè contraxit, & consummavit.

Interpretativa habetur, quando quis Matrimonium validum contraxit cum una quidem, sed vidua, vel violata ab alio, talis enim, ac si cum pluribus contraxisset.

Similitudinaria habetur, quando quis constitutus in Sacris, aut in Religione professus, contraxit Matrimonium, & consummavit sive cum *Virgine*, sivè non, talis enim per votum contraxit solemne Matrimonium cum Christo, unde Matrimonium contrahens evadit similis ei, qui carnem suam in plures divisit.

15. *Qui sunt Irregulares ex Defectu Bonæ Famæ?*

℟. Jlli, qui exercent aliquam artem, cui annexa est ex jure infamia; tales sunt Histriones, Circulatores, Mimi, Comædi, Filii publicæ Meretricis, damnati ad Triremes &c.

16. *Qui sunt Irregulares ex Defectu Libertatis?*

℟. Mancipia, Conjugati, Curiales, Advocati, Procuratores, Thesaurarii, & alii ad reddendam rationem bonorum alicujus obnoxii, *ut* scilicet *is, qui ex adverso est, vereatur nihil habens mali dicere de nobis* ad *Tit.* c. 2.

17. *Qui sunt Irregulares ex Defectu* Lenitatis?

℟. Judices sententiam sangvinis aut mortis ferentes, (excepto summo Pontifice) Notarii, Accusatores, Testes, Advocati, Ministri justitiæ, & omnes, qui ad mortem vel mutilationem activè, efficaciter & proximè per actionem ex natura sua ad illam ordinatam cooperantur, morte, aut mutilatione secutâ. Unde Judex ferens mortis aut mutilationis sententiam, si non sequatur effectus talis sententiæ, non est Irregularis, ut docet *Bonac.* d. 7. q. 4. p. 2. & *Felix Potestas* t. I. p. 5. n. 44. 34.

18. *Qui & Quot sunt Effectus Irregularitatis?*

℞. Duo præcipuè. 1. Impedire susceptionem Ordinum, ac susceptorum usum. 2. Reddere incapacem beneficii, ut patet ex c. 2. *Clerico.*

19. *Quot Modis tollitur Irregularitas?*

℞. Quatuor Modis. 1. Per susceptionem Baptismi 2 Per cessationem defectus, cessante enim VG. infirmitate oculi Canonici, cessat Irregularitas 3. Per Professionem Religiosam cesſat Irregularitas *Ex defectu Natalium* proveniens. 4. Per dispensationem *Qui autem possunt dispensare?* Vide *Felic. Potest.* t. 1. p. V. à n. 4475.

ARTICULUS II.
De Censuris in Communi

1. *Quid est Censura?*

℞. Est *Pæna Spiritualis & Medicinalis pro culpa inflicta, privans usu aliquorum bonorum spiritualium per Ecclesiæ potestatem imposita fideli baptizato, ut a sua contumacia discedat.*

2. *Quot sunt Species Censuræ?*

℞. Tres: *Excommunicatio, Suspensio,* & *Interdictum.*

3. *Quotuplex est Censura?*

℞. Duplex: Una *A Iure,* quæ per Sacros Canones infligitur. Alia *Ab Homine,* que à Judice per modum sententiæ fertur.

4. *Iterum quotuplex est Censura?*

℞. Duplex: Una *latæ sententiæ*, quæ crimine commisso statim incurritur. Alia verò *Ferendæ sententiæ,* quæ non incurritur, nisi post Judicis sententiam

5. *Quotuplex iterum est Censura?*

℞. Duplex; *Generalis* & *Particularis. Prima* est

illa, quæ fertur contra totam Provinciam aut sectam, ut est VG. contra Hæreticos. *Altera* vero est illa, quæ imponitur determinatis personis.

6. *Adhuc quotuplex est Censura?*

℟. Duplex: Alia *Reservata*, cujus absolutionem reservat sibi Superior. Alia *Non Reservata*, à qua quilibet Sacerdos approbatus absolvere potest.

7. *Tandem quotuplex est Censura?*

℟. Duplex: *Justa* & *Injusta*. *Justa* est illa, quæ fertur ab habente Authoritatem legitimam, ob justam causam, præviis tribus monitionibus, & servato Juris ordine. *Injusta* vero dicitur, cui aliqua deficit ex prædictis conditionibus.

8. *Quotuplex est Censura Injusta?*

℟. Duplex: *Valida* & *Invalida*. *Valida* est illa, quæ fertur ab habente Authoritatem legitimam, ob causam sufficientem, præmissâ aliquâ monitione, quamvis non præcedat trina monitio. *Invalida* vero est illa, quæ aut nullam, aut saltem aliquam ex prædictis tribus conditionibus non habet.

9. *Ad hoc, ut quis possit ligari Censuris, quæ in eo requiruntur Conditiones?*

℟. Sequentes: 1. Ut sit homo, & quidem vivus, nam in mortuos Ecclesia Jurisdictionem non habet. 2. Ut sit baptizatus, nam qui non est baptizatus, est extra Januam Ecclesiæ, & consequenter extra subjectionem. 3. Ut sit rationis & doli capax. 4. Ut sit subditus ejus, qui fert Censuram.

10. *Quæ excusant ab incurrenda Censura?*

℟. Hæc sequentia: 1. Ignorantia invincibilis tam juris quam facti. 2. Impotentia faciendi id, quod sub pæna Censuræ faciendum præcipitur, & hoc intelligendum est tam de potentia physica quam morali. 3. Appellatio ad Superiorem antequàm lata sit Censura ab Inferiori. 4. Consensus illius, in cujus favorem Censura lata fuit.

11.

11. *Quis habet potestatem Ordinariam ferendi Censuras?*

℞. Primariè & perse habet Papa respectu omnium Christianorum. Deindè Archiepiscopi, Episcopi, Patriarchæ respectu sibi subditorum. Item Generales, Provinciales, Superiores Locales, & à fortiori Congregationes & Capitula Religionum habent potestatem ferendi Censuras; non tamen Parochi in suos Parochianos ut docet *V. Scotus* in 4. d. 19. q. 4 (nisi habeant potestatem delegatam). Fæminis autem hæc potestas nullomodo competit, licet ex speciali dispénsatione Papæ competere non repugnet, ut ait *Hurtad.* Tr. de Censur. Similiter Laicis attribui non debet, ut patet ex Can. *in Nona* 7. Undè necèssario requiritur in Laico prima Tonsura, per quam constituatur in statu Clericali.

12. *Quibus competit potestas delegata ferendè Censuras?*

℞. Omnibus & solis illis, quibus delegata fuerit, & commissa ab habentibus potestatem Ordinariam, Exceptis tamen Laicis & Fæminis.

13. *Quis potest absolvere à Censuris?*

℞. Omnis ille, qui potuit & ligare, ita tamen, ut si sit Censura Reservata, non nisi à reservante absolvi potest, vel ab illo, qui habet potestatem delegatam. Ratio est, quia eo ipso, quod reservatur, non conceditur aliis facultas absolvendi ab illa. Si tamen Censura non sit reservata, quilibet Sacerdos habens potestatem absolvendi à mortalibus, habet etiam facultatem absolvendi à Censuris, ut patet ex C. *Nuper.* de Sent. Excomm.

14. *Nota* tamen, quod in articulo mortis conceditur omnibus Sacerdotibus etiam Excommunicatis non toleratis, absolvere ab omnibus Censuris, ut docet *Trid.* Ses. 14. c. 7. sub hoc tamen

 onere,

onere, quod si taliter absolutus, evadat periculum mortis, coram eo comparere debet, à quo absolvendus erat, simulque exequi id, quod ab illo sibi assignabitur.

15. *Nota 2do.* quod iustè *Trid.* Ses. 24. c. 6. Episcopis concesserit ut possint absolvere suos Subditos à Censuris etiam Papæ reservatis, quando delictum est occultum, vel quando ab Excommunicato facile Papa adiri non potest, VG. propter Senectutem, Morbum, Sexum, aut pauperiem. Ita comm: docet. *Hurtad. Navar. Sanch. Avill.* & alii.

16 *Nota 3tio*, quod FF. Minores ex speciali Privilegio *Sixti IV.* possunt absolvi à suis Superioribus in omnibus Censuris; Tenor Bullæ est talis: *Generalis quoque & singuli Provinciarum Ministri, & eorum Vicarii, etiam Custodes in Provinciis & Custodiis sibi commissis, prædictis Fratribus constitutis ibidem, nec non Fratribus aliis ejusdem Ordinis interdum ad Eos declinantibus undecunque, absolutione & dispensatione indigentibus, sive priusquam intraverint Ordinem, sivè post in casibus excesserint, pro quibus Excommunicationis, vel Interdicti, aut Suspensionis incurrant sententias, à Jure vel à Judice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico Interdicto Divina Officia celebrantes, vel suscipientes Ordines sic ligati, notam Irregularitatis incurrerint, absolutionis & dispensationis beneficium valeant impertiri.* Et hoc Privilegium confirmavit *Benedictus* XIII. Anno 1727.

17. *Nota 4to.* Quod FF. Minores ex Privilegio *Clement.* IV, & *Sixti* IV. non possunt pro libitu Episcopi aliquâ ligari Censurâ. In Bulla enim *Sixti* IV. quæ incipit *Regimini.* §. 9. sic habetur: *Di-*

stri-

strictius inhibemus, ne quisquam absque dictæ Sedis Commissione & Authoritate, in Personas, Domus, & loca dicti Ordinis FF. Minorum, ut pote prorsus exempta aliquam Excommunicationis, Suspensionis aut Interdicti sententiam specialiter aut generaliter quomodolibet promulgare &c.

18. In tribus tamen casibus dat potestatem *Trid.* Episcopis ut etiam Privilegiatos Religiosos censurare possint. 1. *Ses.* 25 ut per Censuras Episcopi cogant restituere Novitiis tam Masculis, quã Fæminis exeuntibus ante Professionem omnia data eis à Consangvineis. 2. *Ses. eadem.* c. 5. Ut per Censuras Moniales cogant servare clausuram. 3. *Ses* 22. Possunt per Censuras cogere Religiosos, ut servent ea in celebratione Missæ, quæ in Rubricis continentur. In aliis autem casibus, dum *Trid.* aliquas exprimit pœnas Regularium, non debet intelligi de Censuris, sed de aliis pœnis, ut notat *Portel.* n. 32. *Lezana* T. 1. c. 11.

ARTICULUS III.
De Excommunicatione.

1. *Quid est Excommunicatio?*

℟. Est *Censura Ecclesiastica, privans hominem Christianum bonis Fidelium communibus.*

2. *Quæ & quot sunt bona Fidelium Communia?*

℟. Tria: 1. Sacramentorum participatio. 2. Orationes & Suffragia Ecclesiæ. 3. Exterior conversatio, quæ in mutuo colloquio, & convictu Fidelium consistit.

3. *Quotuplex est Excommunicatio?*

℟. Duplex; *Major* & *Minor*. *Major* est illa, per quam homo privatur bonis Ecclesiæ communibus tam activè quam passivè. *Minor* vero est illa,

per quam homo privatur solum participatione passivâ Sacramentorum,

4. *Quid est Participatio passiva Sacramentorum?*

R. Est Receptio illorum. *Activa* vero est Administratio eorum.

5. *Quotuplex est Excommunicatus Excommunicatione Majori?*

R. Duplex: Alius *Vitandus* seu *Non toleratus*, & alius *Non vitandus* seu *Toleratus*. *Vitandus* est ille, cum quo Fidelibus communicare prohibetur, vitari enim debet tanquam membrum putridum, ab Ecclesia DEI separatum. Talis est ille, qui nominatim vel publicè est excommunicatus. Vel ille, qui est Notarius percusor Clerici *Non vitandus* vero est ille, cum quo licitum est Fidelibus communicare tam in Divinis, quam in Civilibus.

6. *Per quid differt Excommunicatio Major à Minori?*

R. Per hoc: quia *Minor* incurritur propter unicam causam, scilicet dum quis communicat cum excommunicato Excommunicatione Majori, quæ causa potest esse veniale peccatum. Excommunicatio vero *Major* incurritur propter multas causas, quæ debent esse peccata mortalia.

7. *Quo differt Excommunicatus Vitandus à non Vitando?*

R. Quia *Vitandus* privatur omnibus omnino bonis Fidelium communibus. *Non vitandus* vero non privatur exteriori Conversatione, Hæretici enim sunt Majori Excommunicatione ligati, & tamen quia sunt *non Vitandi*, possunt habere commercia cum Catholicis.

8. *In quibus casibus prohibitum est communicare cum vitandis?*

R. In casibus hoc versu expressis.

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

Per

Per particulam *Os* intelligitur: Allocutio, aut alia signa amicitiæ, ut amplexus, Oscula &c. Per *Orare* significatur Oratio, quæ prohibetur fieri cum excommunicatis. Per *Vale* denotatur honorifica salutatio. Per ly: *Communio* significatur omnis Communitas aut Societas cum excommunicatis in habitatione, vel contractu. Per *Mensam* intelligitur communicatio cibi & potus in eadem mensa.

9. *Potestne quis aliquando licite communicare cum Excommunicato non Tolerato, seu Vitando?*

℞. Potest in quinque casibus hôc versu expressis.
Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.

Per *Utile*, denotatur utilitas spiritualis ipsius Excommunicati, ut per correctionem à vita sua mala recedat. Potest etiam intelligi utilitas illius, qui communicat cum Excommunicato in his casibus. 1. Petendo ab eo Consilium, si æquè bonum ab alio non sperat. 2 Utendo Medico, si sit magis idoneus, quam alii. 3. Petendo ab illo Eleemosynam, si ab aliis sibi subveniri non potest.

10. *Lex.* Significat obligationem reddendi *non Tolerato*, quod ejus est, aut petendo ab illo, quod suum est.

11. *Humile*: significat subjectionem. Unde Filii cum Parentibus, & servi cum Dominis non toleratis communicare possunt. Excipiuntur tamen illi, qui aliquô modô præstabant auxilium Domino in eo casu, pro quo est Excommunicatus, quia & illi eâdem pœnâ arceri debent.

12. *Res ignorata* significat ignorantiam invincibilem tam Juris quam Facti.

13. *Per necesse*: denotatur notabilis necessitas tam Spiritualis, quam temporalis sive ipsius Excommunicati, sive etiam communicantis.

14 *Quomodo peccant, qui extra hos casus communicant cum non Toleratis?*

℞.

℟. Si communicant in Divinis, peccant mortaliter, si vero in Civilibus, venialiter; semper autem incurrunt Excommunicationem Minorem ut *n. 6.* dictum est.

15. *Quot sunt Effectus Excommunicationis Majoris?*

℟. Sunt Sex: 1. Excommunicati privantur sepultura Ecclesiasticâ. 2. Sunt inhabiles ad Dignitates Ecclesiæ. 3. Privantur suffragiis, Indulgentiis ac Sacramentis. 4. Privantur omni jurisdictione Ecclesiasticâ. 5. Non possunt stare in judicio tam Civili quam Ecclesiastico. 6. Qui per annum in Excommunicatione Majori permanserunt, juxta *Trid.* Ses. 25. c. 3. puniendi sunt ut Hæretici, tales enim notabiliter contemnunt potestatem Ecclesiæ.

16. *Quotuplex est Excommunicatio Major?*

℟. Duplex: Alia *à Jure.* Et alia *Ab homine.* Alia *Generalis* Et alia *Particularis.* Alia *Latæ*: Alia *Ferendæ sententiæ.* Ut *in præc. Art.* dictum est de Censura in communi, quod proportionate applicandum est ad Excommunicationem. Quidquid enim dicitur de Universali, dicitur etiam de inferiori contento sub illo. Censura autem est quid commune Excommunicationi, Suspensioni, & Interdicto.

17. *Quô differt Excommunicatio à Jure, ab Excommunicatione Ab homine lata?*

℟. Quia *prima* perpetuo durat, quam diu nempe durant Canones, & non potest tolli, nisi ab ipso Papa, qui solus est Juris Conditor, & supra Jus. Excommunicatio vero *ab homine* tam diu solum durat, quam diu ille vivit, qui in officio manet, qui ipsam tulit.

18. De Absolutione ab Excommunicatione idem dic, quod dictum est de Censuris *præc. Art. à n.* 13.

19. *Nota* autem: quod FF. Minores ex speciali

Privi-

Privilegio *Sixti* IV. in Bulla, quæ *Mare Magnum* nuncupatur, possunt licite in terris Excommunicatorum commorari, & ab illis necessaria recipere: Tenor Bullæ est: *In terris Excommunicatorum libere commorari, & ab eis tunc etiam, quando per ipsos transire contigerit, necessaria vitæ deposcere & recipere valeatis.* Quod Privilegium debet intelligi de Excommunicatis *non Toleratis*, quia alias esset nullum.

20. *Nota 2dò.* quod in locis, in quibus FF. Minores resident, si contingat Excommunicationem vel Interdictum promulgari, famuli eorum minime habentur obnoxii ex Privilegio *ejusdem Sixti* IV. in Bulla cit. cujus tenor est: *Si quando in terras, in quibus residetis, vel eorum Personas Excommunicationis seu Interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris servitiis deputati, negotiorumque vestrorum Procuratores & operarij, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continuo extiterint, hujusmodi sententia obnoxii minimè habeantur.*

ARTICULUS IV.
De Suspensione.

1. *Quid est Suspensio,*

℞. Juxta *V. Scotum* in 4. d. 25. q. 1. est: *Censura Ecclesiastica quâ prohibetur vel arcetur Minister Ecclesiæ, ab aliquo actu Ecclesiastico alias sibi convenienti.* Ex qua definitione apertè constat, quod subjectum suspensionis est solus Clericus, quia ipse solus est capax actûs Ecclesiastici.

2. *Quotuplex est Suspensio?*

℞. Triplex: 1. *Ab Officio tantum*, quâ privatur Clericus usu ordinis & potestatis Spiritualis. 2. *A beneficio tantum*, quâ Clericus privatur Administra-

nistratione & fructibus sui beneficii. 3. *Ab utroque simul*, quâ Clericus privatur & potestate spirituali, & fructibus temporalibus.

3. *Item Quotuplex est Suspensio?*

℟. Duplex: Alia *Totalis*, quæ privat omni actu ordinis, & perceptione omnium fructuum. Alia *Partialis* quæ privat aliquo tantum actu ordinis, ut est suspensio à Confessionibus.

4 *Adhuc Quotuplex est Suspensio?*

℟. Duplex: *Determinata* & *Indeterminata*. Prima est illa, quæ ad certum tempus privat Clericum Officio aut beneficio, quo elapso statim cessat absque ulla absolutione. *Altera* est illa, quæ privat sine temporis præscriptione, ac proinde durat, donec per absolutionem tollatur.

5. Adde: Aliam esse: *à Jure*. Aliam *ab Homine*. Aliam *Latæ*. Aliam *Ferendæ sententiæ* ut dictum est de Censuris in communi Art. 2.

6. *Quot Modis contrahitur Suspensio?*

℟. Quinquè Modis. 1. In Ordinatione indebita. 2. Propter Exercitium illicitum Ordinis. 3. Propter defectus aliquos commissos circa munera ad Clerum spectantia. 4 Propter peccata à Clericis commissa. 5. Regulares Clerici incurrunt suspensionem à Jure latam propter septem casus, de quibus inferius n. 11.

7. *Quot sunt Suspensiones, quæ contrahuntur à Clericis in ipsa Ordinatione peccantibus?*

℟. Sunt duodecim: 1. Suspenduntur recipientes Ordines ab Episcopo. qui renuntiavit Episcopatui. 2, Recipientes ab alieno sine licentia proprii. 3. Recipientes à proprio Episcopo in aliena Diæcesi sine licentia Ordinarii. 4 Recipientes ab Excommunicato vel suspenso. 5. Recipientes Ordines ante legitimam ætatem. 6. Extra tempora

sine

sine dispensatione. 7. Non servatis interstitiis. 8. Ordinati ficto titulo. 9. Promoti per saltum. 10. Ordinati post Matrimonium ratum. 11. Si sint Excommunicati, vel suspensi, aut Interdicti. 12. Si quis vacante Episcopatu non habens beneficium saltem infra annum cum literis dimissoriis à Capitulo receptis ordinetur in Sacris.

8. *Quot sunt Suspensiones, quæ incurruntur propter Exercitium Ordinis?*

℟. Sunt quinque. 1. Suspenduntur, qui utuntur ordine aliquo in loco interdicto. 2. Celebrantes coram Excommunicato, vel Interdicto, vel eundem admittentes ad Divina, aut ad sepulturam Ecclesiasticam. 3. Admittentes ad sepulturam Usurarios publicos. 4. Parochi jungentes sponsos alterius Parochiæ sine licentia Parochi illorum. 5. Parochi, qui contemnunt prohibere Matrimonia clandestina.

9. *Quot sunt Suspensiones, quæ incurruntur propter defectus circa munera ad Clerum spectantia?*

℟. Sunt quinque: 1 Suspenduntur abutentes vestibus à jure statutis & præscriptis 2 Gravantes Ecclesiam sibi commissam debitis alienis. 3. Rapientes bona Prælati defuncti non habito jure. 4. Eligentes indignos ad curam animarum. 5. Non servantes Constitutionem Innocentii IV. in visitatione Ecclesiarum

10. *Quot sunt Suspensiones, quæ incurruntur à Clericis propter peccata ab illis Commissa?*

℟. Sex: 1. Suspenduntur Clerici Concubinarii publici. Hæc tamen suspensio non incurritur, nisi post Judicis sententiam, ut notat *Hurtad: Bonac:* &c. Licet oppositum teneat *Toletus* l. 1. c. 24. 2 Recipientes ordines Simoniacè. 3. Recipientes Ordines à Simoniaco, licet non Simoniace, nisi ipsos excuset ignorantia. 4. Spontè jurantes de tenendo

Schisma-

Schiſmate. 5. Provocantes ad duellum, vel acceptantes ab alio oblatum, aut pugnantes. 6. Raptores vel præſtantes auxilium aut conſilium raptui, ipſo facto incurrunt ſuſpenſionem.

11. *Qui & Quot ſunt caſus, propter quos Regulares Clerici incurrunt Suſpenſionem à Jure latam?*

℞. Hi ſeptem. 1. In Apoſtaſia recipientes Sacros Ordines. 2. Non profeſſi recipientes Ordines. 3. Non utentes Habitu Religionis ſuæ. 4. Admittentes ad Profeſſionem Novitios ante annum probationis 5. Uſurpantes Decimas ſibi non convenientes. 6, Introducentes fæminas intra Clauſtra Monaſterii. 7. Qui non monent pænitentes de ſolvendis Decimis.

12. *Quomodò peccant illi, qui violant Suſpenſionem?*

V. Peccant mortaliter, niſi levitas materiæ excuſet. Inſuper violantes ſuſpenſionem per exercitium ſolemne Ordinis ſacri, præter novam ſuſpenſionem incurrunt Irregularitatem.

13. *Quis poſſit Suſpendere?*

℞. Jlle, qui poteſt ferre Cenſuras: nam ſuſpenſio eſt una ex Cenſuris.

14. *Nota* autem, quod Epiſcopi non poſſunt pro libitu ſuo ſuſpendere Confeſſarios Regulares libere approbatos, aut omnibus adimere facultatem audiendi Confeſſiones inconſultâ Sede Apoſtolicâ, prout declavit S. Cong: Cardin. 20. Novemb. 1615. Quod etiam *Clemens* X. confirmavit 1670 in Conſt. *Superna* cujus tenor eſt talis: *Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventûs Regularîbus Confeſſoribus adimi ab Epîſcopo inconſultâ Sede Apoſtolica nullatenus poſſe.*

ARTICULUS V.

De Interdicto.

1. *Quid eſt Interdictum?*

℞.

℟. Est: *Censura Ecclesiastica prohibens usum Divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, Ecclesiasticæ sepulturæ, quà talis est.* Dicitur *quà talis*, ad distinctionem; quia etiam Excommunicatio privat sepulturâ, in quantum est communicatio cum Fidelibus. Et suspensio, in quantum sepultura est exercitium Ecclesiasticæ potestatis.

2. *Quô differt Interdictum ab Excommunicatione & Suspensione?*

℟. Per hoc: quia Excomunicatio ultra plura, quibus privat, privat etiam humanâ conversatione; non sic interdictum, Unde interdicti non sunt vitandi. Tum quia Excommunicatio fertur solum contra Personas nocentes; Interdictum autem etiam contra innocentes, quatenus in communitate interdicta morantur. Differt etiam à Suspensione, quia hæc solos afficit Clericos. Interdictum vero etiam Laicos.

3. *Quotuplex est Interdictum?*

℟. Triplex: *Locale*, *Personale*, & *Mixtum*. *Locale* est, quod immediate locum afficit. *Personale*, quod directè fertur contra Personas. *Mixtum*, quod afficit locum & Personas simul.

4. Interdictum tam locale, quam Personale Aliud est *Generale* & aliud *Partiale*, ut dictum est de Censuris in Communi.

5. *Quando interdicitur Clerus, an etiam sit interdicta Plebs communis?*

℟. Negativè. Ratio est quia Clerus & plebs communis sunt distinctæ Communitates. Similiter interdictô Clero, probabiliter non sunt interdicti Religiosi, nisi specialis eorum fiat mentio; nam licet in favorabilibus nomine Clerici, intelligantur etiam Episcopi & Regulares, non tamen in odiosis, ut docet *P. Kloz* l. 3. tit. 1. Quando autem in a-

liqua

liqua communitate innocentes sunt interdicti simul cum nocentibus, si ab illo loco discedant, statim sunt liberi ab interdicto, non sic autem nocentes.

6. *Ad hoc, ut Interdictum juste feratur, quale delictum requiritur?*

℞. Mortale & maximè dum est Interdictum Locale aut Personale Generale, cum enim per hoc etiam innocentes puniuntur, requiritur gravissima culpa cum contumacia commissa ab omnibus, vel etiam à Capite, aut a præcipuis membris.

7. *Quæ sunt causæ, ob quas à Jure incurritur Interdictum?*

℞. Interdictum *Locale Generale* incurritur præcipue. 1. Propter culpam Domini temporalis, ut dum VG. Rex peccat, totum Regnum aliquando interdicitur. 2. Propter culpam Ecclesiasticarum Personarum. 3. Propter culpam plebis.

8. Interdictum *Locale Partiale* incurritur. 1. Dum per vim in aliquo loco detinetur Episcopus. 2. Interdicitur locus, in quem Clerici sæculares inducunt aliquem ad jurandum, ut in eo sepeliatur. 3. Interdicitur Ecclesia, in qua scienter Hæreticus sepelitur.

9. Interdictum *Personale Generale* ex Jure Canonico incurritur propter sequentes casus. 1. Interdicuntur Capitula, quæ non observant Constitutionem *Joann.* XXII circa fructus vacantium beneficiorum. 2. Communitates exigentes tributa à Clericis. 3. Occupantes bona Ecclesiastica.

10. Interdictum *Personale Partiale* incurritur propter sequentes casus. 1. Interdicitur Judex ab ingressu Ecclesiæ per mensem, quia tulit excommunicationem non præmissâ monitione. 2. Qui Clericos Romam proficiscentes in suis negotiis, privant beneficiis, conferendo ipsa aliis. 3. Recipientes

tes Dignitatem spiritualem de manu Laici. 4. Interdicuntur Clerici ab ingressu Ecclesiæ, jacentes in crimine fornicationis. 5. Violantes interdictum locale à Jure vel ab Homine latum. 6. Alienantes Ecclesiæ bona. 7. Usurpantes sibi ex reditibus Ecclesiæ vacantis.

11. *Quot sunt Effectus Interdicti?*

℟. Tres: 1*mus* est; Prohibitio activæ & passivæ communicationis aliquorum Sacramentorum. Dixi *aliquorum*, nam interdicti possunt baptizari, confirmari, pænitentiam facere, imo in articulo mortis & Eucharistiam sumere, non tamen ordinari, aut Extremam Unctionem suscipere. 2*dus* Prohibitio Divinorum Officiorum, nempè sacrificii Missæ, Horarum Canonicarum, ne publicè cantentur. Item prohibentur benedictiones solemnes, & alia officia à Ministris Ecclesiæ fieri solita. 3*tius* Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ.

12. Possunt tamen tempore Interdicti fideles convenire ad Ecclesiam orationis gratiâ, non tamen ad audiendam Missam. Insuper possunt pulsari campanæ ad hoc, ut conveniant fideles ad concionem, per quam possent induci ad pænitentiam. *Ita Canones cum Navar Medina & Mastr. &c.*

13. *Quomodo peccant, qui violant Interdictum?*

℟ Si sint Laici, peccant mortaliter, violando Interdictum personale, si autem violent interdictum locale, peccant venialiter, ait *Busemb:* dummodo ipsi personaliter non sint interdicti. Clerici vero ultra peccatum, incurrunt irregularitatem, maximè, si illud violent per actum Ordinis.

SE-

SECTIO VI.

De Ordinibus in particulari.

ARTICULUS I.

De Clericis & Prima Tonsura.

1. *Unde derivatur Nomen Clerici?*

℟. A voce græca *Kliros*, quæ latinè significat sortem; Clerici enim sunt de sorte Domini, & distincti à plebe communi, seu à Laicis. *Laos* enim, à quo derivatur Laicus, est nomen græcum, idem significans ac populus.

2. *Quotupliciter sumitur Nomen Clerici?*

℟. Dupliciter: Largè & *Strictè*. Largè sumitur pro quibuscunquè Personis, quæ in sortem DEI sunt vocatæ & ad servitium ejus specialiter deputatæ, sive per susceptionem Ordinum, & primæ Tonsuræ, sivè etiam per Professionem Religiosam, & sic Nomine Clerici intelliguntur Religiosi, Moniales, Eremitæ, qui de manu Episcopi susceperunt Habitum. Imo etiam ex Concessione *Innocentii*, Tertiarii de manu Superioris suscipientes Habitum. *Strictè* vero solum illi dicuntur Clerici, qui sunt deputati ad servitium & cultum Divinum per susceptionem alicujus Ordinis aut primæ Tonsuræ.

3. In materia favorabili veniunt etiam Clerici primo modo sumpti; in materia autem odiosa, solum intelliguntur Clerici Tonsurati, & Ordinati, ut docet *P. Kloz* l. 3. t. 1.

4. *Quid est Prima Tonsura?*

℟. *Est Signum distinctivum Ministrorum Ecclesiæ à plebe communi.*

5. *Prima Tonsura estnè Ordo?*

℟. Non est Ordo, sed dispositio ad Ordines. Ratio est ex *V. Scoto*. Quia per Tonsuram nulla

datur

datur potestas Tonsurato, ut patet ex verbis ab Episcopo prolatis: *Dominus Pars hæreditatis* &c. In Ordinatione vero semper ordinato traditur potestas aliqua Ordini suscepto competens.

6. *Quæ est Materia, & quæ Forma primæ Tonsuræ?*

℟. Prima Tonsura cum non sit Ordo, non constat Materiâ & Formâ propriè dictâ, tamen loco materiæ potest esse abscissio capillorum, & loco formæ verba ab Episcopo & ab Ordinando simul prolata: *Dominus Pars hæreditatis meæ, & pars meæ DEUS in æternum.*

7. *Quot sunt Effectus primæ Tonsuræ?*

℟. Duo: nempè Privilegium Fori & Canonis, & Beneficium Ecclesiasticum.

8. *Quot sunt Obligationes Tonsurati?*

℟. Quinque: 1. Ut comam non nutriat. 2. Ut coronam deferat in modum circuli. 3. Ut Habitum Clericalem portet. 4. Ut habeat vestes talares, & non curtas. 5. Ut hujusmodi vestes non sint diversi coloris, sed unius & quidem nigri.

9. *Potestne Tonsuratus uti Privilegiis Fori & Canonis non portando Habitum & Tonsuram?*

℟. Negativè: quia gestatio Habitûs & Tonsuræ est causa Privilegii; adeoque his abjectis Clericus pro sæculari reputabitur, ut statutum est à Trid. Ses. 23. c. 6.

10. Non solum autem per depositionem Habitus & Tonsuræ, sed etiam per Matrimonium contractum Clerici initiati primâ Tonsurâ, vel quatuor Minoribus amittunt Privilegium Fori, ut clare habetur c. 56. *Dilecti.* Possunt tamen gaudere etiam post contractum Matrimonium privilegio Canonis & Fori in causis criminalibus, si has tres observant conditiones. 1. Ut contrahant Matri-

monium cum una & quidem virgine (quia alias essent Bigami). 2. Ut deferant Tonsuram & vestes clericales. 3. Ut sint ab Episcopo deputati ad servitium alicujus Ecclesiæ. Ita *Trid.* Ses. 23. c. 6.

11. *Nota* tamen, quod tales Clerici in bonis suis non eximuntur ab exactionibus, gabellis & aliis tributis, ut expresse innuit *Trident* loc. cit.

12. *Potestnè Clericus aliquando non portare Habitum & Tonsuram?*

℟. Cum distinctione. Si Clericus sit constitutus in Sacris Ordinibus, vel in Minoribus tantum, habeat tamen beneficium, sub gravibus pænis obligatur ad deferendum Habitum & Tonsuram. Si vero non sit in sacris constitutus, neque habeat beneficium, non obligatur, quia *Trid.* in illis tantum requirit gestationem Habitûs, qui Beneficium habent.

13. *Quid est Forum?*

℟. Est: Locus, in quo tractantur causæ in Ordine ad gubernationem Reipublicæ Ecclesiasticæ, aut sæcularis.

14. *Quotuplex est Forum?*

℟. Triplex: *Ecclesiasticum, Sæculare,* & *Mixtum. Ecclesiasticum* est, ad quod Clerici pertinent, & Laici in causis spiritualibus. *Sæculare* est, cui soli Laici subiiciuntur. *Mixtum* est, in quo judicantur causæ, quæ partim pertinent ad Forum Ecclesiasticum, partim ad sæculare, ut fornicationes, blasphemiæ &c.

15. Ad hoc igitur, ut Forum sit competens ad dijudicandam aliquam causam, requiritur: ut reus sit illius jurisdictioni subjectus non solum quo ad personam, sed etiam quo ad causam; fieri enim potest, quod persona sit subdita Judici, non tamen ejus causa ut patet de Laicis, qui subsunt judicio sæculari quo ad personam, in causis tamen Matri-

trimonialibus ad judicium Ecclesiasticum venire debent. In causis vero, quæ pertinent ad Forum Mixtum, ille est Judex competens, coram quo est res præventa.

16. *Quod Forum est competens in causis criminalibus Clericorum?*

℞. Ecclesiasticum: Clericus enim de omni crimine suo non nisi coram Judice Ecclesiastico conveniri potest. Quod privilegium antiquitus in observatione fuit, nam dum accusatio Clericorum ad Constantinum Imperatorem deferebatur, dixit. *Vos DII estis, à DEO vero constituti, ite, & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, ut judicemus DEOS.*

17. Potest tamen Clericus à Judice sæculari capi, si committat aliquod Crimen, ex quo malum Reipublicæ aut Communitati immineret, & Judex Ecclesiasticus hic & nunc haberi non potest. Ratio est, quia si in hoc casu Judici sæculari non concederetur talis facultas, daretur sceleratis Clericis major libertas impunè peccandi.

18. *Quæ honestas à Clericis servanda est?*

℞. Duplicem SS. Canones à Clericis postulant honestatem: *Interiorem*, quæ consistit in puritate, innocentia, & sinceritate animæ. Et *Exteriorem*, quæ consistit in actionibus & moribus conformibus legi Divinæ, & SS. Canonibus, de qua honestate *Trid.* Ses. 2. & 14. clare loquitur.

ARTICULUS II.
De Ordinibus Minoribus.

1. *Quot sunt Ordines Minores?*

℞. Quatuor: scilicet: *Ostiaratus, Lectoratus, Exorcistatus*, & *Accolythatus.*

2. *Quare dicuntur Minores?* Dictum est supra *Sect.* 4. *Art.* 1. *n.* 4.

OSTIARIATUS.

3. *Quid est Ostiariatus?*

℟. Est: *Potestas, per quam Ordinatus in Ostiarium potest recipere dignos, & excludere indignos ab Ecclesia DEI, & eam custodire.*

4. *Quotuplex Materia Ostiariatus?*

℟. Duplex: Una *Remota*, quæ sunt claves Ecclesiæ. Et alia *Proxima*, quæ est traditio & receptio talium clavium.

5. *Quales Claves adhiberi debent pro Materia Ostiariatus?*

℟. Probabilius claves Ecclesiæ. Ratio est, quia Ordinatus accipit potestatem custodire illas res, quæ clauduntur clavibus illi porrectis, ut patet ex forma. Unde si illi porrigerentur claves à thesauro VG. Episcopi, daretur ipsi potius potestas custodiendi thesaurum Ordinantis, quam Ecclesiæ. Tum quia pro materia Lectoratûs non sufficit qualiscunque liber, sed debet esse Epistolarum, Ergo etiam à pari.

6. *Quæ est Forma Ostiariatus?*

℟. Sunt hæc verba ab Episcopo prolata: *Sic age, quasi rationem DEO redditurus pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.*

7. *Quod est Officium Ostiarii?*

℟. Est: 1. Aperire & claudere januas Ecclesiæ. 2. Custodire apparamenta ejus. 3. Pulsare campanam. 4. Recipere dignos, & excludere indignos. Per indignos autem intelliguntur Infideles, Hæretici, Excommunicati, Interdicti & Catechumeni, post dictum Evangelium in Missa, licet nunc Laici hæc obeunt munia, hoc tamen non faciunt ex officio:

8. *A quo institutus fuit Ostiariatus, & quando?*

℟. A Christo Domino *Math*; 21. Quando ementes & vendentes è templo ejecit.

LECTORATUS

9. *Quid est Lectoratûs?*

℟. Est: *Potestas, per quam Ordinatus in Lectorem potest legere lectiones & Prophetias.*

10. *Quotuplex est Materia Lectoratûs?*

℟. Duplex: Una *Remota*, quæ est liber S. lectiones continens. Et alia *Proxima*, quæ est ejusdem libri traditio & acceptio.

11. *Quæ est Forma Lectoratûs?*

℟. Sunt hæc verba: *Accipe potestatem, & esto verbi DEI relator.*

12. *Quod est Officium Lectoris?*

℟. Est. 1. Annunciare populo Verbum DEI. 2. Docere Catechumenos rudimenta Fidei. 3. Legere Epistolas & Prophetias.

13. *A quo fuit institutus Lectoratus, & Quando?*

℟. A Christo D. quando in medio Seniorum librum aperuit Isaiæ, & completa lectione clausit, & dedit Ministro.

EXORCISTATUS.

14. *Quid est Exorcistatûs?*

℟. Est. *Potestas, per quam ordinatus in Exorcistam potest expellere diabolum, ne impediat aliquem à Sumptione Eucharistiæ.*

15. *Quotuplex est Materia Exorcistatûs?*

℟. Duplex: Una *Remota*, quæ est liber Exorcismorum. Et alia *Proxima*, quæ est ejusdem libri traditio & acceptio.

16. *Quæ est Forma Exorcistatûs?*

℟. Sunt hæc verba: *Accipe & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super*

Ener-

Energumenos. sive baptizatos, sive Catechumenos.

17. *Quot sunt Officia Exorcistæ?*

℟. Duo: 1. Imponere manus super Energumenos, legendo super illos Exorcismum. 2. Imponere manus super Catechumenos ante baptismum ad fores Ecclesiæ.

18. *A quo fuit Exorcistatus institutus, & Quando?*

℟. A Christo D. quando tetigit aures surdi dicendo: *Ephεta*, quod est *adaperire.*

ACCOLYTHATUS

19. *Quid est Accolytatus?*

℟. Est: *Potestas, per quam Ordinatus in Accolythum potest accendere lumina, & portare urceolos cum vino & aqua.*

20. *Quotuplex est Materia Accolythatûs?*

℟. Duplex: Una *Remota*, quæ est: Candelabrum cum cereo extincto; & Urceoli vacui. Et alia *Proxima*, quæ est horum traditio & acceptio.

21. *Quotuplex est Forma Accolythatûs?*

℟. Duplex *Una* correspondens primæ materiæ
scilicet Candelabro, & sunt hæc verba *Accipe Ce-*
r ferarium cum Cereo, ut scias te ad accendenda Ec-
clesiæ luminaria mancipatum in Nomine Domini.
Altera forma correspondens Urceolis est hæc: *Acci-*
pe Urceolos ad suggerendum vinum & aquam, in
Eucharistiam Sanguinis Christi, in Nomine Domini.

22. *Quotuplex est Officium Accolythi?*

℟. Duplex: 1. Præparare luminaria ad Sacrificium. 2. Portare Cereum accensum ante Sacerdotem, & porrigere Subdiacono Urceolos in Missa.

23. *A quo instutus fuit Accolythatus?*

℟. A Christo D. *Joann.* 8. quando dixit: *Ego sum lux mundi &c.*

ARTI-

ARTICULUS III.
De Ordinibus Majoribus.

1. *Quot sunt Ordines Majores?*

℟. Tres: *Subdiaconatus, Diaconatus,* & *Presbyteratus.*

2. *Quare dicuntur Majores & Sacri?*

Dictum est supra *Sect. IV. Art. I.*

3. *Quæ sunt Requisita ad hos Ordines?*

℟ Præter enumerata superius *Sect.* IV. *Art.* II. requiritur Titulus Sustentationis, cum enim per hos Ordines perpetuo macipatur DEO Ordinatus, & à sæcularibus curis separatur, debet habere modum honestè vivendi.

4. *Quotuplex est Titulus Sustentationis?*

℟. Triplex: juxta *Trid.* Ses 21. c. 2. Nempè *Beneficii, Patrimonii* & *Paupertatis.*

5. Titulus *Beneficii* est Beneficium Parochiale, aut Canonicatus, vel Capellania fundata authoritate Episcopi in perpetuum.

6. Titulus *Patrimonii* est: Bonum Fortunæ proprium, sive arte sive hæreditate, sive etiam donatione, acquisitum, sufficiens ad honestè vitam ducendam.

7. Titulus *Paupertatis* est: Ipsa vita Religiosa professione jurata; Religiosus enim professus ad sacros Ordines optimè promoveri potest, cum habeat honestam sustentationem vitæ, nam ipsum Religio perpetuo alere tenetur.

Excipiuntur PP. Societatis JESU, quamvis enim non statim peracto probationis biennio emittant solemnem professionem, sed solum simplicem, hujusmodi tamen professio sufficit pro Titulo ad Sacros Ordines requsito ex speciali privilegio Gregorii XIII. ut habet Rodriq. t. 3. q. 23.

8.

8. *Quam incurrit pœnam initiatus sacris Ordinibus absque Titulo?*

℟. Incurrit suspensionem ex *Trid* Ses. 23. Quod si taliter susceptum exercebit Ordinem, in Irregularitatem incidit, quia violans Censuras irregularis efficitur, ut communiter docetur.

9. *Quot & Quas Obligationes, Majores Ordines imponunt Ordinatis?*

℟. Duas: Castitatem servandi, & Horas Canonicas recitandi.

§. I.

DE VOTO.

1. *Quid est Votum?*

℟. Est: *Promissio deliberata, voluntaria, & possibilis, facta DEO de meliori bono.*

2. *Quô differt Votum à Proposito?*

℟. Per hoc *1mò.* quia votum obligat voventem sub peccato, non sic autem Propositum. *2dò.* Quia votum semper est de meliori bono, Propositum autem potest esse aliquando & de minori bono, ut dum quis proponit non servare Virginitatem, & nubere.

3. *Quotuplex est Votum?*

℟. Duplex: Aliud *Absolutum*, quod fit absque ulla conditione. Aliud *Conditionatum.* quod fit cum conditione, VG. voveo castitatem, si sanus ero.

Votum *Conditionatum*: aliud est: *Pœnale*, quod fit in pœnam delicti, Aliud *pure Conditionatum* quod non fit in pœnam peccati, sed alia ex causa.

4. Item aliud est *Solemne* & Aliud *Simplex*. *Primum* est, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia, & tale est duplex solùm, nempe: Votum Castitatis Majoribus Ordinibus annexum, & votum Professionis Religiosæ. *Simplex* autem Votum est omne aliud, quod talem solemnitatem non habet.

5.

5. Votum *Solemne*: Aliud est *Expressum*, quod fit verbis externis vel internis. Aliud *Tacitum*, quod eo ipso habetur, quando fit aliquid, cui votum est annexum. Tale votum Castitatis est in susceptione SS. Ordinum.

6. Item votum est Triplex: *Reale*, *Personale*, & *Mixtum*.

7. *Reale* est: quô res aliqua Deo promittitur. VG, Eleemosyna.

8. *Personale* est: quô Deo promittitur aliqua actio, vel ejus omissio ut VG. Peregrinatio, vel omissio ludi.

9. *Mixtum* est; quô Deo promittitur res aliqua simul cum actione voventis; VG. votum peregrinandi cum largitione Eleemosynæ.

10 Item Aliud est *Reservatum* & Aliud *Non Reservatum*. Reservatum est illud, quod à solo Papa dispensari potest, & talia sunt quinque vota, nempe: Votum Castitatis perpetuæ; Religionis approbatæ, Peregrinationis ad limina Apostolorum; Compostellam ad S. Jacobum; Et in Terram Sanctam. *Non Reservatum*, est omne aliud votum.

11. *Quæ requiruntur ad Valorem Voti?*

℞. Ex parte Materiæ requiruntur hæc tria: 1. Ut sit opus bonum & quidem possibile. 2. Ut illud opus sit melius, quam ejus oppositum. 3. Ut fiat cum bono fine.

Ex parte voventis requiruntur hæc quatuor. 1. Scientia obligationis sub peccato adimplendi votum. 2. Intentio obligandi se ad votum implendum. 3. Deliberatio ita perfecta, sicuti ad peccatum mortale requiritur. 4. Libertas in vovendo.

12. *Quomodò obligat Votum?*

℞. Semper sub peccato juxta illud *Deuter* 23. *Cum votum voves DEO tuo, non tardabis reddere,*

quod

quod si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

13. *Unde desumenda est gravitas obligationis Voti?*

℟. Ex intentione ipsius voventis, & non ultra, quia votum est veluti Lex privata, quam sibi vovens ponit, lex autem non obligat ultra intentionem legislatoris.

Ex quo patet, quod Obligatio voti potest esse aliquando levis, licet materia sit gravis, si nimirum vovens leviter se obligaret.

14. *Quotupliciter tolli potest Obligatio Voti?*

℟. Dupliciter: 1 Ratione materiæ, si hæc ante hac honesta, fiat turpis aut impeditiva majoris boni, prohibita, vel impossibilis, vel etiam deest conditio, à qua pendebat. 2 Ratione Authoritatis intervenientis, quod tripliciter evenire potest: *Irritatione*, *Commutatione*, & *Dispensatione*.

15. *Quid est Irritatio Voti?*

℟. Est sublatio Obligationis facta nomine proprio per potestatem Dominativam, in personam voventem, aut in rem, de qua fit votum.

16. *Quotuplex est Irritatio Voti?*

℟. Duplex: Una *Directa*, per quam ita aufertur obligatio voti, ut nunquam postea reviviscat. Alia *Indirecta*, per quam quidem aufertur obligatio Voti, postea tamen reviviscere potest, quando scilicet talis Obligatio desinet alteri præjudicare.

17. *Qui directè possunt irritare Votum, & qui indirectè?*

℟. Illi directè, quibus ita est subjecta tam voluntas voventis, quam materia voti, ut in illam jus habeant. Indirectè vero illi possunt irritare, quibus est subjecta materia voti, non autem voluntas voventis, Quos in specie late enumerat *La Croix*. L. 3. P. 1. n. 482.

18. *Quid est Commutatio Voti?*

℟. Est substitutio alterius honesti Operis loco ejus, quod per votum promissum fuerat, sub eadem obligatione.

19. *A quo fieri potest Commutatio voti?*

℟. Si fiat in melius opus, potest fieri propriâ Authoritate, quia in meliori bono majus continetur. Si vero fiat commutatio in æquale bonum, problema est apud DD, utrum propriâ Authoritate fieri possit. Cæterum si fiat commutatio voti in minus bonum, aut dubium sit de æqualitate boni, requiritur omnino Authoritas Ecclesiæ, ut docent communiter DD.

20 Commutare potest vota ille omnis, qui potest dispensare, non tamen è contra, quia major est potestas dispensandi vota, quam commutandi.

21. *Quid est Dispensatio voti?*

℟. Est *absoluta condonatio Obligationis Voti, facta Nomine DEI.*

22. *Quis potest dispensare in Votis?*

℟. 1. Omnes Prælati, qui habent jurisdictionem in Foro externo, ut sunt Superiores Ordinum exemptorum, qui ordinaria potestate possunt dispensare cum suis subditis in illis votis, in quibus possunt Episcopi dispensare cum suis Diœcesanis. Episcopi autem possunt in omnibus, exceptis quinque Papæ reservatis, de quibus supra. 2. Confessarii Ordinum Mendicantium possunt in iisdem votis dispensare sæculares, virtute suorum Privilegiorum, ut FF. Minores ex Const. *Innocentii* VIII. Carmel. Clementis VIII.

23 *Nota*, quod Missionarii Carmel. Discal. ex concess. *Clementis* VIII. possunt dispensare cum sæcularibus etiam in voto perpetuæ Castitatis & Religionis, cum quibus etiam nostri Missionarii (ad Infideles) communicant, ut docet *Sanchez.* t. 34.

24. *Ob quas causas fieri potest Dispensatio?*

℟ 1. Ob bonum commune Ecclesiæ vel Reipublicæ. 2. Ob notabilem difficultatem in observa-

tione

tione voti. 3. Ob imperfectionem actûs, vel levitatem, ex qua processit votum.

§. II.

DE HORIS CANONICIS.

1. *Quid & Quot sunt Horæ Canonicæ?*

℟. Sunt preces quædam certis horis juxta Canones Ecclesiæ Deo persolvendæ.

2. Sunt autem septem, totidem Mysteria Passionis Dominicæ denotantes, prout his versibus explicatur,

Hæc sunt septenis, propter quæ psallimus horis,
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, Latus ejus Nona bipartit.
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

3. *A quo sunt institutæ Horæ Canonicæ?*

℟. Ab Ecclesia, nempe ab Apostolis, ut patet *Art.* 3. v. 1. Undè dicuntur D. Officium, vel quia per illas obsequium præstamus Deo, vel quia componuntur ex Divinis Literis.

4. *Quinam tenentur ad recitandum Divinum Officium?*

℟. Hi sequentes.

1mò. SS. Ordinibus initiati, non obstante, quod sint suspensi aut Excommunicati. Clericus autem incipit obligari à puncto Subdiaconatus suscepti, & quidem ad Horas correspondentes Horæ, quâ ordinatus est.

2dò Obligantur Clerici beneficiati etiam Minoristæ: nam beneficium datur propter Officium. Qui tamen habent duplex beneficium, non tenentur propter hoc duplciter recitare Divinum officium, sed sufficit, si faciant tot commemorationes, quot sunt beneficia seu Patroni beneficiorum S. R. C. 5. Julii 169

3tiò

3tiò Ad recitandum D. Officium tenentur ex Regula Professi Ord. Minorum, & omnes alii Religiosi, qui sunt obligati ad chorum, ut patet ex eorum Constitutionibus.

5. *An peccent prædicti, si omittant aliquam Horam?*

℟. Si id ex negligentia faciant, peccant mortaliter; Venialiter autem si unum Psalmum vel Hymnum negligant propter parvitatem materiæ, nisi id sæpius contingat.

Beneficiati ultra peccatum mortale tenentur in conscientia ante quamcunque sententiam restituere fructus correspondentes tali negligentiæ, ut si VG. omiserunt integrum Diei officium, totius diei privantur fructibus. Si Matutinum, mediam partem amittunt. Similiter si cæteras horas recitare negligant, ut patet ex Can. *de Beneficiatis*. Neque possunt pro se substituere alios, qui pro ipsis Horas Canonicas recitent, quia obligatio est Personalis.

Similiter illi tenentur ad restitutionem, qui D. Officium recitant voluntarie absque ulla attentione, talis enim recitatio est nulla, quamvis alii probabiliter oppositum teneant.

6. *Cui debeat fieri hæc restitutio?*

℟. Ecclesiæ, vel pauperibus, ut mandat *Gelasius* Papa.

7. *Quomodo recitari debet D. Officium?*

℟. Attente, clarè & devote.

8. *Quid est Attentio?*

℟. Applicatio animi ad opus, quod peragitur.

9. *Quotuplex est Attentio?*

℟. Duplex: *Interna*, quæ consistit in advertentia ad illud, quod fit. Et *Externa*, quæ consistit in exclusione actionis externæ incompossibilis cum attentione interna.

10. *Quæ ex his requiritur ad D. Officium attente recitandum?*

℟:

℟: Interna & non sufficit externa: Deus enim contra taliter Orantes conqueritur Math: 15: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me:*

11: *Quatuplex est Attentio interna?*

℟: Triplex: *Ad verba* materialiter sumpta. *Ad sensum* per verba significatum. Et *Ad DEUM*, quatenus illum colere intendimus:

12. *In recitatione D: Officii, quæ ex his est necessaria?*

℟ Est necessaria simpliciter attentio ad Deum, & ad verba materialia; non autem ad sensum, aliàs rudes & Moniales non satisfacerent.

13. *Quando Clare recitatur D: Officium?*

℟: Tunc, dum verba expressè & distinctè pronuntiantur. Ex quo patet, quod particulariter recitans Horas Canonicas debet se ipsum audire, non vero intra guttur murmurare, humanô enim modò recitandæ sunt.

14. *Quando Devotè recitatur D: Officium?*

℟. Tunc, quando cum modesta compositione corporis absolvitur.

15. *Quid de istis sentiendum, qui intra horas Canonicas rident, aut loquuntur?*

℟. Tales peccare mortaliter, si id voluntariè faciunt, magis adhuc, si cum scandalo juniorum, gravior enim est culpa irreverenter D. Officium recitare, quam illud omittere, quia omissio est actus pigritiæ, talis vero recitatio est actus irreverentiæ, ut notat D. *August*: de Oratione.

16 *An peccent, qui in Choro clarâ voce non cantant, etiamsi possint?*

℟. Affirmative. Tales enim juxta S: P: N: Franciscum Fratres Muscæ sunt appelandi, qui aliorum laborem manducant. Clamori tamen multum præponenda est elevatio mentis, quia:

Non clamor, sed amor cantat in aure DEI.

17.

17. *Quæ Interruptio est gravis in D. Officio?*

℞. Illa, in qua notabilis intercedit differentia temporis inter unum & alterum Psalmum, ita, ut recitatio Psalmorum alicujus horæ conjuncta interruptioni excedat durationem unius Horæ Horologii, sic enim recitans facit contra unitatem moralem D: Officii.

18: *An Inversio Horarum potest fieri licitè aliquando?*

℞. Affirmative, nam si quis vesperas ante Nonam recitaret, animadverso errore deberet recitare Nonam absque repetitione vesperarum, & sic de cæteris

Imò aliquando scienter id fieri potest absque ulla culpa etiam veniali, ut si quis VG. cum ægroto recitâsset Sextam & Nonam non recitata Primâ & Tertiâ, poterit post Nonam recitare Primam & Tertiam, non repetendo Sextam & Nonam.

Similiter veniens tarde ad Chorum potest, imo debet prosequi D. Officium cum Choro, animo posteà partem omissam supplendi, ut si VG. veniret ad Matutinum post Hymnum vel Psalmum, aut etiam tardius, debet cum Choro continuare reliqua, & posteà partem omissam supplere.

19. *Debetne ante Missam necessario recitari Matutinum?*

℞. Debet ex communi praxi Ecclesiæ. Si tamen necessitas celebrandi immineat, nulla apparet obligatio, sed sufficit, si posteà recitetur. Ita Tambur. Laym: & Gav: t. 1. p. 2.

20. *Quid præterea notandum est circa D. Officium?*

imò Quotiescunque sivè in D: Officio, sive etiam extra, non sequitur post orationem versus *Dominus vobiscum. Benedicamus &c.* toties brevi clausulâ terminari debet eadem Oratio sic VG. *Per Christum Dominum nostrum,* vel *Qui vivis & regnas in sæcula*

sæcu-

sæculorum. Secus vero concludi debet, nempe longiori conclusione, si post finem Orationis sequuntur prædicti versus vel alii.

2dò Quando particulariter recitatur ab uno tantum Matutinum aut Completorium, tunc ad petitionem benedictionis non debet dici: Jube *Domne* benedicere (prout dicitur benedictio in choro ab Hebdomadario) sed Jube *Domine* benedicere, quia non ab homine sed à Deo benedictio postulatur, qui propriè vocatur Dominus; omnis autem homo in quacunque dignitate etiam Papali, constitutus *Domnus* dici debet juxta *Merati* p. 2. t. 6. n: 47 ubi ex *Macrio* adfert hunc versum:

Cælestem Dominum, terrestrem dicito Domnum.

3tiò Frater Ordinis Minorum recitans ex libro & non memoriter D: Officium, consequitur remissionem dimidiæ partis peccatorum commissorum in illa die, quâ prædictum solverit D. Officium. Ex concessione Leonis X.

21. *Quæ sunt Decreta S. R. Congreg. circa Recitationem Divini Officii?*

1. Tertiarii S. P. N. Francisci degentes in sæculo, possunt uti Breviariô Ord: Minorum, & illius Calendariô conformari: Ita S: R: C: 7. Augusti 1694.

2. Quod debet intelligi de illis Tertiariis, qui non sunt de gremio alicujus Ecclesiæ, in cujus choro teneantur recitare officium, prout statuit S. R. C. 28. Sept: 1602.

3. Clerici tam Sæculares, quam Regulares, dum morantur extra suam Diœcesin non solum possunt, sed etiam debent recitare D. Officium suæ Diœcesis, non vero illius, in qua pro tunc manent. Ita S. R. C. 8. Septemb. 1605.

4. Re-

4. Recitantes D. Officium de Martyre, & celebrantes in Ecclesiis, ubi dicitur de Confessore, debent se conformare non tantum in colore, sed etiam quo ad Missam. Ita expresse statuit S. R. C. 7. Maii 1746.

Salvis tamen Privilegiis quo ad Missam, ut immediatè dicetur.

5. Communicatio etiam amplissima Privilegiorum unius Religionis alteri facta, non se extendit ad Officia propria Sanctorum & Missas. S. R. C. 16. Decemb. 1679.

6. In Orationibus non sunt nominanda cognomina & Patria SS. ut VG. in Oratione S. Joannis, *ly* à *Capistrano* est semper omittendum. Ita S.R.C. 23. Junii 1736.

7. In illis Sanctis aut Beatis Ord. Minor. S. P. N. Francisci, qui decesserunt ante Conc. *Constantiense* apponi debet titulus: *Ordinis Minorum S. Francisci*, & nihil aliud, nempè sine addito: *Conventualium* aut *Observantium*. Ita Decr. S. R. C. 16. Febr. 1737.

8. Omnibus autem utriusque sexûs servis DEI Tertiariis addatur Titulus: Tertiarii Ordin. S. Francisci. Eadem S. R. C. 16. Febr: 1737.

9. Quando in Mense Novembri sunt eadem die ponenda plura initia Prophetarum, dicenda est tantum unica lectio uniuscujusque Prophetæ, non verò tres in unam sunt componendæ. Ita *S*. R. C. 5. Julii 1698.

10. Non possunt poni plura, quàm tria initia Prophetarum unicâ die. Ita S R. C. superius cit.

11. Quando infra Octavam Corporis Christi fit Officium de aliquo Festo Duplici, non debet omitti 9. l. simplicis. Cæterum si fiat de Oct. ejusd. Corp. Christi omittenda est. Ita *S*. R. C. 4. April, 1705.

12. Translatô Festô quo ad officium, in cujus die conceditur indulgentia, non transfertur ipsa indulgentia, nisi ex Concessione speciali. Ita S.R.C. 10. Junii 1690.

13. Si vero transfertur Festum non solum quo ad Officium sed etiam quo ad Forum, seu quo ad populum, non desunt, qui censent transferri pro tunc etiam Indulgentiam, allegando Decr. S. C. Indulg: 2. Julii 1674.

14. In Translatione Festorum hic Ordo habendus est, ut scilicet prius agatur de Duplici, postea de semiduplici, & inter plura Duplicia, quod est magis solemne, sivè ex ritu, sivè dignitate ista solemnitas proveniat. Si vero omnia sint æqualia, unum ante aliud reponatur, eo modo, quo sunt scripta in Calendario, seu prout habent fixos dies secundum prius & posterius. S R. C. 7 Decemb: 1743.

15. Antiphona BV. M in fine Officii debet omitti in Choro, quando immediate sequitur Missa, etiamsi non cantatur à Choro, dummodo legatur à celebrante ut Missa Conventualis. S R. C. 14. Febr: 1705.

16. Quando Festum Purificationis BV. M. contingit transferri, non propterea transferenda est Antiphona: *Alma Redemptoris*. Sed juxta consuetudinem Basilicæ Vaticanæ finienda est 2. Februarii ante Completorium, & ab hinc dicenda: *Ave Regina*. Ita S. R. C. 11. Jan. 1681.

17. Non obstante, quod alicubi Festum Purificat: BV. M: celebretur cum Oct: & diutius perseveret usque ad 9: Febr: Ita S. R: C. 4 April: 1705.

§. III.
DE SUBDIACONATU

1. *Quid est Subdiaconatus?*

℟:

℟. Est: *Potestas, per quam Ordinatus in Subdiaconum potest portare calicem cum vino ad altare, præparare necessaria ad Eucharistiam, & Epistolam legere.*

2. *Quotuplex est Materia Subdiaconatûs?*

℟. Duplex: *Remota* & *Proxima*. *Remota* est duplex, Una est calix vacuus, & Patena vacua. Altera vero est liber Epistolarum. *Proxima* autem est horum traditio & acceptio:

3. *Quotuplex est Forma Subdiaconatûs?*

℟. Duplex: *Una* est correspondens materiæ primæ nempè calici & patenæ, quæ sunt hæc verba ab Episcopo prolata: *Videte, cujus Ministerium vobis traditur &c.* *Altera* correspondens libro Epistolarum, & sunt hæc verba: *Accipe librum Epistolarum &c.*

4. *Quod est Officium Subdiaconi?*

℟. 1. Calicem & patenam ad usum Sacrificii præparare, & ad altare deferre. 2. Epistolam solemniter cantare, scilicet cum manipulo. 3. Vinum & aquam Diacono porrigere. 4. Sacra vasa uti pallas, Corporalia &c. lavare. 5. Crucem in Processionibus portare.

5. *Nota*, quod deficiente Subdiacono pro Missa solemni potest substitui Clericus in Minoribus constitutus ad cantandam Epistolam, absque tamen manipulo. Ita S. R. C. 5 Julii 1698.

6. *Quæ est Obligatio Subdiaconi?*

℟. Est. D. Officium recitare, castitatem perpetuam servare.

7. *Quando & à quo fuit institutus Subdiaconatus?*

℟. A Christo D. *Joan:* 13. Quando linteô præcinctus pedes Discipulorum lavit.

8. *Quomodo Subdiaconatus poterat institui à*

Christo D. siquidem Materia ejus necdum fuerat, scilicet liber Epistolarum?

℟. Quod Christus D. materiam & Formam Sacramenti Ordinis solum in genere instituit, videlicet, ut sit aliqua res sensibilis pro materia, pro Forma vero verba exprimentia potestatem Ordinis. In specie autem assignare Materiam & Formam reliquit arbitrio Ecclesiæ.

9. *Quare Clericus potest cantare in Missa Epistolam pro Subdiacono absque manipulo, non tamen Subdiaconus Evangelium pro Diacono etiam absque Stola?*

℟. Quia Lector in traditione suæ Materiæ accipit Librum Epistolarum, qui etiam liber est Materia Subdiaconatus; hinc potestas Lectoris potest extendi ad Officium Subdiaconi. Cæterum materia Subdiaconatus non includit Evangelii librum, qui est materia Diaconatus. Undè nullo pacto Subdiaconi potestas extendi potest in Evangelium cantadum.

10. *Quando sunt plures Subdiaconi, aut Diaconi simul Ordinandi, requiriturne, ut singuli habeant suam Tunicellam, aut Dalmaticam?*

℟. Non requiri, sed posse ex præscripto Pontificalis eandem successivè omnibus imponi: aliud videtur de Sacerdotibus dicendum, qui cum celebrent Missam cum Ordinante, debent omnes esse induti sacris vestibus.

11. *Quid sentis de ampullis cum pelvicula & manutergio, quæ etiam traduntur Subdiacono, sub eadem formula verborum cum calice & patena?*

℟. Hanc traditionem non esse Materiam hujus Sacramenti, quia ea fit tantum ab Archidiacono. Materiæ autem Majorum Ordinum debent tradi ab Episcopo.

12. *Si traderetur Ordinando solus calix, vel sola patena, essetne valide Ordinatus?* ℟. Pro-

℞. Probabilius negativè, quia traditio illa refertur ad utramque partem sacrificii scilicet Corporis & Sangvinis, ideo utriusque vasa tradi debent.

13. *Si Subdiacono tradatur calix cum vino & patena cum hostia, eritne valida Ordinatio?*

℞. Erit, Ita *Lugo*; quia utile per utile non vitiatur; ac proinde calix & patena, quæ sunt vera Materia hujus Sacramenti, non vitiantur per præsentiam vini & hostiæ. Quia Episcopi intentio solum est, tradere sola vasa sine materia contenta in illis.

14. *Quæ sunt vestes Subdiaconi?*

℞. Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus & Tunicella: Manipulus quidem est propria ipsius vestis, aliæ communes Diacono. Ita *Tiberius* c. 5. 9. 31.

15. *Quid significat Tunicella?*

℞. Significat doctrinam Christi, unde in veteri lege tintinnabula ex tunica pendebant. Vel significat lætitiam & jucunditatem, quæ sequitur perseverantiam Castitatis.

§. IV.

DE DIACONATU

1. *Quid est Diaconatus?*

℞. Est: *Potestas, per quam Ordinatus in Diaconum potest proxime Sacerdoti in Ministerio Altaris assistere, & Evangelium solemniter cantare.*

2. *Quotuplex est ejus Materia?*

℞. Duplex: *Remota* & *Proxima*. *Remota* est liber Evangeliorum & manus Episcopi. *Proxima* vero est ejusdem libri traditio & acceptio, ac manus Episcopi impositio.

3. *Quotuplex est Forma Diaconatûs?*

℞. Duplex: *Una* correspondens 1*mæ* materiæ, & sunt hæc verba: *Accipe potestatem legendi &c.* *Altera* correspondens 2*dæ* materiæ, suntq; hæc verba: *Accipe Spiritum S.* &c.

4.

4. *Quod est Officium Diaconi?*

R. 1, Presbytero sacrificanti proximè assistere. 2. Evangelium solemniter cantare videlicet cum Stola. 3. In defectu Presbyteri, vel de ejus licentia Eucharistiam populo distribuere. 4 In absentia vel de licentia Presbyteri solemniter baptizare. 5. Populo prædicare.

5. *Quid denique?*

R. Sunt & alia ejus Officia ex Ecclesiæ constitutione, ut baptizandos instruere, purgare, vestibus exspoliare, Episcopo prædicanti assistere, eumque custodire, & tanquam ejus oculum populi mores pervestigare, eique, ut eos perficiat vel corrigat, referre, Bona Ecclesiæ dispensare, Eleemosynas distribuere.

6. *An Diaconus possit etiam ministrare Extremam Unctionem ex commissione Parochi?*

R. Non posse, quia id nullo jure ipsi conceditur.

7. *An Diacono liceat deferre Pyxidem, in qua sunt sacræ particulæ de uno altari ad alterum?*

R. *Cum Tambur. ex S. Thoma.* licere, quia Diaconus debet habere potestatem super Christi Corpus in sacris vasis contentum, & ex quotidiana praxi Diaconus pro solemni processione vel expositione pyxidem seu lunulam, in quibus est Eucharistia, educit è sacrario, vel à sublimi loco sumit, adducitque in manu Sacerdotis.

8. *Quid est solemniter cantare Evangelium in Missa?*

R. Est canere cum propria veste Diaconi.

9. *Quæ est propria illa vestis?*

R. Est Stola à sinistro humero per pectus, & deorsum ad latus dextrum, sub brachio dextro ducta.

10. *An ergo Subdiaconus non potest canere solemniter Evangelium in Missa?*

℟. Non posse cum tali solemnitate, hoc est, cum veste propria Diaconi.

11. *An Diaconus possit manu propria porrigere Eucharistiam Sacerdoti infirmo:*

℟. Ipsum Sacerdotem debere Eucharistiam de pyxide accipere si possit, & sumere, cum sit Sacerdos. Si autem non possit, porrigat illi Diaconus.

12. *Potestne etiam Diaconus sine commissione baptizare solemniter Parochô absente?*

℟. Probabile esse, quod possit proprio jure, etiamsi non sit extrema necessitas, dummodo sit non levis.

13. *Quid si Diaconus constituatur Parochus, potestne sine ulteriori commissione suos Parochianos baptizare solemniter?*

℟. Videri in tali majorem potestatem agnoscendam, quam in simplici Diacono, ac proinde hanc potestatem illi negandam non esse, sicut tunc potest solemniter prædicare ex officio.

14. *Si Diaconus extra casus dictos sine commissione Sacerdotis vel Episcopi baptizet solemniter, incurretne aliquam pœnam?*

℟. Incurrere Irregularitatem. *Ex Cap. 1. de Cler. non Ord. mini.*

15. *Per quam Materiam & Formam confertur Diacono hæc potestas dispensandi Eucharistiam, solemniter baptizandi ex Sacerdotis deputatione, & sacrificanti ministrandi?*

℟. Per manus impositionem & ejus formam.

16. *Quibus Vestibus debet esse indutus Diaconus, dum solemniter baptizat, aut defert Sacramentum Eucharistiæ ex comissione Parochi?*

℟. Aliquos judicare, quod superpelliceo & stolâ

per

per transversum positâ ad distinctionem à Sacerdote, aliàs evasurum illum irregularem, si stolam gestaret sicut Sacerdos.

17 *Potestne etiam Diaconus assistere Matrimonio cum commissione Parochi?*

℟. Non posse quia *Trid.* 24. c. 1. de *Reform.* hoc munus committit solum Parocho, vel alteri Sacerdoti de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia.

18. *Si ergo Diaconus sit Parochus, poteritne ex officio assistere Matrimonio?*

℟. In eo casu posse, quia vere erit Parochus.

19. *Peccatne mortaliter, si exerceat suum munus in statu peccati mortalis?*

℟. Non peccare, quia hæ actiones non sunt tam sacræ, sicuti Sacramentales.

20. *Anne hoc verum est etiam de dispensatione Eucharistiæ?*

℟. Etiam, ex Communi opinione.

21. *Quid habet plus potestatis Diaconus in recitatione Breviarii quam Subdiaconus?*

℟. Hoc, quod ante Orationes dicat: *Dominus vobiscum.*

22. *Potestne hunc versum dicere præsente Sacerdote?*

℟. Juxta Rubri. non posse, nisi de Sacerdotis licentia.

23. *Quæ est obligatio Diaconi?*

℟. Horas Canonicas recitare, Castitatem servare.

24. *A quo institutus est Diaconatus, & quando?*

℟. A Christo D. quando Discipulis Corpus & Sangvinem dispensavit. *Joan:* 13.

Plura vide de ejus Officio inferius Art: *de Requisitis ad Missam* Num. 9.

§. V.

§. V.

DE PRESBYTERATU

1. *Quid est Presbyteratus?*

℟. Est: *Potestas, per quam Ordinatus in Presbyterum potest consecrare Corpus & Sangvinem Christi, & à peccatis fideles absolvere.*

2. *Quotuplex est Materia ejus?*

℟. Duplex: *Remota* & *Proxima*. *Remota* est duplex Una est calix cum vino & patena cum hostia. Altera est manus Episcopi. *Proxima* etiam est duplex: Una est traditio calicis cum patena. Altera est impositio ultima manus Episcopi.

3. *Quotuplex est Forma Presbyteratûs?*

℟. Duplex: Una in traditione calicis cum vino & patenæ cum hostia, & sunt hæc verba: *Accipe potestatem offerendi sacrificium* &c. Alia in impositione manus Episcopi, & sunt hæc verba: *Accipe Spiritum* S, &c.

4. Cætera vero uti unctio manuum, sunt de solemnitate Presbyteratûs, non vero de essentia.

5. *Quotuplicem accipit potestatem Presbyter in sua Ordinatione?*

℟. Duplicem: *Unam* in Corpus Christi Physicum per traditionem calicis. *Alteram* in Corpus Mysticum per impositionem manus Episcopi.

6. Corpus Christi Mysticum sunt ipsi fideles, quorum supremum caput est Christus Dominus.

7. *Si Presbytero daretur prima potestas, absque secunda, validene ordinaretur?*

℟. Affirmativè, quia prima potestas non necessario dependet à secunda; in tali tamen casu non posset valide fideles à peccatis absolvere, quia nullam quo ad hoc haberet potestatem.

8. *Quid si illi daretur potestas secunda, & non prima?*

℟. In-

℟. Invalide ordinaretur, quia potestas absolvendi fideles à peccatis necessario præsupponit potestatem in Corpus Christi verum, nam in illa fundatur, cujus ratio desumitur ex mente Christi, qui prius dedit primam potestatem Apostolis, nempè in ultima cæna, secundam vero postea usque post resurrectionem *Joan.* 20.

9. *Quotuplex Clavis confertur Presbytero?*

℟. Duplex, Clavis potestatis, & Clavis scientiæ *Clavis potestatis* est: potestas, quam habet Sacerdos ad ferendam sententiam super pænitentes, seu absovendo, seu negando absolutionem, seu eam differendo, ex justitia, cum res ita postulaverit.

Clavis scientiæ est: potestas, quam recipit Sacerdos ad inquirendum, examinandum, & cognoscendum more Judicis ea, quæ spectant ad peccata pænitentium, antequam ferat sententiam, vel absolvendo vel remittendo, aut differendo absolutionem. Neque enim juste exequi posset ea, quæ sunt potestatis, nisi præcederet debita informatio & cognitio.

10. *An Sacerdotes magis docti excellant aliis in Clavi scientiæ?*

℟. Non excellere, sicut non excellunt in Clavi potestatis, siquidem omnes habent æqualiter potestatem inquirendi & examinandi pænitentes.

11. *Quid tamen habent præcellentiæ quo ad hanc Clavem?*

℟. Hoc, quod illi melius possint uti illâ Clavi scientiæ, quam indoctiores, inquantum possunt magis discrete ea inquirere, quæ sunt magis necessaria, abstinendo ab inquisitione superfluorum; cum è contra indocti sæpè hac Clavi abutantur, negligendo inquirenda, & inquirendo negligenda.

12. *Quare vocatur Clavis duplex, hæc potestas?*

Quia

℞. Quia quem ad modum clavis instrumentum est, quo aperitur vel clauditur janua: ita duplex hæc potestas est instar instrumenti Sacerdotibus, ad aperiendam januam cælorum pœnitentibus, absolvendo; vel claudendam, iis absolutionem negando, si opus fuerit, perspectâ prius eorum conscientiâ.

13. *Quod est officium Presbyteri?*

℞. Præcipuum & principale est: Missam celebrare, & à peccatis fideles absolvere.

14. *Quæ est obligatio Presbyteri?*

℞. Horas Canonicas recitare, & Castitatem perpetuo servare.

15. *Quot sunt Effectus Presbyteratus?*

℞. Tres: Gratia Habitualis secunda, Character & Gratia Sacramentalis, qui effectus sunt communes omnibus septem Ordinibus.

16. *Quotuplex causatur Gratia & Character in Ordinatione Presbyteri?*

℞. Duplex: Juxta *V. Scotum* in 4. d. 19. q. 1. sicuti etiam in Ordinatione ejus duplex illi datur potestas. Tum quia dum Presbytero datur potestas prima, causatur in illo Gratia & Character, ut omnes concedunt: ergo etiam dum secunda illi tribuitur, debet ipsi nova superaddi gratia, quia non est major ratio de una, quam de alia.

17. *Quando fuit institutus Presbyteratus?*

℞. Quo ad potestatem in Corpus Christi physicum fuit institutus in ultima Cæna. Quantum vero ad potestatem absolvendi, fuit institutus *Joan.* 20. dum dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis &c.*

18. *Quomodo Sacerdotes novi se gerere debent in Ordinatione, quando celebrant cum Episcopo?*

℞. Ad vitanda omnia pericula & perplexitates.

1. In-

1. Intendant formam recitare eô meliori modo, quem intendit Ecclesia. 2. Nullô modô præveniant Episcopum in prolatione verborum Consecrationis, sed curent cum eo simul absolvere. 3. Habeant intentionem consecrandi eandem hostiam, si simul cum Episcopo absolvant formam, aliàs, proferendi verba saltem materialiter, in signum potestatis sibi concessæ.

19. *An Presbyteri Ordinandi debeant legere Missam cum Episcopo genuflexi?*

℟. Affirmativè. Ita statuit S. R. C. 20. Sept. 1749

20. *An teneantur inchoare cum celebrante omnino ab initio Missæ?*

℟. Non tenentur, sed sufficit, si incipiant ab Oblatione Panis, nempè à *Suscipe Sancte Pater &c.* Ita S. R. C. 20. Sept. 1749.

21. *An debeant omnes Cruces, Genuflexiones, & omnes illas, quas Episcopus facit, actiones facere?*

℟. Negativè. Ita statuit S.R.C. 20. Sept. 1749. Unde postquam sunt communicati ab Episcopo, non tenentur etiam de calice illo, quem in ordinatione sua tetigerunt, ablutionem sumere. Ut S. R. C. declaravit eadem die & Anno ut supra.

22. *Ad quos dies obligant Presbyterum tres Missæ ab Ordinante impositæ?*

℟. In ordine ad dies tantum illos, in quibus ex præscripto rubricarum Missalis legi Votivæ possunt. Ratio est: quia illa semper interpretatio est habenda, per quam legum contrarietas vitetur. L. *Præcipimus.* Cod. de Appella.

ARTICULUS IV.

De Privilegiis.

1. *Quid est Privilegium?*

℟. Est Lex privata concedens beneficium speciale. Ita jus Canonicum cap. *Abbate.* 2.

2. *Quotuplex est Privilegium?*

℟. Duplex *Reale* & *Personale* 1mum est quod conceditur directe rei, Officio statui, Dignitati, aut conditioni. *Personale* est quod conceditur specialiter Personæ aut intuitu Personæ.

3. *Quam diu durat utrumque?*

℟. *Reale* durat cum re, Officio, statu &c. & ideo dicitur Perpetuum juxta Regul. 7. Juris. *Personale* vero extingvitur cum Persona, nisi concedatur Personæ propter causam quæ est perpetua, vg qua Duci, Comiti, Principi &c. tunc fit Reale & Perpetuum, transitq; ad Successores in eadem dignitate existentes.

4. Item aliud est Privilegium *Gratiosum.* Aliud *Remuneratorium*, & Aliud *Conventionale.* 1mum est illud quod ex sola liberalitate absque meritis præcedentibus & requisitis conceditur. 2dum vero est: quod non gratis sed intuitu meritorum datur. *Conventionale* est quod datur cum obligatione alicujus oneris vel compensationis.

5. Item aliud est concessum *in Bonum Commune*, & aliud *in Bonum Privatum* alicui Personæ.

6. Aliud *Favorabile* & aliud *Odiosum.* Jllud est quod in nullius præjudicium cædit. Odiosum vero est quod præjudicat alteri.

7. Aliud *Affirmativum* quod concedit facultatem aliquid agendi sive contra sive præter jus Commune. Aliud *Negativum* quod concedit facultatem omittendi aliquid contra jus Commune.

8. Aliud est *pro Foro Conscientiæ* inserviens, nec foris agnoscitur. Aliud *pro foro externo*, quod non solum prodest in foro conscientiæ, sed etiam agnoscitur in foro externo judiciali.

9. Aliud est Privilegium *Scriptum* aliud *non scriptum*, sed oretenus à Superiore VG. Papa concessum,

sum, & tale dicitur datum *vivæ vocis oraculo.* Aliud *Ex motu proprio*, quod datur ex ipsa præcisè voluntate Superioris, independenter à petitione Privilegiati. Et protunc solet addi hic terminus in Privilegio: *Ex motu proprio.* Et aliud *ad instantiam partis.*

10. Solent etiam Pontifices concedere aliquando Privilegium ad similitudinem & exemplum alterius, quod vocatur Privilegium *ad instar.* Ubi notandum est, quod si illud Privilegium *ad instar* cujus hoc factum est, mutaretur in aliquo, non propterea debuisset mutari Privilegium *ad instar* concessum, quia hoc pro reliquo tempore non dependet à suo prototypo.

11. *Quando Privilegium habet suum effectum?*

℞. Dum Privilegiato innotescit & acceptatur ab illo. Ratio est, quia Privilegium est veluti quædam donatio, quæ ordinarie non valet nisi acceptetur à donatario,

12. *Quid est Privilegium Canonis?*

℞. Est illud, quod *Innocent II.* in concil. *Lateran.* statuit A. 1139. cap: *Si quis suadente Diabolo &c.* 29. 94. quo cavetur, ne Clerici ab aliquo injuriosè percutiantur, sub pæna Excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ extra mortis articulum.

13. *Quid est Privilegium Fori?*

℞. Est illud, quo Persona Ecclesiastica eximitur à sæculari Jurisdictione, tam in Civilibus, quam in Criminalibus, nec non ab omnibus operibus personalibus & realibus Laicorum. Et hoc Privilegium habetur Lib. 3. Decretal. Tit. 49.

14. *Quale ergo Privilegium habent Personæ Ecclesiasticæ quo ad Bona fortunæ?*

℞. Sunt liberi ab omnibus exactionibus, tributis, & gabellis, ut patet ex Jure Can. *Adversus* 7.

& Cap. *Quanquam* 4. de Censib. à Bonifacio VIII. & alibi pluribus in locis. Quod etiam habetur in jure Civ. authent. *Item nulla* Cap. *de Episcopis & Clericis.* Et juxta Clementin *Præsenti* 3. *de Censibus* excipiuntur ab exactionibus Bona jure hæreditario acquisita à Clericis.

15 *An Personæ Ecclesiasticæ sunt exemptæ etiam à præstandis Contributionibus & solvendis tributis tempore necessitatis?*

℟. Sunt exemptæ. Exceptâ illâ necessitate, in qua sex Conditiones à SS. Canonibus requisitæ concurrant. 1. Ut necessitas vel utilitas sit gravis. 2. Ut sit communis, Clericos & Laicos tangens. 3. Ut Laicorum facultates non sufficiant. 4. Ut Episcopus cum Clero quo ad hanc necessitatem deliberet & agnoscat. 5. Ut consulatur prius Romanus Pontifex, nisi sit periculum in mora. 6 Ut collectæ & onera non imponantur & exigantur authoritate Laicali, sed Ecclesiastica.

Aliter facientes incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam. Ut patet ex Bulla Cænæ Dni. §. 21. & 22.

16. *Quinam gaudent Privilegiis Canonis?*

℟. Gaudent omnes, Clericî nomen & rem habentes, uti sunt Clerici etiam solum tonsurati, Eremitæ &c. de quibus supra dictum est Sect. 3. Art. 1. N. 2. & 10. Privantur vero hoc Privilegio Canonis, Degradati, aut immiscentes se enormibus delictis, ut habetur Cap. *Cum non ab homine* 14.

17. Enormia autem delicta sunt: Homicidium, Commotio seditionis & belli, Aggressiones, furtum, & alia, quæ infamiam pariunt Cap. *Infames.* Item qui dimisso habitu vel tonsurâ, immiscentur negotiis sæcularibus, aut histrionum, vel tabernarios agunt. Hi enim tertiò ab Episcopo moniti, si non emenden-

tur

tur, privantur Privilegio Canonis. Cap. *In audientia* 25.

18. *Quinam incurrunt Excommunicationem inflictam per Canonem? Si quis suadente &c.*

℞. Non tantum percutientes injuriose Clericum, sed etiam consentientes, mandantes, consulentes, aut ex Officio non impedientes. Ita Cap. *Quantæ* 47. *de sent. Excom.*

Ubi *nota*, quod, ut hæc pœna Canonis incurratur, debet esse percussio Clerici non casualis & præter intentionem, ut solet fieri in jocis, sed intentionata, & prævisa, quia debet esse omnino mortaliter peccaminosa, ut docent communiter D.D.

Unde si Professor percussisset modo debito Clericum discipulum, & probabilius, quod etiam & Parens cum intentione emendandæ vitæ Filii sui Clerici, non incurrissent in Excommunicationem Canonis, quia non percussissent *suadente Diabolo*, sed suadente rigore justitiæ & recta intentione. Ita D.D.

19. *An quædam Privilegia Regularibus sint concessa?*

℞. Utique singulis plane sæculis sunt à variis Pontificibus concessa Regularibus, aliqua ob meram liberalitatem, aliqua vero ob merita ipsorum in Ecclesia, ex quibus tot & tam Sancti prodierunt Vicarii Christi. Hæc Privilegia etiam post Concil. Trid. manent in suo robore, exceptis illis, quæ Canonibus & Decretis ejusdem Trid: contrariantur. Ut novissimè confirmata à Benedicto XIII. in Const: quæ incipit. *Summe decet.*

20. *Quænam hujusmodi Privilegia sunt Religiosorum?*

℞. Sunt plurima, quæ dispersim suis in locis adducentur, præsertim hoc speciale est: quod sint exempti à Jurisdictione Ordinarii quo ad Regimen, ut constat in *Trid.* Ses: *de Regularibus* c. 20. Et spe-

ſpecialiſſimè nos Minores & Prædicatores exemit Sixtus IV. *In mari magno.* Et ideo Regulares non obligantur ad leges Epiſcopales, aut Synodales. Neque Epiſcopi poſſunt eorum viſitare Eccleſias, Altaria, Oratoria, Sacriſtias, Paramenta, &c.

21. *In quibus Caſibus ex Tridentini Decreto Regulares ſubijciuntur Epiſcopis?*

℟. In his quindecim.

1mò; Quod Regulares, dum volunt prædicare in alienis Eccleſiis debent petere licentiam ab Epiſcopo, dum vero in ſuis, petant benedictionem. Ita *Trid.* Ses: 5. *de Refor:* c. 2. & Ses: 24. c. 4.

2dò Regularis in ſæculo cum ſcandalo delinquens, poteſt ab Epiſcopo tanquam à Sede Apoſtolica Delegato viſitari & corrigi. Ses; 6. cap: 3. Quod tamen intelligitur de illo Regulari, qui ſtabiliter manet extra clauſtrum, nec quotannis viſitatur à ſuo Superiore. Ita *Panorm.* Navar. *Henriq.* &c.

3tiò Regulares curam animarum exercentes pro ſæcularibus, ſubſunt Viſitationi & correctioni Epiſcoporum, ſed tantum quo ad illa, quæ ad dictam curam pertinent. Ses: 25. c: 11,

4tò Regulares extra clauſtra degentes (ex aliquo ſpeciali Privilegio, non vero ad tempus cauſâ Eleemoſynæ vel prædicationis,) poſſunt conveniri coram Ordinario in cauſis civilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum, & cogi ad ſolvendum debitum. Ses. 7. c; 14,

5tò Præcedenti examine ab Epiſcopo ordinentur. Ses: 23: c. 12.

6tò Debent approbari ab Epiſcopo ad Confeſſiones excipiendas. Ses: 23 c: 15.

7mò Contra Regulares ſine licentia ſui Prælati extra clauſtrum recedentes, etiam ſub prætextu Superiores accedendi, Ordinarius poteſt punire eos. Ses: 25. c: 14.

8vò Regulares Missi studiorum causâ ad Universitates, si in Conventibus non habitent, potest Ordinarius contra eos procedere: ead Ses:

9no Censuræ non solum à Sede Apostolica emanatæ, sed etiam ab Ordinariis promulgatæ mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, & dies festi novi serventur. Ses: 25 c: 12.

10mò Regulares etiam Monachi ad publicas Processiones vocati accedere tenentur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. Ses. 25. c: 13.

11mò Non possunt sine Episcopi licentia Missas in privatis Oratoriis celebrare. Ses: 22: sed quia post *Trid:* Gregorius XII in Constit: *Usus Altaris Viatici:* concessit denuo P.P. Societ: JESU; hinc controversia est inter D: D: utrum saltim per communicationem Privilegiorum, non possumus uti in praxi hoc Privilegio?

12mò Moniales etiam exemptæ possunt cogi ab Ordinario ad servandam clausuram Ses: 25 c: 5.

13tiò Regulares possunt cogi per censuras ab Episcopo, ut Novitiis à Religione abeuntibus omnia restituant, quæ secum portaverunt. Finis hujus Decreti est: ne omnibus destituti rebus cogantur profiteri non libere. Ses: 25: c: 16.

Ex quo patet graviter peccare contra proximum & Religionem illos Magistros Novitiorum, qui exeuntibus de Novitiatu aliquas infligunt pœnas; sic enim aliis incutitur timor, & magna ex parte tollitur libertas.

14to Quod Controversias omnes de præcedentia inter Regulares in Processionibus & funeribus, Episcopus remotâ omni appelatione componat Ses: 25 c 13

15tò Quod Regularis exemptus intra claustrum degens, & extra illud notariè delinquens cum scan-

dalo

dalo populi, Episcopo instigante, intra tempus ab ipso præfixum debet à suo Superiore puniri, & Episcopus de tali pæna inflicta certior reddi. Ses 15 c 14.

Ex quo patet, quod Episcopus non po est Regularem delinquentem per se punire aut capere, nisi timeatur fuga, sed intra 20. horas tenetur illum tradere suo Superiori.

22. *Quomodo Regulares exempti contra Ordinarios se molestantes, debeant se defendere?*

℞. Possunt id facere quatuor modis.

1mò Declinates ejus forum, & allegando Exemptionis Privilegium super re, de qua cum Ordinario disceptandum esset.

2dò Opponendo præscriptionem Canonicam quadragenariam.

3tiò Refugiendo ad Conservatorem Privilegiorum, qui potens est etiam Censuris refrænare Ordinarios.

4to Recurrendo ad S. Congregationem de gravamine sibi illato.

23. *Quid sit Communicatio Privilegiorum, & qualiter fiat?*

℞. Communicatio Privilegiorum nil aliud est, quam extensio illorum, ita ut, quæ sunt specialiter indulta uni Religioni, per Communicationem conceduntur aleri. Hæc autem Communicatio solet concedi ex speciali Indulto Sedis Apostolicæ. Et sic

Omnes Mendicantes communicant Privilegia ad invicem concessa & concedenda, imò etiam aliorum Ordinum non Mendicantium, ut decrevit Julius II. Sixtus IV. Leo X. Paulus IV. Pius V. Et specialiter pro nostro Ordine Minorum habetur amplissima concessio Clementis VII. in Bulla 2. in qua motu proprio tribus Ordinibus S: P: Francisci communicat omnia Indulta, Gratias, Indulgentias, &

alia quæcunque Privilegia concessa & concedenda aliis quibuscunque Ordinibus tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus, ita ac si specialiter fuissent concessa. Quæ Bulla confirmata est à Paulo IV Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. Benedicto XIII.

Insuper Moniales omnes non tantum *S.* Claræ & Tertiariæ claustraliter viventes subditæ Minoritis, sed etiam aliæ Moniales subjectæ Minoribus gaudent Privilegiis FF. Minorum, prout statuit Bonifacius VIII.

Imò & Sorores Conversæ, ac utriusque sexus Personæ de Pænitentia nuncupatæ, voto continentiæ emisso, & viventes sub directione Mendicantium iisdem gaudent Privilegiis ex Leone X: *Datum per non &c.*

24 *Quomódo Privilegia cessent?*

℟. His præcipuè quinque modis.

1mo Cessante causâ, ob quam concessum est Privilegium.

2do Per non usum, quando est odiosum & redundat in gravamen alterius. Quia omnes obligationes tam reales quam personales sic extinguuntur, nempe spatio 10. annorum inter præsentes, & 20. annorum inter absentes.

Privilegium autem Ecclesiæ cessat per non usum 40 annorum. Et contra Romanam Ecclesiam spatio 100 annorum. Contra Monasteria, loca pia, personas, vel bona Religiosorum non cessat per non usum prætensio, nisi post 60. annos, & ut currat præscriptio, requiritur notitia Privilegii, & voluntas non utendi illo.

Si vero Privilegium non cedit in gravamen alterius, non amittitur per non usum, quia neque ipse Privilegiatus contra se ipsum, neque alii, ad

quos

quos non pertinet, præscribere possunt sive privare Privilegio.

3tio Cessat etiam Privilegium per voluntariam renuntiationem exterius factam, & à concedente acceptatam.

4to Amittitur Privilegium per abusum, si scilicet aliquis non utatur Privilegio ad finem in Privilegio intentum, sed potius in contrarium.

5to Tandem cessat Privilegium per Revocationem factam ab habente potestatem:

Nota Quod omnia Privilegia vivæ vocis Oraculô facta à Summis Pontificibus tam quo ad forum internum, quam externum spectantia, fuerant revocata à Gregorio XV per Bullam *Romanus Pontifex* A: 1622: die 2 Julii. Quod intelligi debet tantum de illis vivæ vocis Oraculis, gratiis concessis, quæ sic sunt concessæ usque ad annum 1606. Diem 29 Aprilis, & non amplius. Ratio est, quia hoc Anno Paulus V per Constit. quæ incipit: *Injuncti nobis* omnes gratias & Privilegia per solam signaturam aut vivæ vocis oraculo concessa confirmavit ac Bullæ suæ inseruit; Unde sic inserta non manebant jam tempore Gregorii XV nuda ac vivæ vocis Oraculo, sed erant jam Privilegia motu proprio, & ex certa scientia per Breve Apostolicum concessa, adeoque ita non censentur esse revocata. Ita *Saning*:

ARTICULUS V.

De Privilegiis Tertiariorum, & aliis Circumstantiis ipsos concernentibus.

1, *An Laici possunt deferre Habitum Religiosum absque licentia Superiorum ejusdem Ordinis?*

℟. Non

℟. Non possunt. Hoc enim rigorosè prohibitum est à Gregorio IV. Urbano VIII. Const; *Cum sicut* &c. 1638 & novissimè Innocentius XI 1686. 2 Martii. Quod intelligi debet etiam de Habitu sine caputio, ut expresse innuit S: Cong: sub eodem Innocentio XI:

2. *Quam diu pueri possunt deferre Habitum Religionis?*

℟. Usque ad annum sextum inclusivè, quo expletô tenentur illum deponere, prout decrevit S. Cong Die 10. Januarii 1627.

3. *Quâ ætate Novitii suscipi possunt ad Habitum?*

℟. Juxta Mandatum Clementis X. statuit S. Cong Die 16 Maii 1675. Ut pro Clericis completâ ætate 15. annorum, pro Tertiariis vero Oblatis seu Donatis &c. aut quocunque alio nomine nuncupatis, aut quovis prætextû vel causa, aut quæsito colore nullomodo admittantur intra Claustra, nisi vigesimum ætatis suæ annum expleverint, sub privatione Officiorum, & perpetuæ inhabilitatis ad illa obtinenda Superioribus in contrarium facientibus.

4. *A quo potest suscipi Habitus Religionis?*

℟. A Superiore Conventus, vel de ejus Consensu & licentia ab alio ab ipso destinato. Ita statuit Sixtus IV. Const. *Sacri* &c. sub nullitate Privilegiorum ac gratiarum talibus Personis concessarum.

Nota, quod FF. Capucinis prohibitum est Mulieres ad Habitum S. P. Francisci recipere, & quidem sæpius hoc illis interdictum est. *Imo* 1616. Die 20. Decembris. *2do* Die 29. Novembris 1633. Et cum ab hoc Decreto apellat onem fecissent P. P. Capucini, iterum *3tio* prohibitum est illis Die 15. Maii 1655. Et cum tot tantisque Decretis parere renu-

renuerent, factum est ultimatum Decretum Die 20. Martii 1572. Confirmatum à Clemente X. Die 10. Octobris ejusdem anni, in quo perpetuum quo ad hoc inhibetur silentium eisdem P.P. Capucinis, ne diutius lites durarent; prout sequitur.

Præfatis Fratribus Minoribus Capucinis nuncupatis, ne in posterum in admittendis mulieribus ad Habitum Tertii Ordinis S. Francisci sive in ipsis dirigendis se ingerant, Authoritate Apostolicâ tenore præsentium interdicimus, ac prædictis, Fratribus Capucinis perpetuum super præmissis silentium imponimus.

5. *Quale Privilegium habent Tertiariæ S. P. Francisci, quæ in Domibus Consangvineorum manent emissô votô Castitatis?*

℞. Juxta Constit. Leonis X. editam in Conc. Later. & Sacr. Congr: Episc: & Regul: 20. Decembris 1616.

Gaudent Privilegio fori, & exemptione à Laica Jurisdictione & Gabellis.

Item habent Privilegium Canonis. *Si quis suadente* &c. Numerantur enim inter Personas Ecclesiasticas, siquidem sunt DEO consecratæ per expressum simplex votum Castitatis, & propositum servandi Regulam de Tertio Ordine S. P. Francisci à Sede Apostolica approbatam.

Insuper si absque electione Sepulturæ mori illis contingat, sepeliendæ sunt in Ecclesiis Ordinis, cujus Habitum assumpserunt. Sic enim habet in terminis N. textus Decreti S. Congreg. supra specificatæ. *Hoc autem voto mulierum alia duo scilicet Paupertatis & Obedientiæ nequaquam includi quinimo hujusmodi mulieres si Virginalem aut Cælibem Castitatem simpliciter & expresse voverint, etiam in Consangvineum & Affinium suorum, aut propriis Domibus, vel seorsim habitantes, supradictis*

Fri-

Privilegîis Ordinis, cujus Habitû tertiæ Regulæ deferunt, exemptioneque ab Ordinarii Jurisdictione frui debere.

6. *Quæ Conditiones requiruntur in hujusmodi Tertiariis?*

R. Juxta Decretum S. Cong. Ep. & Regul. immediatè citatum, requiruntur sequentes:

1ma Ut tales Tertiariæ ab Ordinario Loci habeant licentiam faciendi votum simplex Castitatis, ac susceptionis Habitum Tertiæ Regulæ.

2da Ut sint ætatis maturæ saltem 40 annorum.

3tia. Ut non maneant cum Viris, nisi ad summum cum Consangvineis vel Affinibus, & hoc quidem in primo gradu conjunctis.

4ta Ut habeant modum vivendi honestum de proprio.

5ta Ut tales Mulieres solum recipiantur ad Habitum, quæ essent probatæ vitæ, ac moribus nullâ notâ infamiæ aut suspicionis laborantes.

7. Tales Mulieres juxta Const. Pauli III. quæ incipit: *Ad fructus Fratres & Sorores &c: Postquam per unum integrum annum habitum Probationis detulerint, si conversatio laudabilis fuerit, per habentem facultatem Ministri Generalis recipiendi ad hunc Tertium Statum solummodo & non per alios ad Professionem recipiatur.* Huc usque sunt verba Pauli III. Constit. quæ intelligi debent non tantum de prædictis Mulieribus, quæ votum Castitatis emiserunt, sed etiam & de viris, ut patet ex primis terminis *Fratres*.

8. *An hoc ipsum intelligi debet de Viris Tertiariis, quod dictum est de Mulieribus cum voto simplici Castitatis viventibus? Præsertim utrum etiam hi gaudeant Privilegio fori & Canonis?*

R. Hoc Privilegium minimè illis favere debet, si in propriis Domibus maneant, etiam clausrali-

ter,

ter, ut patet ex Const: Leonis X. *Fratrès autem & Sorores Tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigeati &c. & alii quôcunque nomine nuncupati in propriis Domibus habitantes &c. Ad onera, quæ Laicis incumbunt perferenda, teneantur, ac in foro sæculari coram Judicibus sæcularibus conveniri possint.* Et inferius statim subjungit hoc Privilegium solis Mulieribus vitam cælibem ducentibus inservire Pro Viris autem nullibi adest tale Privilegium, etiamsi habeant simplex Castitatis votum, si non maneant claustraliter.

9. *Utrum Tertiarii per Professionem 10. Præcepta DEI observare strictius promittentes, novam sub peccato obligationem incurrant?*

℟. Videtur, quod sic, cum enim sit promissio DEO facta, Voti obligationem inducere debet. Consequenter contra eam peccatum mortale committitur, distinctum à communi obligatione.

Verior tamen ac Communior est sententia *Negativa Lezan*: p. 2. c. 14, & aliorum plurium, docens, quod nequidem venialiter peccant alio peccato Tertiarii, si contra Præceptum aliquod Decalogi delinquant, ita ut aliud esset peccatum causâ transgressi Præcepti, & aliud ratione Voti violati. Ratio est, quia in Constit Leonis X. sunt hæc verba: *Omnia & singula in præsenti Regula contenta, sunt Consilia ad facilius salvandas animas Viatorum, & nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel Divinô jure aliquis alias esset obligatus.*

10. Unde in Professione Tertiariorum hic Terminus, *Promitto*, quo profitentes utuntur, non significat votum, sed purum propositum, ut observat *Thom. Tambur.* Explic: Decalog. lib. 3. c. 11.

11. Optimè ergo facient Superiores ad Habitum susci-

ſuſcipientes, ut, priuſquam ad Profeſſionem admittant Tertiarios, inſtructos eos faciant, ut ſciant, quod ſedes Apoſtolica per talem Profeſſionem non vult eos obligare ſub culpa mortali aut veniali, ne poſtea ex ignorantia exiſtiment ſe ad promiſſa ſub nova culpa oblgari.

12. *Quot ſunt Tertiariorum Genera?*

℞. Sunt præcipuè Quatuor.

1mum eſt illorum, qui cum tria Vota emittant, veris Religioſis adnumerantur, eorumque fruuntur Privilegiis.

2dum eſt illorum, qui Habitu Tertii Ordinis induti, Fratribus inſervientes, in Cænobiis vitam ducunt. Hujus Generis ſunt etiam Mulieres, quæ Virginalem aut Cælibem vitam ſimpliciter voventes, ſub dicto Habitu in propriis vel Conſangvineorum Domibus inhabitant.

Et tales Tertiarii gaudent Privilegiis Bullæ Nicolai V. incipientis: *Etſi cunctorum*. Et Tertiariæ Privilegiis Leonis X. quæ ex Decreto S. Cong. 11. Decembris 1615. poſſunt & debent etiam invito ac minimè requiſito Parocho in Eccleſiis Fratrum Minorum ſepeliri.

3tium Genus Tertiariorum eſt illorum, qui Regulam quidem Tertii Ordinis profitentur, ſed nullum Votum emittunt. Et hi neque à Laica neque ab Eccleſiaſtica Juriſdictione eximuntur, ſeu non gaudent Privilegio Fori, præciſè ex eo, quia ſunt Tertiarii. Si tamen ſint Sacerdotes ſæculares, poſſunt in Horis Canonicis uti Breviariò, quo Fratres Minores utuntur. Ex conceſſione Pauli III. in Bulla, quæ incipit: *Ad fructus uberes* & ex Decreto S. R. C. 7. Aug: 1694.

4tum. Ac Ultimum Genus eſt illorum Tertiariorum, qui totum Habitum Tertii Ordinis aſſumunt,

non

non tamen vota ulla emittunt, sed veluti Eremitæ aut Peregrini, de loco in locum vagantes, sub ovina pelle atrocissima quæque scelera sæpissimè committunt. Talibus illi duntaxat Superiores Habitum concedere possunt, quibus Religionis honestas & Zelus vili pretio æstimatur. Et tales nomine non re Tertiarii nullo gaudent Privilegio, Religiosum duntaxat Habitum deturpantes. Contra tales posuit Decretum Urbanus VIII Die 5. 8bris 1638. Ut si nullas testimoniales literas haberent à Superioribus Ordinis, Carceris detentione, Habitus privatione, aliisque arbitrariis pænis puniantur. *Si* vero alicui ex his, videbitur Superioribus dare Habitum (quem per amorem Religiosæ Honestatis de facili non debent concedere) ultra barbam concedenda est illis tunica brevior ac Scapulare pallio longius, ad differentiam Tertiariorum Commensalium. Ita statuit Benedictus XIII. in Constit: *Alias emanarunt* 16 Maii 1729.

Nulli autem Superiorum abhinc conceditur facultas dandi Habitum cum Caputio Eremitis, Peregrinis, aut quovis nomine nuncupatis, extra Claustra degentibus; Et si tales comprehenderentur, ultra jam specificatas Pænas, gravius puniri præcipiuntur à prædictis Pontificibus in dicta Constit: *Alias* &c. non obstantibus literis testimonialibus à Superioribus illis, qui tale Caputium permisissent gestari.

13. *Quæ Privilegia habent Tertiarii quo ad Præcedentiam?*

℞. Fratres Tertiarii Sæculares Tertii Ordinis S. P. N. Francisci habent Privilegium præcedendi quascunque Confraternitates Laicales ex Constit. Benedicti XIII. *Paterna sedis* &c. 10. Decembr. 1725. Et ex Decreto Sacræ *Rotæ* Romanæ 11. Mar-

tii

tii 1743. Ac tandem novissimè 2. Octobr. 1748. Benedictus XIV. decrevit ac confirmavit hanc ipsam gratiam cum declaratione, quod scilicet præsens Decretum non solum intelligi debet de illis Tertiariis, qui vestem totalem, sed etiam de illis, qui particularem scilicet Scapulare & cingulum exterius apparentem deferunt.

14. *Quod Privilegium habent Syndici Ordinis Minorum?*

℟. Syndici Apostolici Fratrum Minorum gaudent Privilegio fori, non tantum in causis civilibus, sed etiam Criminalibus, Ex Decreto S. Cong: Immunit 23. Maii 1645. Ex Constit. Clementis VII. 4. Aug. 1654. Quod Privilegium novissimè confirmavit Benedictus XIV. *Exponi nobis* 25: Maii. 1751.

ARTICULUS VI.
De Novitiis.

1. *Quisnam dicatur Novitius?*

℟. Jlle, qui de novo per idoneos Religiosos recipitur, & vestimentis probationis in Religione à sede Apostolica approbata induitur nullo voto adhuc emisso.

2. *Quanto tempore Novitius debeat stare in probatione?*

℟. Juxta *Trident.* Ses. 25. C. 5. *de Reg.* per integrum annum, & probabilius de momento in momentum. Unde Novitius susceptus 14 Octobris 1740. horâ VG. decimâ, sequenti anno debet professionem quidem emittere eodem Die 14. Octobr: sed hora quarta pomeridiana. Ratio est, quia annus de momento in momentum constat diebus 365. & horis 5. minutis 49. Ratio ulterior est, quia *Trid.* requirit probationem per integrum annum,

sed

sed absque his quinque horis & minutis 49 non est rigorosè integer annus, Ergo &c.

Sunt quidem plures Doctores, qui volunt intelligere Concilium de anno Civili, sed in his est valde cautè ac rigorosè procedendum, cum sit res plena scrupulis, & aliunde valde onerosa, quæ dubium sæpius excitare poterit. Tum quia non desunt gravissimi Authores, ut est *Suar. Sanch. Pignatell.* Tom. 10. Consult. 11. N. 1. Tum quia qui stetit in Probatione quatuor aut quinque horis minus, deciditur non stetisse integro anno. Tum quia intra has quinque horas potest sæpius evenire casus, quo Novitius recusaret Religionem, aut ipsa eum. Unde bene dicit: *Quilici* Confess. Manual. Quæst. 16. quod in anno probationis & ætate ad professionem requisitâ non datur parvitas materiæ.

Tum tandem maximè urget declaratio S. Cong. Die 21. Januarii 1617. dicens: *Professionem emissam non completo anni curriculo, etiam per duas horas tantum, non valere.*

3. *An in Anno Bissextili sit ad Professionem expectandus Decursus Diei accrescentis?*

℟. Affirmativè. Ita enim decisum est à Sacra Cong. 5. Junii 1617. sub his terminis. *Nullam esse professionem, si sit emissa in Anno Bissextili, non expectato lapsu illius diei, quì tunc de novo additur.* Hoc Decretum invenies apud *Haspensem* Summ. Regul: verbo *Professio* N. 346.

4. Et quidquid dictum est de anno probationis, hoc ipsum servata proportione applicari debet & anno ætatis sextodecimo, qui etiam debet esse completus de momento in momentum: Quia *Trid.* expresè requirit sub nullitate professionis annum 16, expletum, sed ante aliquas horas non est adhuc expletus Ergo &c.

Sed

Sed in hoc casu non est ita cautè procedendum, siquidem quo ad hoc ex una parte non est Decretum S. Cong. sicuti in primo: ex altera parte impossibile est scire determinatam horam, in qua natus est Novitius; hinc sufficit, si observetur annus Civilis; Tutius tamen semper erit in talibus circumstantiis prolongare paulisper tempus.

5. *Quæ observanda sunt in susceptione Aspirantis ad Habitum?*

℞. Hoc præsertim ex Constit. Innocent: XI. *Cum sicut.* 20. Novemb: 1679 Ut Aspirans ante susceptionem Habitûs plenè informetur de Obligationibus Religionis. Tenor Const. est: *Ut autem in ingressu Religionis unusquisque de Obligationibus, quas assumere vult, plenè informetur, statuimus, ut nullus recipiatur ad Habitum Religionis in eodem Ordine, nisi prius plene informatus sit de prædictis Regulæ Obligantibus in conscientia, & prævia hâc notitiâ velit probationem subire; Nec quisquam admittatur ad Professionem Regularem, nisi prius examinatus sit de intellectu Regulæ & præceptorum ejus, & deinde immediatè ante illam coram tota Communitate fiat ei protestatio, quod ad observantiam Regulæ cum omnibus ejus præceptis tunc numerandis & exprimendis obligatur in Professione, eamque protestationem admittat, & sub ea Professionem faciat.*

Sæpius enim auditi sunt nonnulli tepidi Religiosi conquerere, nescîisse tale jugum esse grave Franciscanæ Regulæ, putantes ad talem modum vivendi fore in conscientia obligatos, qualem in antiquioribus Professis intuebantur. Melius igitur est, plenè aperire statum vitæ Regularis, ut claudatur frivola ac inanis excusatio.

6. *Utrum Annus Probationis debeat esse omninò continuus?* ℞. Affir-

℞. Affirmativè, ut in terminis resolvit S. Cong. Concil. apud *Fagn.* consulta à Procurat. General. Ord. Minimorum. Nam sine dubio gravius est Religionis duritiem ac rigorem experiri per annum continuum, quam per annum interpolatum. Unde juxta cit. Resolut. S. Cong: Concilii. *Si aliquis Novitiorum ad duas duntaxat exiret horas, tenetur ab hinc denuo incipere probationem, etiamsi ultima die Anni probationis suæ id fecisset.*

7. *Quid de illo Novitio dicendum, qui de licentia & præcepto Superioris fuit tempore suæ probationis extra Monasterium per tres aut quatuor Menses VG. quæstuando, & tandem expletô annô emisit Professionem?*

℞. Hujus validam nonnulli affirmant Professionem & ita refertur sensisse *Suar Navar. Miranda apud Peyrin.* quibus etiam adhæret *Passarinus* Tom. 3. q. 189. Ratio illorum est; quia Novitius debet omnes austeritates Religionis probare, quæ in quæstuatione & extra Conventum solent esse graviores, quam in Monasterio.

Sed tutior est ex omni parte sententia docens hujusmodi Novitii invalidam esse Professionem, qui extra Monasterium per aliquot Hebdomadas moratus est, etiam de licentia Superiorum. Ratio est: quia Textus *Trid.* loc. cit. supra, præcipit intra claustra Novitiatum omnino absolvi. Tum quia hoc ipsum statuit Urbanus VIII. Bullâ Tom. 4. & Clemens VIII. Constit. *Cum ad Regularem.* Ubi loquens de Novitiorum educatione subdit: *Non liceat eis durante Novitiatûs & probationis tempore una cum* Professis *&c. nec permittatur eis, Professos Domô exeuntes comitari.* Ratio Ulterior est: quia Novitius existens extra Monasterium, nec Religionem probat, nec ab ipsa probatur.

8. Et

8. Et quia Novitii Conversi juxta Decretum Clementis VIII. *Debeant circa corporalia obsequia probari & exerceri.* Hinc possunt pro aliquo tempore eos comitari, & extra Conventum, dummodo non pernoctent, nisi id fortuito eveniat.

9. Novitius susceptus ad Habitum in uno Novitiatu, potest ad continuationem ejusdem transferri ad alium Novitiatum de licentia Superiorum sine præjudicio validæ professionis. Ita docet *Passarinus*, pro quo allegat declarationem S. Cong. Concil.

10. Non tamen potest transferri ad alium Conventum, ubi non est Novitiatus, in ordine ad curandum. quia in Ordine Minorum de Observantia ex Constit. Innocentii X. *Ad propagandam* 15. Octobr. 1954. *apud Lantus* Verbo *Novitius* n. 8. *Novitii debent curari omnino in eodem Conventu, ubi est Novitiatus.*

11. Novitius susceptus ad Habitum in Conventu non deputato pro Novitiatu, non incipit probationem, usque dum ingrediatur Novitiatum. Ut expresse mandavit Clemens VIII. in dicta Constit.

12. *Qvando pro Novitio, & à quibus debent dari Scrutinia seu Vota secreta?*

R. Juxta Constit. Innocentii X. cit. dari debent vota secreta quolibet quarto Mense à Fratribus, qui à duobus saltem mensibus actu fuerint de Familia in Conventu ipsius Novitiatûs; Unde per integrum annum debent tribus vicibus dari vota.

13. *An Provincialis non residens in Conuentu per duos Menses, potest dare votum Novitio in Ordine ad Professionem faciendam?*

R. Non potest juxta dict. Constit. Innocentii X. qui solum illos ad danda hujusmodi vota habilitat, qui actû per duos Menses manserunt in Coventu Novitiatûs.

14. *Poteſtne Provincialis ſaltem in paritate Votorum, proprium apponere Suffragium ?*

℞. Negativè Juxta Decret. S Cong. Epiſc. 1653 ſed talis Novitius eſt ejiciendus juxta Conſtit. Innocentii X.

15. *An Religioſi denegantes injuſte votum idoneo, aut dantes indigno, peccent ?*

℞. Peccant & quidem mortaliter. Quia in primo caſu faciunt Spirituale damnum Novitio, expellentes illum de illo ſtatu, ad quem eſt vocatus per Spiritum S. Jlli vero, qui indigno ſuffragantur per aliquem favorem, peccant contra Religionem, quæ incapacem perpetuo alere debet.

16. *Retrahentes conſiliô Novitium à Religione, quomodo peccent ?*

℞. Juxta Communiſſimam Sententiam peccant mortaliter, & quidem probabilius etiam non ſecutô effectû, quod etiam intelligi debet & de ſuffragante injuſte, non obſtante, quod ejus unicum votum non impediat.

17. *An Superiores poſſunt ultra annum prorogare tempus Probationis ?*

℞. Poſſunt. Quia licet *Trid.* aſſignat tempus unius duntaxat anni in ordine ad probandum Novitium, non tamen per hoc vetat aliquando ultra prorogare. Ut declaraſſe refertur S. Cong. à *Peyrin.* cit. §. 4. n. 102.

18. *Quæ renuntiatio Novitii invalidatur à Trid. Ses. 25. c. 16. de Regul: ?*

℞. Juxta Declarationem S. Cong. Conci: *Trid.* 22. Junii 1613. ſolum illa renuntiatio bonorum prohibetur, quæ fieret à Novitio jam induto exiſtente in actuali probatione, non vero facta ab Aſpirante nondum induto.

Valida etiam eſt Donatio facta à Novitio infra

duos Menses ante Professionem, cum licentia tamen Episcopi aut ejus Vicarii, cum hac tamen clausula, quod Monasterium non possit res donatas statim in possessionem apprehendere, sed usque factâ à Novitio professione. Quod si exire voluerit, debent illi omnia etiam alias validè donata Monasterio, restitui, prout sæpius resolvit S. Cong. Concilii *apud Fagn:* adducta.

19. *An Religio teneatur Novitio exeunti restituere pretium ab ipso factum pro Habitu?*

℞. Affirmant *Barbossa*, *Peyrin* & alii, sed juxta Declarationem S. Cong. debet restitui valor pro illo tempore, quo Habitum deponit. Neque pro victu potest Habitum sibi appropriare Religio, maximè in Ordine mendicantium, nisi Novitius cesserit juri suo, quia Eleemosynæ dantur etiam intuitu meritorum Novitii.

20. *Quid est Professio Religiosa?*

℞. Est Contractus reciprocus obligatorius, quo Profitens se obligat Religioni, ad vivendum secundum Regulam ejus, & Religio obligatur Religioso ad illum retinendum & tractandum secundum Religionis institutum.

21. Ut sit valida, debet esse facta in manibus Guardiani Novitiatûs, habentis quo ad hoc facultatem à Provinciali. Ut statuit Julius II. in Constit. *Papalibus* C. 2. citans Nicolai III. cap. *Exiit.* vel si erit alius Prælatus, hic à Guardiano deputari debet.

22. *Quô tempore ex jure reclamari debet Professio?*

℞. Juxta *Trid.* Ses: 25. c. 19. *de Regul.* intra 5. annos debet deducere jura pro nullitate Professionis. Quodsi infra hoc tempus non reclamasset ob justam rationem à S. Cong. approbatam, non propterea de invaliditate non posset procedere, prout declaravit S. Cong. de Anno 1664.

22. *Coram quo reclamanda est Professio?*

℟. Coram Ordinario illius Conventûs, in quo fuit Professio emissa, & Superiore illius Conventus, & non alio; ut decisum est in una Romana. 7. Aprilis 1629. Exire tamen de Religione Reclamans non potest, quousque à S. Cong. decisum non fuerit de nullitate Professionis.

24. *An admissus pro Laico ad Novitiatum, potest transire ad statum Clericalem?*

℟. Affirmativè; Quia Decretum Clementis VIII hoc non prohibet, debet tamen ab instanti transitûs incipere de novo annum probationis, quia aliæ sunt austeritates probandæ statûs Clericalîs. Quod si post factam jam Professionem velint ad statum Clericalem transire, debet quo ad hoc consuli Sedes Apostolica, ut praxis & stylus Curiæ mandat.

ARTICULUS VII.
De Parochis & Beneficiatis.

1. *Quid est Parochus?*

℟. Est Clericus perfectam curam animarum habens totius populi intra certos limites congregati, cui Sacramenta administrare tenetur.

2. *Quô differt Parochus à Plebano?*

℟. Juxta Textum in Cap. Statutum juncta Gloss. per hoc differt; quia Plebanus propriè talis habet Ecclesiam sub se plures Eccelsias vel Capellas habentem: Parochus vero unam duntaxat habet; nihilominus istæ sæpius confunduntur adinvicem.

3. *Quem annum ætatis suæ debet habere, qui Parochialem Ecclesiam obtinere nititur?*

℟. Juxta *Trid.* Ses. 24. c. 22. debet habere completum annum vigesimum quartum. Dicitur enim à cit. *Trid*, *Nemo igitur deinceps ad dignita-*

tes quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit.

4. Ad hoc tamen non requiritur, ut actû sit Presbyter, sed sufficit, ut post pacificam possessionem intra annum ordinetur in Presbyterum, ut docetur Cap. *Licet Canon.* §. *Is etiam.* Et sacra Cong. Concil. decrevit 13. Junii 1698. Alias post expletum Annū ipso jure est Beneficiô privatus, etiam sine ulla monitione præmissa. Ut ibidem docetur. Excepto tamen, si intra hunc annum ægrotaret graviter, vel Episcopus non haberet Ordinationes, aut justô aliquô Canonicô obstaculô non posset ordinari, ut ibi Glossa: *in verbo justo impedimento.*

5. Optimè autem unusquisque regulabitur ab Erectione Beneficii, utrum Beneficiatus debeat esse actu Presbyter, nec ne. Propterea respicienda sunt verba fundationis Beneficii, si enim dispositio fuerit: *Præsentetur aut eligatur Sacerdos, qui missam celebret*; vel his similia verba, tunc necesse erit, ut accepturus Beneficium sit actu Presbyter.

Si autem Fundator dixerit: *Præsentetur Clericus aut Presbyter*, sufficit, ut præsentatus sit in ea ætate constitutus, ut infra annum ad Sacerdotium promoveri possit; quia taliter annexio Ordinis dicitur facta respectu habitudinis, & aliud non exigitur, quam quod Clericus habilis sit, ut infra annum ad Sacerdotium promoveatur. Ut sæpius declaravit S. Cong. Legatur hac in re *Monacell.* tit. 15. n. 17. *Fagn.* in 1. ad C. *de ætate & qualitate* n. 78.

6. *Quænam Scientia in Parocho requiritur?*

R. Scientia est Triplex: *Eminens* quam habet ille, qui subtiles & difficiles quæstiones discernere novit, & promptè sine librorum revolutione ad illas respondet. *Mediocris*, quam habet ille, qui cum revo-

revolutione librorum scit veritatem invenire, ac difficilia resolvere. *Sufficiens*, quam habet ille, qui per se sufficit ad illa explicanda, quæ sunt sui officii. His adnotatis ad quæsitum Respondeo,

7. Parochus quilibet debet habere saltem sufficientem scientiam, ut suo per se ipsum satisfacere possit officio; alias cæcus cæco ducatum præberet.

8. *Quod est Officium Parochi?*

℟. Juxta *Trid.* est præcipuè Triplex.

1mum: Saltem diebus Dominicis & Festivis solennioribus intra Missarum solemnia explicare Plebi sibi commissæ Divina eloquia, docendo necessaria ad salutem, & quæ sequenda, quæ fugienda sunt ad obtinendam vitam æternam. Ita *Trid.* Ses. 5. c. 2. *de Reform.*

2dum. Supradictis diebus, pueros fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & Parentes docere. *Trid.* Ses. 24. c. 4. *de Reform.*

3tium: Vim & virtutem Sacramentorum administrandorum explicare & exponere, ac populum in lege erudire. *Ibidem.* c. 7.

Præter ista Officia Parochi sunt plura alia, uti administrare Sacramenta &c. Sermo tamen est de illis Officiis, ad quæ exercenda specialis requiritur scientia.

In his ergo Officiis si Parochus negligens erit, ac post Episcopi monitionem trium mensium spatiô suo muneri defuerit, potest ab Episcopo Censurîs Ecclesiasticîs compelli, etiamsi sit aliquo modo exemptus. Ut docetur in *Trid.* dicta Ses. 5.

Vel si erit Beneficium sufficiens, poterit alium ad hæc officia subeunda substituere, assignando illi ex fructibus ipsius Ecclesiæ partem congruam, donec ipse Parochus per se ipsum munus suum exercere assuescat.

9. *Quænam sit Obligatio Parochi?*

℟. Juxta *Trid.* Ses. 23. c. 1 *de Refor.* & Const. *Innocent* XII. *Nuper.* 24. April. 1699. tenetur Parochus diebus Dominicis & Festivis solemnioribus, seu Celebribus ad populum, Missam pro suis Parochianis celebrare, nec potest illis diebus aliud stipendium pro Missâ recipere.

Quinimo ubi Beneficii reditus sunt pingues, debet Parochus singulis diebus pro ovibus Sacrificium applicare. Ut expressè statuit S. Cong. *in una Lucana* 10. Maii 1681.

Et quidem probabilius per se ipsum tenetur has Missas absolvere; vel quia ex Erectione est obligatio Personalis, vel quia Eleemosyna currens pro singulis Missis ex fructibus. Beneficii est major uno floreno, & sic Parochus dando suo Vicario pro singulis Missis florenum unum, relinqueret sibi partem stipendii, quod non licet ex Decreto Ssmi Benedicti XIV. novissimè edito 30. Junii 1741. quod incipit: *Quanta cura.*

10. Secunda Obligatio est Parochi, solvere Solutiones Antecessoris sui decursas & non solutas, ut sæpè fuit resolutum à Rota *apud Fagn.* in 3. ad c. *ad hoc de solut.* n. 18. Hoc tamen intelligi debet cum quadam limitatione, si scilicet Pensionarius diligenter requisivit à Prædecessore pensionem sibi debitam. 2*do* Si ipsi Successori Beneficiato adest congrua pensio ex Beneficio; quia primum debet unusquisque sibi solvere, quam alteri. Nam juxta *D. Bonavent. Aliis prodesse, sibi nocere, stultitia est, non charitas.*

Monere debent etiam suos Parochianos infirmos de non admittendo medico Judæo, vel alio infideli, & quatenus viderint admissum, debent se opponere, & significare pœnas juxta Const. Gregorii XIII. assigna-

assignatas, quæ inccipit: *Alias 68. Bullar.* Tom. 2. Nempè negatio talibus Sacramentorum & Ecclesiasticæ sepulturæ.

Tenetur etiam Infirmos monere de debito confitendi ad minus à tertia die infirmitatis, & ad Confessionem inducere ex Const. *Pii* V. incip. *Supra Gregem.* Prudentissimè autem facient, si hæc in publicis Cathechizationibus narrabunt populo, quia impossibile est, ut Parochus unumquemque ex Parochianis sciat ægrotare in principio præsertim morbi.

11. *An Parochi teneantur personaliter residere in sua Parochia?*

R/. Omnino debent manere, ut colligitur ex *Trid.* Ses. 23. C. 1. *de Reform.* Nam Beneficiatî Obligatio est Personalis, quæ alteri non potest delegari: Ut patet in C. fin. §. *Is enim.*

Si enim residentia Personalis Parochi potuisset tutâ conscientiâ suppleri per alium Vicarium; quæro, quo jure talis Parochus manducaret panem viduarum suæ Parochiæ, si nec uno digito sustineret onus sui Beneficii? solo duntaxat Vicario laborante. Profecto currit de talibus illud Scripturæ: *Boves arabant, & vaccæ pascebantur.*

12 *Quæ pænæ ex Canonibus & Trident. statuuntur Parochis non residentibus in sua Parochia?*

R/. Juxta Reg. in c. fin. Parochi non residentes in sua Parochia, non possunt tutâ conscientiâ retinere fructus sui Beneficii ad ratam temporis absentiæ, sed illos tenentur absque ulla declaratione applicare fabricæ Ecclesiæ, vel erogare pauperibus Parochiæ.

Retentâ tamen sibi aliqua parte fructuum concernente recitationem Divini Officii tempore absentiæ, ut advertunt *Possevin. Barbos. Bonac* & alii.

Secunda pæna Parochorum non residentium est privatio Beneficii juxta *Trid.* Citat. Ubi

Ubi sciendum est, quod Ordinarius non potest procedere contra Parochos non residentes quo ad privationem Beneficii, aut subtractionem fructuum; nisi his servatis Conditionibus.

1ma Ut prius citentur.

2da Si per edictum citentur, debent præcedere tres Citationes successivè factæ, nec sufficit una peremptoria.

3tia Post ultimum edictum debet per tres Menses expectari sub nullitate privationis. Ex Declaratione S. Cong. Conc. *apud Ventrigl.* N. 16.

13. *An possit Episcopus Parochum aliquem dispensare à Residentia in Parochia?*

℟. Perpetuo liberum à Residentia nullo modo potest dispensare; quia præceptum quo ad Residentiam est Superioris Ordinis, scilicet *Tridentini*, in quo Inferior dispensare non potest. Unde secundum *Piasec.* c. 5. n. 39. non potest Episcopus uti Parocho pro suo Secretariô vel Vicario cum præjudicio Residentiæ.

Ad tempus autem breve ex justa causa poterit dispensare Ordinarius Parochum à Residentia, cum hoc tamen discrimine, quod pro absentia ad bimestre debet dari à Parocho justa causa & ultra bimestre debet assignari gravis: Ut docetur in *Trid.* Ses. 23. C. 1.

Si vero extra Parochiam diebus tribus vel quatuor aut minus unâ Hebdomodâ moraturus sit Parochus, excusatur à petitione licentiæ, dummodo talis egressus interpolatus per annum duos menses non integret. Ut cavetur in dicto *Trid.*

14. Ne autem horum dictorum habeatur frivola interpretatio, illa tantum valere pro tunc, si à Parocho substitutus non esset in locum sui relictus, qui curam suæ Parochiæ custodiret, appono Decretum S. Cong. Concil. *in una Fulginaten.* 10. Maii

Maii 1681. In qua proposito ad Instantiam Episcopi sequenti dubio.

An Rectores Parochialium distantium per duo, tria, aut quatuor milliaria circiter à Civitate possint sine Episcopi licentia in suis Ecclesiis Parochialibus, relicto ibidem substituto, ab eis deputato, & in Civitate tam diurno, quam nocturno tempore jugiter commorari, exceptis solis diebus Festivis, in quibus ad dictas Ecclesias se conferunt, recurrentes illico ad Civitatem?

S. Cong. supra Citat. negative respondit.

Sunt igitur in quibusdam Ecclesiis Parochialibus Vicarii, non tamen ideo, ut Parochos à Residentia excusent, sed potius, ut illos in laboribus juvent, ipsîs tamen Parochîs manum suam apponentibûs, ne de ipsis sæculares scandalizati dicant illud: *Uno digito indigitant Cælũ, ambabus autem manibus rapiunt terram.* Si lanam ovium suarum curent, non animæ salutem.

15. *Quæ sunt Causæ excusantes à Residentia in sua Parochia?*

℞. Hæ sequentes ex *Trid.* Ses. 23. c. 1. 1. Christiana Charitas. 2. Urgens necessitas. 3. Debita obedientia. 4. Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas.

Unde excusatur Parochus à Residentia, vel quia eum obligat Christiana Charitas, ad promovendam pacem inter Principes, vel bonum fidei procurandum, vel quia sub obedientia injungitur illi tale officium quod non potest pati cum Residentia. Aut quia est in negotio publico Ecclesiæ missus extra Parochiam, uti ad defendenda Iura Ecclesiæ.

Ultra quæ adhuc à Residentia excusat Parochum infirmitas, si necessitas urgebit pergere ad curandum. Si tamen infirmitas erit perpetua & incura-

bilis, concedatur illi resignatio *Cap. nisi cum pridem* vel detur ab Episcopo ei Coadjutor, *ut in Cap. de Rector.*

16. *Quæ sunt Jura Parochialia?*

℟. Jlla, quæ ita competunt Parocho, ut à nullo altero, nisi de ejus vel Ordinarii licentia exerceri licite possunt. Et talia sunt præsertim sequentia Novem:

1mum Delatio Stolæ in Processionibus & Funeralibus ex Decret. S. Cong: Conc. 25: Junii 1695.

2dum, Benedictio Domorum in Sabbatho S.

3tium, Receptio Decimarum.

4tum. Administratio Sacramenti Eucharistiæ tempore Paschali.

5tum, Administratio Infirmis Viatici, & Extremæ Unctionis.

6tum, Detentio Clavis Tabernaculi, & eorum quæ pertinent ad Sacramenta. S. Cong. Conc. 18. Novembris 1693.

7mum Benedictio Sponsorum & Cadaverum defunctorum, antequam è loco leventur. S. Cong. Conc. 14. Februarii 1694.

8vum, Publicatio Matrimonii, S. Cong. Episc, 3. Junii 1615.

9num, Benedictio Fontis Baptismalis.

17. *Quæ sunt Functiones Parochiales?*

℟: Sunt illæ, quæ quidem conveniunt Parocho, non tamen ita soli, ut alter similes functiones non possit habere, & sunt sequentes.

1ma. Celebratio Officii super Cadaveribus.

2da. Receptio Mulierum ad Purificationem post partum, quam etiam licitum est dare & Regularibus.

3tia. Solemnis Benedictio Cinerum, Palmarum, Candelarum.

4ta. Celebratio Missæ Feriâ quintâ in Cœnâ Domini.

5ta

5ta. Delatio & Expositio publica Sacramenti Eucharistiæ. Et alia similia, quæ videantur *apud Barb.* Cap. 391.

18. Ad tollendas autem lites, quæ oriri solent inter Parochos, ac Capellanos Confraternitatum, apponere proposui aliqua Decreta S. R. Cong. 10. Decemb. 1703 quæ ad dubia infra posita respondit.

An Confraternitates Laicorum legitime erectæ in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam à Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis non Parochialibus?

℟. S. R. C. *negativè*, ubi benè notandæ sunt functiones non Parochiales.

An ad Parochum spectet facere officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in Capellis publicis, & sejunctis ab Ecclesia Parochiali?

℟. *Affirmative*, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium Confraternitatum.

Reliquæ Responsiones ad Dubia XXXIII. videantur in Officiali Curia Cap. 36.

19. *Quot libros Parochi debent habere ad Parochiam pertinentes?*

℟. Juxta *Trid.* Ses. 24. præsertim Quinque. *1mum* Baptizatorum. *2dum.* Matrimoniorum in quo Personæ contrahentes, & nomina Testium, dies & locus adnotari debent. *3tium* Confirmatorum. *4tum.* Mortuorum. *5tum.* Animarum suæ Parochiæ.

20. *Quomodo Parochi promoveri debent ad aliquod Beneficium possidendum?*

℟. Juxta Constit. *Pii V. In conferendis*, quæ est 39. *in Bullar.* Tom. 2. & *Trid.* Ses: 24. c. 18. occurrente vacatione alicujus Ecclesiæ debet assignari tempus 10. dierum ab Ordinario (intra sex Menses, si vacaverit Parochia in Mense Ordinarii, aut

quatuor

quatuor si in Mense Sedis Apostolicæ) ad faciendum concursum à Competitoribus ejusdem vacantiæ coram ad minimum Examinatoribus in Synodo deputatis, sub nullitate Provisionis & Collationis Parochiæ.

Quodsi magis idoneo reperto in examine non conferretur Parochia, potest appellare ad Metropolitanum, vel si in Metropolia fieret examen, ad Nuntium, vel Sedem Apostolicam: ubi de novo fieri debet examen non tantum quo ad scientiam, sed etiam quo ad mores & prudentiam; potest enim esse, ut unus excellat alium in scientia, non vero in prudentia aut rectis moribus.

In Parochialibus Regularium non debet fieri concursus, sed sufficit examen simplex, ut declaravit S: Cong. *apud Off. Curiæ & Trid.* Ses. 23, c. 11. *de Regul.*

21. *Quid, est Beneficium?*

℟. *Est Jus ad percipiendos reditus Ecclesiasticos ratione spiritualis Officii vel Ministerii, Ecclesiastica institutione perpetuum, & Personæ Ecclesiasticæ à Persona Ecclesiastica.*

22. *Quotuplex est Beneficium?*

℟. Mutiplex: Aliud *Curatum*, quod Curam animarum pro foro interno & Sacramentali habet. Ut Episcopatus & Parochia. Aliud *Simplex*, quod curam animarum talem annexam non habet, uti sunt Capellaniæ.

23. Item Aliud est *Manuale*, quod confertur ad nutum Superioris. Aliud Non *Manuale*, quod confertur in perpetuum, & hoc est propriè Beneficium.

24. Aliud *Patronatûs*, quod ad Præsentationem Patroni à Prælato Ecclesiastico confertur. Aliud *Electivum*, ad quod per viam electionis Beneficiatus assumitur.

Quæ-

Quædam *Sæcularia*, quæ ex Fundatione vel Præscriptione sæcularibus Clericis conferuntur. Quædam *Regularia*, quæ Regularibus Clericis conferuntur.

25. *Quis Finis Beneficiorum?*

℟. Juxta *Trid.* Ses. 21. c. 3. *de Reform.* est Divinus Cultus & Ecclesiastica munia subeunda, ac per consequens ad sufficientem sustentationem Ministrorum.

Et quia ex Const. Leonis X. *Supernæ* &c. Beneficium datur propter Officium; hinc statuitur in eadem Const. ut obtinens Beneficium cum cura vel sine, post sex Menses teneatur ad recitandas horas Canonicas. Quod si absque legitimo impedimento illas omiserit, tenetur pro rata omissionis fructus Beneficii erogare in fabricam Ecclesiæ, vel in pauperes suæ Parochiæ, aut alios.

26. *An possit absque Simonia recipi vel dari aut promitti pecunia, vel aliquod pretium æstimabile, pro Collatione, Præsentatione, Nominatione, Institutione, Confirmatione, Possessione, vel Receptione Beneficii Ecclesiastici?*

℟. Non potest; prout statuit *Trid.* Ses. 24 c. 14 *de Reform.* & alibi habetur pluries in Jure Canonico Cap. *Pactiones de Pactis* &c. Et taliter recepta pecunia restituenda est ante omnem sententiam Judicis, non quidem ei, qui dedit, quia contra justitiam dedit, sed Ecclesiæ aut pauperibus. Cap. *De hoc.*

27. Multis autem modis incurritur Simonia in Collatione Beneficiorum, quos brevitatis causâ omitto, familiarem tantum causam incurrendæ Simoniæ apponere debui, quæ vix non in quotidiana praxi solet esse. Nempe incurrunt Simoniam, qui Episcopo vel Prælato exhibent servitia, ut Bene-

ficium exhibenti vel alteri conferant. Ut docetur *in Offici. Curiæ* c. 49. n. 23.

Item provisus legitime de Beneficio, si primario non intendit cultum Divinum, & laudes DEO persolvere, sed reditus temporales, comittit Simoniam mentalem. Ut docet *D. Thomas quodlib.* 8. q. 6. Art. 1.

Porro in peccato Simoniæ non datur parvitas materiæ, ita ut Simonia ex parvitate materiæ non possit esse peccatum veniale, nisi excuset inconsideratio aut ignorantia inculpabilis.

Quid autem sit Simonia, & Quotuplex? dictum est superius Pag.

29. *An licet aliquid recipere Notario Consistorii propter approbationem vel Indultum?*

℟. Juxta S. Cong. Conc. 7. Februarii 1602. Non licet, nisi in prædictis casibus, & hoc cum moderamine, ut scilicet hæc pecunia decimam unius Aurei partem non excedat.

Episcopo vero vel ejus Officiali in nullo negotio Spirituali licet aliquid de pecunia recipere, prout statuit eadem S. Congreg.

30. *Quotuplicia sunt Bona Clericorum?*

℟. Triplicia: *Patrimonialia*, quæ possidentur ab illis Hæreditate, Successione, Donatione, Contractu vel Industria, vel alia ratione acquisita ab illis, non quâ Clerici sunt, sed quasi Laici:

Quasi Patrimonialia, sunt illa Bona, quæ à Clericis acquiruntur non ratione Beneficii Ecclesiastici, sed ratione alicujus Ecclesiastici Ministerii, puta ob sepulturam, administrationem Sacramentorum &c.

Beneficialia vero sunt, quæ secundum Originem ad ipsam Ecclesiam pertinent, in ordine ad honestam sustentationem Clericorum Beneficiatorum.

31. *An Beneficiati habent Dominium redituum Ecclesiasticorum?* ℟. Af-

℟. Affirmant Doctores quo ad Bona Patrimonialia, & quasi Patrimonialia; Variant vero quo ad Bona Beneficialia, Negat *Navar.* & *Sylvest.* Affirmant vero *Fagn. Official. Curiæ* & alii communiter. Cum hac tamen restrictione, ut illos reditus, qui sunt superflui, in profanos usus sub mortali non possint expendere, ut sonat *Jus Canonicum & naturale*, quia reditus Ecclesiastici sunt Bona Ecclesiæ à Fidelibus oblata, quorum Beneficiatus tanquam DEI Procurator, juxta intentionem Fundatoris in pios usus expendere tenetur, alias se noverit strictam rationem de his redditurum in Judicio DEI.

32. *In quos Usus superflua redituum expendi debent?*

℟. Imprimis in Ministros & pauperes Ecclesiæ, deinde in Seminaria conservanda vel erigenda. Et in omnia illa opera, quæ ad Divinum Cultum pertinent. Sed hodie nullum est tam pinque Beneficium. quia *ubi sunt multæ opes, ibi sunt multi, qui comedunt eas.*

33. *An ex reditibus, etiam non superfluis tenentur Beneficiati, providere de Supellectili Ecclesiæ, aliisq; necessariis?*

℟. Omnino tenentur juxta Cost. Leonis X. *Supernæ.* Et quidem tale onus est Beneficiati providere sponsæ suæ necessaria, ut ab Episcopo cogi possit etiam nulla facta deductione congruæ alimentariæ. Unde *Monacell.* refert S. Cong. Conc. 24. Maii 1657. ad 4tum dubium respondisse *Posse* (Episcopum in cujus Diæcesi Beneficia erecta reparatione indigent) *ad effectum prædictæ restaurationis, nec non pro conficiendis sacris supellectilibus reditus eorundem Beneficiorum sequestrare.*

24. *An Bona VG. Villa, Domus &c. empta à*

Bene-

Beneficiato ex reditibus Ecclesiasticis, possunt per testamentum ad Hæredes transire, & Consangvineos?

℞. Non possunt. quia sunt Bona Ecclesiæ, si enim Emptoris Beneficiati forent, facile eluderetur obligatio distribuendi superflua ad pias causas, nam omnes ex superfluis reditibus emerent fundos & prædia: Hoc enim prohibetur: Cap. *Si quis sanè.*

35. *Quousque Beneficiatus potest licite de Reditibus Ecclesiæ participare, vel ejus Consangvinei?*

℞. Beneficiati juxta Innocentium III. in Cap. *Cum de multa* possunt percipere de fructibus Ecclesiæ usque ad decentiam status; sed in his consideranda est Conditio & dignitas Personæ, plus enim pro honesta sustentatione competet Episcopo, quam Canonico, & Huic, quam simplici Beneficiato.

Consangvineis vero suis potest quidem Beneficiatus dare aliquid de reditibus Ecclesiæ, sed tanquam pauperibus, ut tantum non indigeant, ut docet *D. Thomas* 2. 2. q. 185. Art. 7. non autem; ut ditentur & ex Bonis Ecclesiæ de pauperibus & plebeis Domini fiant.

35. *Quid sunt Patrimonia Clericorum?*

℞. Sunt quædam pensiones à pingvibus Beneficiis separatæ, pro sustentatione pauperum Clericorum, ut in Clericatu proficiant.

37. *Quinam tenentur dare Parochis Decimas?*

℞. Tenentur omnes, qui Bona habent stabilia, onerata solutione Decimarum.

Unde tenentur non tantum sæculares ad solvendas Decimas, sed etiam Regulares & alii Clerici possidentes Bona & prædia, quæ dum à Laicis possiderentur, Decimarum solutioni erant obnoxia. Ita Decrevit S. Cong: 15. Novemb. 1659. Et in una Cracovien 10. Junii 1645. sic Dubium resolvit Cracoviense: *S. Cong: &c. iterum atque iterum auditis*

Regu-

Regularibus & præcipuè Patribus Societatis JESU, eorumque Juribus ac Privilegiis mature discussis, censuit ab eisdem Patribus aliisque Regularibus solvendas esse Parochis & aliis Beneficiatis Decimas, quæ solvebantur à Laicis, priusquam Bona in ipsorum PP. Soc. JESU & aliorum Regularium proprietatem fuerint translata.

Moniales etiam tenentur ad præstandas Decimas, ut censuit S. Cong. 1. Septemb. 1629. quibus non potest suffragari prætensa quasi possessio, nisi sit immemorabilis cum fama Privilegii.

ARTICULUS VIII.
De Jure Patronatûs.

1. *Quid sit Jus Patronatûs?*

℞. Est Jus nominandi, seu præsentandi Clericum idoneum promovendum ad Beneficium Ecclesiasticum, vacans.

2. *Quibus modis acquiritur Jus Patronatûs?*

℞. Tribus præcipuè: Fundatione Ædificatione, & Dotatione, juxta illum versiculum.

Patronum faciunt Dos, ædificatio, fundus.

Fundâsse dicitur: qui fundum seu terræ solum dedit, in quo Ecclesia construeretur. *Ædificare* dicitur: qui Ecclesiam suis sumptibus construxit.

Dotâsse dicitur: qui Ecclesiæ annuos reditus sufficientes assignavit.

Jus Patronatûs ultra hos tres modos acquiri potest Privilegio; si alicui bene in Ecclesia merito Papa & non alius inferior conferret.

4. Jus Patronatûs semel legitimè acquisitum transit etiam ad hæredes, nisi aliud ex prima fundatione appareat. Nam fuit in potestate Fundatoris Jus Patronatûs sibi soli, aut Familiæ duntaxat

suæ, non verò extraneis hæredibus remittere. Unde Beneficiandi in hoc sint curiosi, & diligenter sui Beneficii legant creationem.

5. *Quot modis Jus Patronatûs transfertur in alium?*

℟. Quatuor juxta illos communes versiculos.

Jura Patronatûs transire facit novus hæres.
Res perpetua, Donatio, Venditioque.

6. *Quotuplex est Jus Patronatûs?*

℟. In primaria, ac principali sua divisione est 3plex; *Ecclesiasticum, Laicale* & *Mixtum.* 1mum est illud: quod Personæ Ecclesiasticæ competit ratione Ecclesiæ vel Dignitatis, aut Beneficii Ecclesiastici.

Laicale vero est illud: quod competit alicui Laico, vel Clerico ratione proprii Patrimonii, vel successionis Paternæ, aut ratione tituli sæcularis.

Mixtum est illud: quod partim nomine Ecclesiæ ad Clericum, partim ex alio titulo ad ipsum, vel ad Laicum spectat. Ut si Clericus ex bonis Ecclesiæ fundaret, & Laicus eandem dotaret Ecclesiam.

7. Iterum aliud est *Activum*: quando Patronus potest præsentare ad Beneficium. Aliud *Passivum*. quando certi ex Familia (dummodo idonei ad sint) exclusis extraneis debent ad Beneficium præsentari.

8. Iterum aliud est *Hæreditarium* & aliud *Familiare.* 1mum transit ad quoscunque hæredes. 2dum vero transit tantum ad illos, qui sunt de sangvine & familia Fundatoris.

9. Item aliud est *Personale*, quod Personæ Fundatoris vel ejus hæredi competit. Aliud *Reale* quod competit certo loco; puta Castro, Monasterio Capitulo &c.

Nota, quod ille qui habet Jus Patronatûs, vocatur Patronus.

10.

10: *Quot habet Menses ad præsentandum Patronus Ecclesiasticus?*

℞. Ecclesiasticus habet ex jure sex Menses (ut patet ex cap. *Cum propter*) Laicus vero quatuor tantum. Quod si Jus Patronatûs sit *Mixtum* uterque Patronus habet sex menses. Ita Reiffensi:

11. *Quomodo hoc tempus computari debet?*

℞. Non à die Vacantiæ Beneficii, sed à die notitiæ dictæ vacationis; quam supponuntur habere Patroni juxta locorum distantiam. Quod si intra hoc tempus Patronus præsentare neglexerit ad Beneficium Vacans, vel quia lis oriretur de jure Patronatûs, statim elapso illo tempore ad illum devolvitur collatio Beneficii, ad quem spectat Institutio cap. *Cum propter.*

12. *Quo differt præsentatio à Parocho Ecclesiastico & Laico?*

℞. Per hoc quod si Ecclesiasticus semel aliquem præsentavit, jam non potest variare & alium præsentare si primus sit dignus. Secus vero Laicus Patronus habet privilegium unum, vel alterum præsentare intra tempus 4. Mensium.

13. *Quare autem Patronus Laicus habet hac in parte privilegium non vero Ecclesiasticus?*

℞. Multiplex solet dari ratio; præcipua tamen est hæc: quia Laicus Patronus ex una parte minus habet tempus præsentandi, ex altera parte, est minus expertus circa Ecclesiastica, non sic autem Ecclesiasticus.

14 Unde propter istam rationem si Patronus Ecclesiasticus scienter indignum præsentabit, ipso jure privatus manet ea vice potestate præsentandi. Non sic autem Laicus; qui poterit alium, & alium digniorem præsentare.

15. Quoties Jus Patronatûs est Ecclesiasticum, semper

juxta *Trid.* Ses. 24. cap. 18. tenentur Beneficiandi concursum facere, ex quibus dignior omnino instituì debet. Si vero præsentatio ad Laicum pertinet, præsentatus ab illo examinari debet & institui, si dignus repertus sit.

16. *Quot sunt Jura Patroni?*

℞. Esse 4. Nempe: jus præsentandi, præcedendi, defendendi Ecclesiam, & indigendi, ut modestè aliquid de Ecclesia succurratur. Ita habetur c. *Nobis de Jure* Patr. juxta illos versus Glossæ.

Patrono debetur Honor, onus, utilitasque,
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

17. *Utrum possit Beneficium conferri absque consensu* Patroni?

℞. Non posse: & aliter instututus potest ad instantiam Patroni amoveri. C. *Decernimus* si Patronus servet quæ sunt de Jure servanda. Vide superius N. 11.

18. *An possit se ipsum præsentare* Patronus *Clericus?*

℞. Negative; hoc enim sapit ambitionem, ut patet ex cap. *Per nostras.*

19. Poterit tamen præsentare amicos suos, aut consangvineos. Vel si est Laicus, suos filios. Ita *Engel.* tit. *de jure* Patr: n. 3.

20. *Qualis honor in Ecclesia debetur* Patrono?

℞. Præcedentia in Processionibus, in sede, in Thurificatione, aliisque consimilibus. Ita *Barbosa* p. 3.

ARTICULUS IX.
De Immunitate Ecclesiastica.

1. *Quid est Immunitas Ecclesiastica?*

℞. Est exemptio sive jus quo res Ecclesiæ, & Personæ Ecclesiasticæ à publicis muneribus, seu oneribus sæcularibus liberæ sunt.

2.

2. *Quotuplex est Immunitas ?*

℞. Triplex: *Localis*, *Realis*, & *Personalis*. *Localis* est: quæ convenit Ecclesiis, aliisque locis Ecclesiasticis.

Realis quæ competit rebus Ecclesiasticis, idest ad Ecclesiam, vel Personam Ecclesiasticam pertinentibus.

Personalis: quæ debetur Personis Ecclesiasticis.

3. *Quo jure Immunitas his rebus debetur ?*

℞. Jure Divino, ut communiter tenent Doctores. Nam etiam in Antiqua lege instituta legitur.

4. *Immunitas Localis ad quæ se extendit ?*

℞. Non tantum ad Ecclesiam, sed etiam ad Cæmeteria, & alia loca Religiosa uti sunt; Monasteria.

5. *Inquo consistit ?*

℞. In his duobus 1mò ut actus sæculares, & profani ab Ecclesiis arceantur. 2dò Ut Malefactores fugientes ad Ecclesiam ibidem in vita, & membris protegantur; neque exinde violenter extrahi possunt.

6. Unde in Ecclesiis, & eorum Cæmeteriis non est licitum aliquid vendere, aut negotiationes exercere, exceptis Candelis, si id fiat ad Fidelium devotionem promovendam, ut tenet *Azorius* p. 2 l 9. c. 9. q. 5.

7. *In quo consistit Immunitas Realis, & Personalis ?*

℞. In hoc: quod res & Personæ Ecclesiasticæ à jurisdictione sæcularium Magistratuum, eorumque ex actionibus, & oneribus immunes sint. Vide supra de Privilegiis.

8. *Quid sentiendum de bonis Patrimonialibus Clericorum ?*

℞. Etiam ista gaudent Immunitate, cum aliqua tamen restrictione, si non sint res mobiles propter lucrum acquirendum emptæ.

9. *Quid est Privilegium Asyli ?*

℟. Est Privilegium jure Ecclesiastico inductum in favorem Ecclesiarum ut ad illas tanquam ad Asylum fugientes, inde violenter extrahi non possint.

10. *Quæ loca Ecclesiastica gaudent hoc Privilegio Asyli ?*

℟. Gaudent omnes Ecclesiæ, sive consecratæ, sive non consecratæ, dummodo sint ab Episcopo benedictæ, vel etiam alio modo, puta; erectione Crucis ad Sacrificium Missæ deputatæ. Ex C. *Ecclesiæ.*

Imo Ecclesiæ nondum finitæ, dummodo in illis authoritate Episcopi lapis primus sit positus, & loco Altaris modo in Rituali præscripto Crux defixa.

Gaudent etiam hoc Privilegio Ecclesiæ aliquo infortunio dirutæ, nisi sint Authoritate Superioris destructæ, sine spe reædificationis.

Item gaudent Ecclesiæ pollutæ, interdictæ, & nondum adhuc reconciliatæ. Ut docent communiter Doctores apud Reiffenst.

Item Cæmeteria Authoritate Episcopi designata non obstante quod sint ab Ecclesia separata. *Barbosa* l. 2. Iuris Eccle: c. 3. Sacristia, Turris, Atrium, Porticus, & ambitus, quia hæc aut ad Ecclesiam spectant, aut sunt illi annexa.

Item Monasteria Religiosorum, & eorum Ostiareæ, & quæcunque intrà Monasteriorum septa continentur. Ut constat ex Bulla Gregorii XIV. quæ incipit; *Cum alias* emanat: 1591.

11. *Quid si non esset Cæmeterium, & fugiens tangeret januam Ecclesiæ clausam, aut parietem ?*

℟. Talem gaudere Privilegio Asyli, quia jam censetur existere in loco sacro. Diana p. 3. Tra. 1. resol 73.

Imo hæc Immunitas concessa est Ecclesiis Matricibus,

cibus, uti sunt Cathedrales & Collegiatæ in spatio 40. passuum circa muros, & minoribus Ecclesiis 30 passuum C. *Sicuti antiquitus*. Hæc tamen consvetudo vix alicubi observatur.

12. Fugiens ad Sacerdotem manibus SS. Euch. Sacramentum portantem extra Ecclesiam, gaudet privilegio Asyli. Ratio est: quia Corpus Christi est longè dignius, quam Ecclesia materialis.

13 *Quæ Personæ gaudent Privilegio Asyli ?*

℞. Omnes Fideles. De Paganis vero, & Judæis controversia est apud Doctores. Si tamen extat Decretum S. Cong 1631. pro parte affirmativa, quod adducit *Barbosa* lib. 2. c. 3. n. 44. tenendum est tales defendi debere.

14. *Hæretici an gaudeant Asylo ?*

℞. Juxta Bullam Gregorianam non gaudere propter enormitatem criminis ad subversionem Ecclesiæ tendentis.

An autem Hæretici (maximè ubi tolerantur) propter homicidium, &c. gaudeant? Variant Doctores, pro utraque parte æquè numerosi.

15. *Qui non gaudent Privilegio Asyli ?*

℞. Illi omnes qui commiserunt crimina in jure excepta.

10. *Quæ sunt illa crimina ?*

℞. Juxta Bullam Gregorii XIV. *Cum alias* sunt 7. I. Grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, & viatores ex insidiis aggrediuntur, (Publici Latrones).

II. Depopulatores agrorum, qui segetes in agro deprædantur, comburunt, aut destruunt, vel agros alienos vastant, quod intelligi debet tam de nocturnis, quam diurnis.

III. Qui in Ecclesiis aut Cæmeteriis mutilationes membrorum non verentur.

IV. Qui proditoriè hominem occiderint, nempe sub specie amicitiæ, aut nulla præcedente inimicitia, vel hac reconciliata si securus, & nihil mali prævidens occiditur.

V. Assasinii, sic dicti ab infidelibus, qui assasinii vocabantur, hi enim acceptâ pecuniâ occidebant fideles, quos aliqui volebant occidi.

Nomine horum includuntur illi, qui occisorem promissô, vel acceptô pretiô conducunt.

VI. Hæretici de quibus supra n. 14.

VII. Rei læsæ Majestatis in Personam Principis.

17. *Utrum adhuc sunt alia crimina excepta?*

℟. Juxta Novissimam Bullam Benedicti XIII. *Ex quo Divina*, Romæ 15. Junii 1725 emanatam, sunt Octo: Ratione quorum delinquentes non gaudent Asylo

I. Jlle qui in Ecclesia existens alium extra Ecclesiam vg. sclopetô occidit.

II. Qui in Ecclesia, aut in via vicinali homicidium etiam unica vice commisit.

III. Falsificantes literas Apostolicas.

IV. Conflantes, adulterantes, aut tondentes quascunque monetas, vel tales expendere, & erogare præsumentes.

V. Ministri montis Pietatis, sive alterius pupublici Telonii, Banci, qui furtum, aut falsitatem in prædictis locis comittunt.

VI. Jlli qui confugientes in Ecclesiam violenter extrahunt.

VII. Assasini qui non solum occidunt pro pretio, vel tales conducunt ut supra juxta Gregor XIV sed etiam mandantes:

VIII. Omnes qui proximum suum occidunt *Animô præmeditatô*, sive inimicitia præcesserit, sive non

18. Ubi *nota*: quod homicidium præmeditatum est illud in jure, quod non provenit subito in rixa,

vel

vel ex calore iracundiæ, sed illud est, quod post excitatam iram aliquo intervallo cum deliberatione comittitur.

19. Adnotanda sunt ista octo crimina, quia raro in antiquis Authoribus inveniri recensita solent, cum his novissimis temporibus, ista Bulla Benedicti XIII sit edita. Unde antea taliter delinquentes solebant Asylari, seu defendi in Ecclesia. Quod modo est illicitum.

Præsertim tamea octavo crimine delinquentes solent ad Asylum Ecclesiæ confugere, quibus, ut pote indignis, repulsus est dandus.

20. *Quid observandum circa extractionem reorum, privilegiô Asyli non gaudentium, propter 15. peccata Gregorii XIV & Benedicti XIII per Bullas excepta?*

℟. Hæc sequentia: Ex novissima Bulla Benedicti XIII.

I. Nullomodo possunt tales extrahi sinè licentia Episcopi, & sinè interventu alicujus Personæ Ecclesiæ ab Episcopo deputatæ.

II. Hîs habitîs ponatur reus in custodia Ecclesiæ, aut Monasterii, & fiat inquisitio diligens, an Reus commiserit crimen exceptum, propter quod non deberet gaudere Asylo Ecclesiæ?

III. Quod si moraliter certum apparebit illum habuisse crimen exceptum; tradatur Curiæ sæculari, recepta tamen prius ab Officialibus sæcularibus obligatione in forma Juris valida, restituendi extractum iterum Ecclesiæ sub pæna Excom: latæ sententiæ Papæ reservata; supposito quod Reus extractus aliqua indicia expurget pro sui defensione, alias sibi in carcere constituto objecta de crimine excepto commisso.

21. Hæc informatio pariter adnotanda est; quia in antiquo Jure Bullæ Gregorii XIV. aliter præscribitur,

bitur, in qua conceditur solis sæcularibus extractio Rei, non gaudentis asylo; si Episcopus & Eccesiasticæ Personæ culpabiliter assistere, vel concedere noluerint.

22. *Quali peccato peccat, qui Immunitatem Ecclesiæ violat, extrahendo violenter Reum de Ecclesiæ Asylo?*

℞. Peccatô gravissimô sacrilegii, ut patet ex cap. *Minor.*

23. *Quæ Pæna ex Jure sacrilege delinquenti?*

℞. Juxta Bullam Gregor: XIV. incurrit Excomm: latæ Sententiæ Papæ reservatam; Juxta Bullam Benedicti XIII. privatur privilegio Asyli: Juxta leges Civiles fit reus criminis læsæ Majestatis.

24. *Quæ sunt commoda fugientium ad Asylum Ecclesiæ?*

℞. Hæc sequentia.

I. Nequit inde violenter extrahi, libere tamen exire potest, etiam invito Rectore Ecclesiæ.

II. Quamdiu est in Ecclesia Reus, nequit per sententiam Judicis ad mortem, vel etiam corporalem pænam condemnari Ex cap. *Reum:*

III. Nequit, ut ei victus, aut vestitus deferatur, prohiberi.

Potest tamen custodiri Ecclesia ne fugiat.

IV. Nequit spoliari rebus secum ad Ecclesiam transportatis. C. *Diffinivit.* Nisi attulisset res alienas quæ Domino ut propria restituenda erunt, vel arma legibus prohibita, quæ ipsi intra etiam Ecclesiam possunt auferri. Vel si verbîs dolosîs, aut ficta Judicis promissione impunitatem promittentis deceptus fuisset, ut libere de Ecclesia exiisset, Judex tenebitur ei servare fidem, aut Ecclesiæ restituere. Barbosa loc. cit. n. 54.

VI. Si Reus sit pauper, tenetur ei Ecclesia sub-

venire

venire de victu, ille vero tenebitur in commodum Ecclesiæ laborare.

25. *Quid si Reus fugerit ad Ecclesiam cum bonis alienis, aliquo titulo Justitiæ debitis?*

℟. Juxta Declarationem S. Congr. 12 Decembr. 1642. Hujusmodi bona de licentia Episcopi sunt consignanda & Judici sæculari tradenda, ut veris Dominis reddantur.

26. *Quæ sunt observanda Rectoribus Ecclesiæ in susceptione Reorum fugientium ad Asylum?*

℟. Hæc sequentia.

I. Examinandus est Reus ob quam causam fugiat; quod si delictum non esset grave, sed solum dignum foret correctione morum; dicat ei, nullam habere immunitatem.

II. Si crimen sit grave, & foret exceptum, persvadeat Reo, ut caute exeat, quia alias Curiæ sæculari tradendus erit.

III. Quod si Rector Ecclesiæ à Judice sæculari fuerit requisitus de dimissione Rei; Respondeat ei, prompte esse, sed prius scribendum fore ad Episcopum Loci.

IV. Si vero intra hoc tempus, addatur custodia intra ad cubiculum ubi permanet Reus, licet possit hoc renuere per resistentiam, ad sedandas tamen rixas, protestetur, & ad Episcopum de re acta scribat;

V. Quidquid responsum ab Ordinario fuerit, ad apicem servet, & sic facile suam evinculabit conscientiam.

ARTICULUS X.

De Indulgentiis

1. *Quid est Indulgentia?*

℟. Est remissio pœnæ temporalis, debitæ pro

pecca

peccatis actualibus, quo ad culpam jam remissis, facta ab habente potestatem per applicationem Thesauri Ecclesiæ:

2. *Quid est Thesaurus Ecclesiæ?*

℟. Sunt illa bona opera, & satisfactiones Christi Domini, B. V, Apostolorum, ac omnium SS, quæ superabundarunt, quia plus Sancti passi sunt in agenda pænitentia, quam fuerit pæna temporalis illorum peccatis debita; ut igitur illorum superabundantes satisfactiones non sint inanes & vacuæ, reponuntur in Ecclesiæ Thesauro.

3. *Ubi nam Thesaurus hic Ecclesiæ existit?*

℟. Cum sit Spiritualis non requirit Locum materialem, sed est in suprema potestate Clavium S. Petri, nempe penes Papam.

4. *Quot modis dispensatur hic Thesaurus?*

℟. Jlle qui procedit ex meritis solius Christi solet dispensari Fidelibus per Sacramenta, sacrificium Missæ, & alia opera fidelium & Indulgentias. Qui vero procedit etiam ex meritis Sanctorum dispensatur solum per Indulgentias.

5. *Ad quid sunt necessariæ Indulgentiæ?*

℟. Ut residua pæna temporalis, quæ alias per satisfactionem Sacramentalem, vel etiam extra, non fuit plene soluta, remitteretur ex toto, vel saltem ex parte, juxta varietatem Indulgentiarum.

6. Ubi *Nota* Quod Confessarius pro hoc statu non potest certo assignare Pænitenti tantam satisfactionem, quanta remanet pæna pro peccatis commissis, sed aliquando excedit, sæpissime vero deficit, minorem asignando pænitentiam, & sic remanet pænitenti semper hic, aut in purgatorio solvendum, nisi per Indulgentiam residuum deleatur.

7. *Quotuplex est Indulgentia?*

℟. Du-

℟. Duplex *Plenaria* & non *Plenaria*, *1ma* est illa: per quam plene remittitur tota pœna temporalis. *2da* vero est illa per quam solum pars pœnæ temporalis remittitur.

8. Solet per aliquos DD. Indulgentia *Plenaria* subdividi in *Pleniorem* & *Plenissimam*. Jlla est; dum potestas absolvendi à casibus reservatis superadditur. *Plenissima* vero, dum ultra hæc etiam dispensationes in votis conceduntur, ut fit in Jubilæo & Indulgentiis in forma Iubilæi datis.

9. *Quotuplex est Indulgentia non Plenaria?*

℟. Multiplex *Quadragena* seu *Quarena*, *Septenna*, & *Carena*.

Quarena est Indulgentia 40: dierum.

Septenna est Indulgentia 7. Annorum.

Carena est Indulgentia utramque priorem complectens, nempe 40 dies & septem Annos.

10. *Quid intelligitur per Indulgentiam vg. centum millia Annorum?*

℟. Non debere intelligi, quasi totidem anni pœnæ purgatorii remitterentur, quia neque purgatorium forsitan tam diu permanebit, cum post extremum Judicium cessabit, sed intelligi debent illi Anni, quos lucraturus Indulgentias debuisset luere in pœnitentia pro peccatis debita, olim à Jure Ecclesiastico statuta.

11. Ubi *Nota* quod olim in primitiva Ecclesia pro uno peccato mortali 7. Annis pœnitentia injungi solebat. Consvetudinarius autem quot Annorum acturus fuit pœnitentiam numerando per septem pro uno, hos modo per Indulgentias recompensare poterit.

12. *Quotuplex est adhuc Indulgentia?*

℟. Triplex. *Realis* quæ conceditur alicui rei, vg. Cruci, metallo &c. seu potius in favorem illius, qui talem rem portat. *Per-*

Personalis quæ conceditur Personæ. in Articulo mortis, vel quoties hoc, vel illud opus injunctum fecerit.

Localis vero Indulgentia est illa quæ conceditur alicui loco vg. Ecclesiæ aut Altari.

53. *Quæ requiruntur Conditiones ad lucrandam Indulgentiam?*

℟. Quatuor. Ex parte Concedentis duæ, nempe Authoritas legitima, & Justa causa concedendi Indulgentias. Ex parte vero suscipientis, status gratiæ, & executio operis injuncti. Ita Bellarmin: lib. 1. de Indulg. c. 11.

14 *Quinam possunt concedere Indulgentias?*

℟. Summus Pontifex primario, ac principaliter à jure Divino, ex rationabili tamen causa sub nullitate Indulgentiæ. Quia Papa non est Dominus sed Dispensator Thesauri Ecclesiæ. Juxta illud 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi & Dispensatores.* 2. Episcopi etiam jure communi possunt concedere Indulgentias unius Anni pro die Dedicationis Ecclesiæ, in Anniversario autem ejus & in aliis casibus 40 solum dierum. Ita habetur expressum cap. *Cum ex eo de Pænit: & Remissio:*

15. *Qui non sunt capaces Indulgentiarum?*

℟. Qui sunt in termino, uti Beati & Damnati, nondum Baptizati, & infantes, imo & adulti, si qui essent sine ullo reatu pænæ temporalis. Ratio horum patet ex Definitione Indulgentiæ

16. *Qui sunt capaces lucrandi Indulgentiam?*

℟. Omnes Adulti Baptizati habentes Conditiones supra expressas, & Animæ in Purgatorio existentes.

17. *Quomodo Indulgentiæ prosunt vivis, & quomodo Defunctis?*

℟. Vivis per modum absolutionis judiciariæ, Defun-

Defunctis vero per modum suffragii, quia Animæ in purgatorio sunt extra forum Jurisdictionis Papæ.

18 *An tenetur esse omnino in gratia lucrans Indulgentiam pro Defunctis?*

℞. Probabilius non teneri; Nam absolvens sacrificium Missæ etiam si in peccato existat, lucrabitur pro Animabus purgantibus liberationem, si celebret coram Altari privilegiato.

19. *An infallibiliter indulgentiæ prosint lucratæ pro Anima determinata vg. Patris, aut Fratris?*

℞. Non desunt qui negant, uti Corduba, Durandus &c. quia in libera acceptatione DEI est, acceptare pro hac Anima, vel pro altera, quæ magis indiget.

Communior tamen est Affirmativa cum Roderico, Gobat &c. quia Deus conformat se intentioni postulantium.

20. *Quare ergo plures Indulgentiæ solent applicari eidem Animæ?*

℞. Quia non sumus certi, utrum prior Indulgentia sit rite obtenta, potuit enim illi aliquid ex requisitis deesse. In talibus autem charitativis subsidiis melius est abundare, quam deficere.

21. *An possumus eodem die plures lucrari Indulgentias?*

℞. Non plenarias possumus. Plenarias vero nonnisi semel pro nobis de die, ut declaravit S. Cong. 7. Martii 1658. Pro animabus vero possumus toties, quoties de die opus elicimus, cui annexa est Indulgentia communicabilis illis.

22. *An ad lucrandas Indulgentias necessario præmittenda est Confessio?*

℞. Si in Concessione Jndulgentiæ non exprimitur, sufficit, ut lucrans sit in gratia, vel si in peccato existit, & confiteri hic & nunc non potest, conte-

conteratur. Secus vero si Confessio omnino sit injuncta.

23. *An possit obtineri sæpius eadem Indulgentia repetitô opere injunctô?*

℞. Eadem die non potest, etiamsi sit non Plenaria, aut in perpetuum concessa uti sunt viæ crucis. Ita Gobat, Qui nar: contra aliquos.

24. *An ille qui ob multitudinem populi non valet intrare Ecclesiam, vel jam clausam reperit stando ante fores, lucretur Indulgentiam?*

℞. Si illa Indulgentia sit concessa visitantibus Ecclesiam, lucrabitur illam; quia in favorabilibus nomine Ecclesiæ etiam Cæmeterium comprehenditur.

Si vero concessa sit visitantibus quinque Altaria, ad lucrandum tenebitur omnino ingredi Ecclesiam, & saltim Animo converti ad singula altaria.

25. *Quam Indulgentiam lucrantur recitantes salutationem B. V. M. Vulgo Angelus Domini ad pulsum Campanæ?*

℞. Juxta Breve *Injuncta Nobis.* Benedicti XIII. editum 14. Septembr. 1724. lucrantur Indulgentiam Centum Annorum. II. Taliter recitantes quolibet Mense die ab unoquoque eligendo, si confessi & communione refecti fuerint, Plenariam lucrantur Indulgentiam, ut constat ex eodem Brevi.

26. *An Regulares has Indulgentias lucrari possint si ad sonitum Campanæ impediti, postea alio tempore recitent Angelus Domini?*

℞. Affirmative. Dummodo statim ac opus prædictum expletum fuerit preces supra memoratas flexis genibus recitent. Hæc sunt Verba Brevis prædicti.

27. *An illa salutatio flexis genibus facienda est ad hoc, ut lucretur Indulgentia?*

℞. Probabilius non requiri, quia non est adoratio,

ratio, sed oratio, quæ stando optimè perfici potest. Quod autem in prædicto Brevi addatur *flexis genibus* non videtur substantiale. Sicuti à pari licet in Brevi concedente Indulgentiam plenariam recitantibus sex *Pater* & *Ave*, cum *Gloria*, addatur *brachiis extensis*, attamen Communis est sententia, hunc situm corporis non spectare ad valorem Indulgentiæ.

28. Ubi *Nota* quod dictis *sex Pater & Ave*, non necessario superaddi debet *Credo*, nisi ex devotione, quia in Indulto non requiritur.

29 *Quid est specialiter Notandum de Indulgentia Portiunculæ?*

℞. Hæc sequentia.

I. Quod ab ipso Christo sit constituta.

II. Loquendo de ipsa Ecclesia Portiunculæ prope Assisium in Umbria; certum est: quod in illa Fideles singulis diebus per Annum possint lucrari Indulgentiam Plenariam. Ex Concess: Innocentii XII. in suo Brevi *Redemptoris*. 8. August: 1695.

III. In hac Ecclesia neque in Anno S. Jubilæi suspenditur Indulgentia. Ex Concess: Innocentii X. Clem: X. Innocen: XII. Benedicti XIII. 1725.

IV. Hæc Indulgentia extenditur ad alias Ecclesias totius Ordinis Seraphici per totum Orbem, à primis Vesperis, usque ad Occasum solis diei August:

V. Hanc Indulgentiam Plenariam lucrari possunt 2. Augusti Omnes Fratres, & Sorores Trium Ordin. S. P. Francisci; item Chordigeri, & Syndici nostri Apostolici, in Casu impedimenti etiam extra Nostra Templa & Oratoria *vg.* Infirmi in Camera, aut itinerantes in aliis Ecclesiis, si cæteras Conditiones habeant.

VI. Hæc Indulgentia potest applicari etiam Defunctis. Ex Innocentio XI. in Brevi *Alias* &c 1681.

VII. Probabile lucrari quilibet eam potest eadem die

toties, quoties visitaverit Ecclesiam. Nam ad interrogationem, Utrum hoc liceat populo persvadere? ℞. S. Congr: Trident. 17. Julii 1700. *Servandum esse solitum.*

VIII. Quinimo non desunt aliqui Authores citati apud Reiffenst: tract. 12. q. 5. probabile esse; Indulgentiam Portiunculæ etiam Vivis aliis applicari posse in statu gratiæ existentibus, nisi contrarium à Sede Apostolica determinetur.

30. *Quid specialiter Notandum est Circa Indulgentias Viæ Crucis?*

℞. Hæc sequentia.

I. Habent Originem à Via Crucis Christi euntis in montem Calvariæ: quæ loca post Resurrectionem Christi, B. V. MARIA una cum Apostolis, cum summa devotione visitare consveverat.

Hanc devotionem postea imitati sunt Reges & Principes, ac multi devoti homines. Unde varii Summi Pontifices indiderunt his Sacris Locis plurimas Indulgentias; sed postquam capta fuit Jerosolyma à Saracenis, ab hinc non potest dari facilis aditus ad visenda illa loca.

Unde Sedes Apostolica, hic in partibus Christianis, easdem Fidelibus concessit Indulgentias absolventibus Viam Crucis.

Et in primis Innoc: XI. & Innoc: XII. in suo Brevi: *Ad ea per quæ*, &c, 24. Decemb. 1692. & 1695. concessit Indulgentias Viæ Crucis, sed non nisi illis qui sunt Ministro Generali Ordinis Minorum subjecti. Tandem Benedictus XIII. 11. Martii 1727. *Inter plurima*, has Indulgentias non tantum ad cunctos Christi Fideles, etiam Ministro Generali non subjectos, ampliavit; sed etiam pro animabus in purgatorio existentibus applicabiles declaravit, toties quoties absolventur.

Novis-

Novissimè Autem Clemens XII. in Const: *Exponi nobis* 16. Januarii 1731. clementer easdem Indulgentias, etiam ad alia loca ab Ordine Minorum non dependentia extendit; dummodo per FF. Minores in illis locis erigantur Viæ Crucis.

Quas prædictus Pontifex erigi concedit non tantum in Ecclesiis, Oratoriis, & Hospitalibus, sed etiam in aliis piis locis, habitâ quo ad hoc licentiâ Ordinarii & Parochi illius loci.

Quam gratiam confirmavit Benedictus XIV. in Bulla quæ incipit: *Cum tanta sit* &c. 30 August: 1741. in qua hoc speciale circa Viam Crucis de novo institutum reliquit: Ut ubi jam habetur erecta Via Crucis in Ecclesiis Fratrum Minorum, non amplius erigatur in aliis Ecclesiis ejusdem Civitatis vel Oppidi, nisi tanta sit longitudo itineris, aut viæ Asperitas, ut Christi Fideles non sine gravi incommodo, aut nullo pacto ad eandem Viam Crucis accedere valeant. Quod negotium arbitrio ac prudentiæ Ordinariorum relinquit.

MODUS ERIGENDI VIAM CRUCIS

1. Prælatus Provinciæ vel Conventûs Ordinis Minorum Sancti Patris Francisci Regularis Observantiæ, habet potestatem sibi datam à Sede Apostolica, erigendi Viam Crucis. In qua 14 Stationes includuntur, cum Indulgentiis Plenariis & temporalibus.

2. Tempore igitur designato & prævie paratis, sive Crucibus, sive Imaginibus repræsentantibus singulis, singula Mysteria illius Viæ, quam fecit Christus Dominus, à lato Decreto in mortem suam, usque ad agonem & sepulturam sui pretiosissimi Corporis Prælatus hujusce Ordinis (sive Delegatus ab ipso)

indutus superpelliceô, stolâ & pluviali, benedicat illas Cruces seu Imagines, in communi; tali ut sequitur Benedictione.

Benedictio Crucum seu Imaginum pro Stationibus Viæ Crucis.

Nota: Sit ad manus Aspersorium cum aqua benedicta & Thuribulum.

℣. *Adjutorium Nostrum ✠ in Nomine Domini:*

℟. *Qui fecit Cælum & terram.*

℣. *Dominus Vobiscum &c.*

OREMUS

Omnipotens sempiterne DEUS Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut Imagines (sive Cruces) in quibus sacra Passionis Domini Nostri JESU Christi Mysteria depicta sunt, Bene ✠ dicere, & Sancti- ✠ ficare digneris. Ut quicunque coram Ipsis ad Te Creatorem & Redemptorem suum adorandum sese inclinaverint: & expressa in illis Mysteria Viæ Crucis recoluerint, præter Indulgentias iisdem concessas, à cunctis periculis liberentur, & quidquid juste petierint, obtinere mereantur. Per Dominum Nostrum Jesum Christum, qui tecum &c Amen.

Hic aspergat omnes illas Imagines aquâ benedicta:

Benedictio Omnipotentis DEI, Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus S. ✠ descendat super illas Imagines, & super Omnes recolentes Mysteria Viæ Crucis JESU Christi Domini Nostri; Amen.

3. Ubi Processio Ordinata esset, juxta beneplaplacitum & devotionem Prælati Ecclesiæ vel Fundatorum seu Collatorum, singulæ Imagines sive Cruces; debent in Manibus portari, à devotis Catholicis.

Finita ista coördinatione, fiat Exhortatio ad populum, quâ breviter & nervosè denuntietur Auditori-

ditoribus præsens Processio, & post illam erectio Viæ Crucis, maximè Deo placens obsequium, in recolendo illum Amorem, quo Christus suscepit Decretum in mortem; mortem autem Crucis: nec non illos dolores, quos bajulans sibi Crucem sustinuit.

4. Post Exhortationem incipiant Cantores cantare pæanes vel Polonicos de Passione Christi, vel Hymnum illum *Vexilla Regis prodeunt* &c. fiatque Processio ad Ecclesiam.

5. Postquam Processio finita fuerit, in singulis locis designatis pro Stationibus, singulas imagines statuat, cum tali benedictione.

Benedictio singularum Imaginum in singulis locis Quatuordecim.

Authoritate mihi à Sede Apostolica, hac in parte concessa, bene✠dico locum istum, & primam Stationem erigo, ac Tuam invoco misericordiam misericors & miserator Domine super Omnes in hoc loco Orantes. Per Christum Dominum Nostrum, Amen.

Et aspergat Aquâ Benedictâ dicens: ut supra. Benedictio Omnipotentis DEI, Patris &c. Hoc totum faciat in singulis locis statuendo Imagines, immutando solummodo numerum Stationum successivè, usque ad 14tam Stationem.

6. Celebret Missam, fiatque Concio.

7. Celebrans Noster Prælatus, post Missam brevi sermone recommendet populo salutarem si non quotidie, saltem semel in septimana Usum hujus Viæ.

Ex Rituali O. M. S. P. Francisci.

II. Ad lucrandam hanc Indulgentiam, debet quilibet singulîs Stationibûs facere intentionem, cui nam vult illâm applicare, & non sufficit Generalis, vel si sufficeret, melior est particularis.

III. Quoties de die absolveretur Via Crucis, toti-

es lucrabitur Indulgentias, non quidem sibi (quia sibi non nisi semel de die lucrari potest) sed animabus purgatorii.

IV. Si quis non potest Omnes 14. Stationes absolvere, lucrabitur illius Stationis Indulgentiam, quam absolverit: quia singulæ Stationes habent singula Onera imposita; neque sunt per modum Unius Orationis institutæ.

31. *Quid specialiter Notandum est, circa Indulgentias Confraternitatum?*

℟. Hæc sequentia.

I. Quod in Una eademque Civitate non conceditur duplex Confraternitas ejusdemGeneris & instituti. Excipe solam Confraternitatem SS. Sacramenti, quam Paulus V. 1607. in qualibet Ecclesia Parochiali exoptat & concedit.

II. Erectio Confraternitatis non potest fieri sine prævio consensu Ordinarii & literis testimonialibus Ejusdem.

III. Statuta ejus debent approbari ab Episcopo.

IV. Sicuti neque Breve Apostolicum potest promulgari pro Concessione erigendæ Confraternitatis, nisi prævia Cognitione Ordinarii.

32. *Quomodo Indulgentiæ semel Concessæ, iterum cessent?*

℟. His quatuor modis.

I. Si ad certum tempus fuerunt concessæ, hoc elapso, & ipsæ cessant.

II. Si sunt loco affixæ, hoc destructo, ipsæ Indulgentiæ cessant. Quod intelligi debet de destructione totali, id est: cujus separationem nova Consecratio ejusdem Ecclesiæ intervenit.

III. Si sunt affixæ rei *vg.* Cruci, hac destructa cessant. Licet non desint aliqui Doctores, qui putant cum Gobat; non cessare, si illa *vg.* Crux redintegretur.

IV. Demum cessant Indulgentiæ, per revocationem Concedentis. Non vero per mortem ejus. Ut docent communiter Doctores.

De Indulgentiis Altaris Privilegiati. Vide inferius Sect: 8. Art. 8. N. 19. & sequent:

ARTICULUS. XI.

De Jubilæo.

1. *Quid est Jubilæum?*

℟. Est Indulgentia Plenaria à Summo Pontifice concessa visitantibus certas Ecclesias, & præscripta pia opera peragentibus, una cum concessione certarum facultatum in Brevi Apostolico expressarum.

2. *Quotuplex est Jubilæum?*

℟. Triplex.

I. *Anni Sancti*, de quo in præsenti.

II. *Jubilæum Ordinarium*; quod post Annum S. conceditur Regnis & Provinciis extra Italiam, & durat per bimestre.

III. *Jubilæum Extraordinarium*; quod conceditur, vel post Coronationem Neo-Electi Papæ, vel in gravi aliqua necessitate Ecclesiæ, & durat per duas Hebdomadas.

3. *Unde habet suam Originem Jubilæum Anni Sancti?*

℟. Ex Lege veteri: Nam populus Hæbraicus elangentibûs tubîs excitabatur ad recolendum annum quinquagesimum Ingressûs filiorum Israel in terram promissionis. Unde dicebatur jubilæus à voce hebræa *Jobel*, quæ buccinam significat, ut notat Lyranus in c. 25. Levit.

Nota quod in hoc anno quinquagesimo qui Judæis erat Jubilæus, debita remittebantur gratis, servi liberate donabantur &c, ut patet ex Levit. c. 25. & alibi.

4.

4. *Quando Annus Jubilæus celebratur in Ecclesia Catholica?*

℟. Imprimis juxta morem antiquæ Ecclesiæ Bonif: VIII. in *Extravg:* concessit Jubilæum Anni S. pro quolibet centesimo anno. Postea Clemens VI ob brevitatem vitæ humanæ reduxit ad Annum quinquagesimum Tandem Paulus II. & Sixtus IV. ad Annum vigesimum quintum.

5. *Quo Ritu Jubilæi Annus S. indicitur?*

℟. Hoc modo: Die Ascensionis ante annum S. Romæ in Æde S. Petri post Evangelium cum summo apparatu recitatur publicè Pontificis Diploma de proximo Jubilæo.

II. In Vigilia Nativitatis D. habetur mane solemnis Supplicatio, & post meridiem à Sacello Palatii ad Ecclesiam S. Petri se confert Papa, quam occlusam reperit, & accedens ad Portam Sanctam (quæ murata est de Anno in Annum vigesimum quintum) percutit illam ter argenteo malleo, & summus Pænitentiarius bis percutit, quo tempore certæ persolvuntur preces. Postea murarii murum deiiciunt, ingrediturque Ecclesiam Papa, & Vesperis interest.

III. Quo Ritu etiam aperiuntur aliæ tres Ecclesiæ ab Assignatis Cardinalibus, quæ in Bulla Jubilæi semper specificari solent, ut visitentur ab iis qui Jubilæum Romæ sunt lucraturi.

IV. Anno igitur integro elapso, denuo in Vigilia Nativitatis D, Indulgentiæ omnes in reliquis mundi partibus suspensæ reviviscunt. Factisque Solemnibûs Vesperîs, post quas præmissa publica supplicatione in Ecclesia S. Petri benedicuntur lapides, calx & alia ad demurationem necessaria, quibus finitis Papa, & summus Pænitentiarius cochleari argenteo calcem in portam jaciunt, ternosque

lapides

lapides ponunt, deinde à murariis reliqua pars muri erigitur, manetque integer murus donec iterum annus Sanctus recurrat.

6. Et quia non omnes populi de toto Orbe terrarum Romam pro Anno S. properare poterant, hinc Summi Pontifices non ex motu proprio, sed ad instantiam Regum, Episcoporum, & Nuntiorum solent anno sequenti ad alios Episcopatus Indulgentias Jubilæi extendere.

7. Infra hunc annum, specialem expediunt Bullam, vi cujus conceditur Indulgentia Jubilæi illis, qui propter aliquod impedimentum visitare non possunt assignatas Ecclesias uti sunt Moniales, infirmi, incarcerati, dummodo habeant promptam voluntatem exequendi obligationes Jublilæi, si possent.

8. *Quæ sunt requisita ad lucrandum Jubilæum?*

℟. Illa omnia quæ in Bulla Jubilæi exprimuntur. Nempe ultra statum gratiæ: requiritur *Jejunium, Eleemosyna, Visitatio Ecclesiarum cum Oratione, Confessio, & Communio.*

Hæc omnia ità, & eodem modo, ac illo tempore sunt implenda, quo sunt descripta, propter quam incuriam multi frustrantur Jubilæi gratiâ.

Jejunium debet ita feria 4ta, sexta & Sabbatho absolvi, ut aliis diebus non valeat. Ad quod absolvendum tenentur etiam illi, qui sunt à jejunio Ecclesiastico de jure liberi, uti sunt juvenes ante annum 21. & senes post Annos 60.

Ecclesiæ eædem debent visitari, quæ sunt assignatæ, & non aliæ.

9. *An omnia ista opera debent in statu gratiæ absolvi?*

℟. Sufficit quod saltim ultimum ipsorum fiat in statu gratiæ, secundum communem sententiam.

10. *An teneatur Indulgentiam Jubilæi lucrans in eo-*

in eodem loco vg in eadem Civitate omnia requisita absolvere?

℞ Non tenetur, sed potest in illa Ecclesia ubi manet vg. jejunare, & alibi confiteri & communicare. Ita docent DD. quia favor Jubilæi non est localis, sed Personalis;

11. Imo si quis fuit in itinere longo, & veniens in suum locum jam inveniet tempus Jubilæi finitum esse, poterit opera Jubilæi peragere, & sic lucrari indulgentiam. Hoc enim conceditur in Bulla Jubilæi itinerantibus in mari, aut terra.

12. *Quæ Indulgentiæ suspenduntur tempore Jubilæi?*

℞ Omnes Indulgentiæ etiam perpetuæ, nisi cum aliquibus sit specialiter dispensatum, uti Benedictus XIII. intra Annum Jubilæi 1725. dispensavit cum Ordine Seraphico, quatenus in Festo S Antonii, Portiunculæ, S. P. N. Francisci in natione Germano-Belgica possent fideles pro se etiam lucrari Indulgentiam, & pro toto Orbe in Festo Immaculatæ Concept: B. V. M.

13. Non suspenduntur tamen Indulgentiæ, sive sint Altaris privilegiati, sive alio modo aplicabiles Animabus purgantibus. prout declaravit Innoc. X. & alii Pontifices.

14. Neque suspenduntur indulgentiæ concessæ pro Articulo mortis, ut declaravit Clemens X.

15. Neque Indulgentia Portiunculæ, ut supra dictum est, & omnes aliæ, sive Viæ Crucis, sive numismatibus, crucibus &c. sint concessæ, Animabus applicabiles.

16. Neque sunt suspensæ indulgentiæ partiales, seu *non plenariæ*, uti tenet Gobat Henrix &c. quia hæ non opponuntur intentioni Bullæ Jubilæi.

17. *Quo tempore durat suspensio Indulgentiarum?*

℞. Jl.

℞. Illo duntaxat anno Sancto, quo Jubilæum peragitur Romæ, cujus suspensionis finis est, ut fideles ex toto orbe terrarum confluant ad caput Ecclesiæ, sicuti olim Judæi solebant concurrere Jerosolymam.

18. *Quæ Privilegia habent Confessarii tempore Jubilæi?*

℞. Hæc sequentia.

I. Possunt absolvere à quibusvis casibus etiam in Bulla Cœnæ reservatis, excepto crimine Hæresîs. Imò si in Bulla Jubilæi crimen Hæresîs non excipiatur, possunt absolvere, ut probabilius putat Corduba, & alii.

II. Conceditur facultas commutandi omnia vota exceptô votò castitatis, & Religionis.

III. Datur potestas commutandi opera præscripta.

19. *Utrum Confessarii habent hanc potestatem quo ad omnes Personas etiam Religiosas cujuscunq; Ordinis excepti?*

℞. Quo ad viros Religiosos controvertunt Doctores. Affirmat Kierchove cum aliis pluribus, & pro sua parte citat Declarationem Gregorii XIII. 19. Decemb. 1581. Negat P. Viva.

Hæc tamen sententia habet locum in illis Religionibus, in quibus sub nullitate actûs prohibetur confiteri extra Ordinem, ut probat *Reiffenst.*

Quo ad Moniales communius negant DD. contra Kierchove. Nisi sint Superiores earum valde parci in assignandis pluribus Confessariis intra Ordinem.

20. *Quod Votum Castitatis commutari non potest tempore Jubilæi?*

℞. Votum perpetuæ Castitatis. Ita communiter Doctores. Imò nec votum factum ad centum annorum, quia pensando brevitatem vitæ humanæ, censetur esse perpetuum.

Exci-

in eodem loco vg in eadem Civitate omnia requisita absolvere ?

℟. Non tenetur, sed potest in illa Ecclesia ubi manet vg. jejunare, & alibi confiteri & communicare. Ita docent DD. quia favor Jubilæi non est localis, sed Personalis;

11. Imo si quis fuit in itinere longo, & veniens in suum locum jam inveniet tempus Jubilæi finitum esse, poterit opera Jubilæi peragere, & sic lucrari indulgentiam. Hoc enim conceditur in Bulla Jubilæi itinerantibus in mari, aut terra.

12. *Quæ Indulgentiæ suspenduntur tempore Jubilæi ?*

℟. Omnes Indulgentiæ etiam perpetuæ, nisi cum aliquibus sit specialiter dispensatum, uti Benedictus XIII. intra Annum Jubilæi 1725. dispensavit cum Ordine Seraphico, quatenus in Festo S Antonii, Portiunculæ, S. P. N. Francisci in natione Germano-Belgica possent fideles pro se etiam lucrari Indulgentiam, & pro toto Orbe in Festo Immaculatæ Concept: B. V. M.

13. Non suspenduntur tamen Indulgentiæ, sive sint Altaris privilegiati, sive alio modo aplicabiles Animabus purgantibus. prout declaravit Innoc. X. & alii Pontifices.

14. Neque suspenduntur indulgentiæ concessæ pro Articulo mortis, ut declaravit Clemens X.

15. Neque Indulgentia Portiunculæ, ut supra dictum est, & omnes aliæ, sive Viæ Crucis, sive numismatibus, crucibus &c. sint concessæ, Animabus applicabiles.

16. Neque sunt suspensæ indulgentiæ partiales, seu *non plenariæ*, uti tenet Gobat, Henrix &c. quia hæ non opponuntur intentioni Bullæ Jubilæi.

17. *Quo tempore durat suspensio Indulgentiarum?*

℟. Il.

℟. Illo duntaxat anno Sancto, quo Jubilæum peragitur Romæ, cujus suspensionis finis est, ut fideles ex toto orbe terrarum confluant ad caput Ecclesiæ, sicuti olim Judæi solebant concurrere Jerosolymam.

18. *Quæ Privilegia habent Confessarii tempore Jubilæi?*

℟. Hæc sequentia.

I. Possunt absolvere à quibusvis casibus etiam in Bulla Cænæ reservatis, excepto crimine Hæresis. Imò si in Bulla Jubilæi crimen Hæresis non excipiatur, possunt absolvere, ut probabilius putat Corduba, & alii.

II. Conceditur facultas commutandi omnia vota exceptô votô castitatis, & Religionis.

III. Datur potestas commutandi opera præscripta.

19. *Utrum Confessarii habent hanc potestatem quo ad omnes Personas etiam Religiosas cujuscunq; Ordinis excepti?*

℟. Quo ad viros Religiosos controvertunt Doctores. Affirmat Kierchove cum aliis pluribus, & pro sua parte citat Declarationem Gregorii XIII. 19. Decemb. 1581. Negat P. Viva.

Hæc tamen sententia habet locum in illis Religionibus, in quibus sub nullitate actûs prohibetur confiteri extra Ordinem, ut probat *Reiffenst.*

Quo ad Moniales communius negant DD. contra Kierchove. Nisi sint Superiores earum valde parci in assignandis pluribus Confessariis intra Ordinem.

20. *Quod Votum Castitatis commutari non potest tempore Jubilæi?*

℟. Votum perpetuæ Castitatis. Ita communiter Doctores. Imò nec votum factum ad centum annorum, quia pensando brevitatem vitæ humanæ, censetur esse perpetuum.

Exci-

Excipiuntur tamen Vota perpetuæ castitatis ab impuberibus emissa; ut notat Lacroix apud Reiffenst.

21 *Quid si pænitens tempore Jubilæi inculpabiliter oblivisceretur confiteri aliquod reservatum?*

℟. Post Jubilæum poterit à simplici Confessario absolvi, dummodo antea fecerit Confessionem de omnibus peccatis animo lucrandi Jubilæum, quia protunc fuit absolutus ab omnibus, etiam oblitis.

22. *An possit Jubilæum bis obtineri?*

℟. Probabiliter non posse, etiam in diversis Civitatibus, quia licet sit locus diversus, idem tamen est Jubilæum.

SECTIO VII.

De Sacrificio Missæ, ejusque Ceremoniis.

ARTICULUS I.

De Sacrificio in Communi

1. *Quotapliciter sumitur Sacrificium?*

℟. Dupliciter: *Propriè*, & *Impropriè*.

2. *Impropriè* sumitur pro quolibet opere bono & meritorio, ut dicit *S. August*: l. 12. de Civit: Dei c. 16. *Verum Sacrificium est omne opus bonum, quod agitur &c.* Et *Psalm*. 30. dicitur: *Sacrificium DEO Spiritus contribulatus. Eccles*: 36. *Qui facit Misericordiam, offert Sacrificium.*

3. *Proprie* verò accipitur pro certo Religionis actu, quô supremum cultum soli Deo debitum exhibemus.

4. *Quid est Sacrificium propriè sumptum?*

℟. Est: *Oblatio externa rei sensibilis, legitimâ authoritate instituta, à Ministro competenti, per immuta-*

mutationem illius rei, soli DEO facta, in protestationem illius supremi Dominii in vitam & mortem.

3. *Quæ sunt de essentia Sacrificii proprie sumpti?*

℞. Hæc Duo: 1. Ut fiat in honorem DEI. 2. Ut res oblata immutetur seu destruatur, prout fiebat etiam in oblationibus pecudum antiquæ legis, quæ occidebantur, & vini, quod in terram effundebatur.

6. *Quotuplex est Sacrificium?*

℞. Duplex: *Cruentum*, in quo effunditur sangvis. Et *Incruentum*, in quo sangvis non funditur.

7 *In Lege antiqua fueruntne aliqua Sacrificia?*

℞. Affirmativè, ut constat ex *Libro Levitico*.

8. *Quotuplicia fuerunt hæc Sacrificia?*

℞. Ratione Materiæ, seu rei oblatæ fuit triplex Sacrificium, nempe: Victima, Immolatio, & Libamen.

9. *Victimæ*, fiebant ex animatis, ut ovibus, bobus, &c.

10. *Immolationes*, ex rebus inanimatis, solidis tamen, ut farinâ, pane, &c.

11. *Libamina*, fiebant ex rebus liquidis, ut vino & aquâ.

Ratione finîs fuit triplex Sacrificium, nempè Latreuticum, Pacificum; & Propitiatorium.

12. *Latreuticum* offerebatur DEO specialiter in recognitionem D. Majestatis, & supremi illius Dominii.

13 *Pacificum* offerebatur DEO pro beneficiis. Et hoc, si fuit pro beneficiis acceptis, vocabatur *Eucharisticum*: Si vero pro accipiendis, dicebatur *Impetratorium*.

14. *Propitiatorium* autem illud fuit, per quod offensus placabatur Deus, & venia impetrabatur.

15. *Per quid differunt Sacrificia antiquæ legis à Sacrificio Missæ?*

℞. Per

℟. Per hoc, quia illa causabant gratiam ex opere operantis, id est, ex meritis ipsius offerentis; Missæ autem Sacrificium causat gratiam ex opere operato, id est, ex meritis Christi Domini.

ARTICULUS II.

De Natura Sacrificii Missæ.

1. *Unde derivatur Nomen Missæ?*

℟. Secundum aliquos ab Hæbraica voce *Missach* id est: *oblatio voluntaria.* Vel etiam dicitur à verbo: *Mitto,* quia in illa oblatio & preces mittuntur ad Deum. Vel quia per Consecrationem Christus mittitur ad nos à Patre.

2. Vel tandem juxta *S. August:* Missa dicitur à Missione, seu dimissione populi; in primitiva enim Ecclesia duplex erat populi dimissio, ut refert cit. *S. August:* Serm. 237. *Una* ante Sacrificium Missæ, per quam dimittebantur Catechumeni, Enerchumeni, & alii nondum baptizati, clamante Diacono: *Ite, Missa est.* His enim omnibus non licebat sacris interesse, *Altera* dimissio erat, per quam cœtus fidelium finitô Sacrificiô Missæ dimittebatur, clamante Diacono: *Ite, Missa est* (sicut & nunc est in usu) ac si diceret, jam ite securi, siquidem pro vobis Oblatio transmissa est ad Deum.

3. *Quid est Missa?*

℟. Est: *Sacrificium incruentum consistens in consecratione Panis & vini, ac consumptione.*

4. *Missa estne proprie dictum Sacrificium?*

℟. Affirmativè cum Trid. Ses. 22. c. 1. contra Lutherum, qui lib. de cap. Babyl. negat Missam verum esse Sacrificium.

5. *Quomodo res oblata (quæ est Christus) destruitur in Sacrificio Missæ?*

℟. Non

℟. Non destruitur quidem physicè, cum sit immortalis, benè verò moraliter & mysticè.

1mò: Quia ponitur in Eucharistia modo quasi mortuo, siquidem Sangvis ejus ponitur separatim à Corpore ex vi verborum; Undè fit mystica effusio sangvinis per gladium verborum.

Hinc *S. Gaudentius* t. 2. in Exod. Eucharistiam appellat Exemplar Passionis Christi, quia sicuti in Passione propter separationem sangvinis à Corpore secuta est mors Christi, ita etiam in Sacrificio Missæ sequeretur, nisi interveniret miraculum.

2dò Ponitur sub speciebus quasi mortuus, quia nullam habet functionem & operationem sensuum externorum.

6. *Sacrificium Missæ estnè idem cum Sacrificio Crucis?*

℟. Est idem quo ad substantiam rei oblatæ, & principalem offerentem, quia utrobiquè est idem Christus. Quo ad modum tamen, ritum, & alias circumstantias est diversum: quia in Cruce erat cruentum, & fiebat per actionem physicè destructivam Christi: nunc autem est incruentum, & fit per actionem moraliter tantum destructivam ejusdem.

7. *Per quid differt Sacrificium Missæ à Sacramento Eucharistiæ?*

℟. Per ista:

1mò: Quia requirit Consecrationem utriusquè speciei. Eucharistia vero habetur in una specie.

2dò: Quia est quid transiens, cum in actionibus consistat transeuntibus. Eucharistia vero est permanens.

3tiò. Quia primariò ordinatur ad cultum D. Eucharistia vero primariò ordinatur ad sanctificandum hominem.

PAR-

PARTES SACRIFICII MISSÆ.

8. *Quotuplices sunt Partes Sacrificii Missæ?*

℟. Duplices: Aliæ: *Essentiales.* sine quibus valide non potest fieri. Et aliæ *Integrales,* quæ non sunt de essentia ejus, integrant tamen illud.

9. *Quot sunt Partes Essentiales Sacrificii Missæ?*

℟. Juxta V. *Scotum* in 4. d. 3. sunt duæ: *Consecratio,* & *Consumptio,* In Consecratione enim includitur & oblatio, nam tunc Christus se ipsum offerre dicitur, quando dat nobis suam Carnem, dat autem illam, dum Sacerdos dicit: *Accipite & manducate: Hoc est enim Corpus meum.*

10. Juxta alios DD. tres sunt essentiales partes Missæ, nempè: Consecratio, Oblatio, & Consumptio.

11. *Quotuplex est Oblatio in Sacrificio Missæ?*

℟. Duplex: *Una* Panis & vini, quæ habetur in Offertorio, per illa verba: *Suscipe S. Pater &c. Altera* est oblatio Corporis & Sangvinis Christi, quæ fit post Consecrationem per illa verba: *Unde & memores* &c. usque ad *Supplices Te deprecamur &c.* inclusive.

12. *Quæ ex his Oblatio est de essentia Missæ?*

℟. Secunda, nam res oblata in Sacrificio Missæ est Corpus & Sangvis Christi, non vero panis & vinum.

13. *Quotuplices sunt partes Integrales in Sacrificio Missæ?*

℟. Duplices: *Principales* seu Ordinariæ. Et *Minus Principales* & non Ordinariæ.

14. *Principales* & ordinariæ sunt illæ, quæ in omni Sacrificio habentur.

15 *Minus Principales* seu non Ordinariæ sunt, quæ non habentur in omni Sacrificio, sed tantum aliquando, & tales sunt VG. *Gloria, Credo, plures Epistolæ, collectæ &c.* 16.

16. *Quot sunt Partes Principales Integrales?*

℟. Quatuor: 1*ma* incipit ab Introitu ad Offertorium. 2*da* ab Offertorio ad Canonem, qui incipit ab his verbis: *Te Igitur* &c. usque ad Communionem inclusivè 3*tia* A Canone ad sumptionem. 4*ta* Ad finem continuatur.

ARTICULUS III.
De Materia & Forma Sacrificii Missæ.

1. *Quæ est Materia Sacrificii Missæ?*

℟. Minus Principalis & transiens, est Panis & vinum. Principalis vero & permanens est ipse Christus. Ita *Trid.* Ses. 22. c. 1.

2. *Quô Jure necessaria est utraque Species?*

℟. Jure Divino, qui voluit in Sacrificio Missæ expressam habere repræsentationem Sacrificii Crucis, in quo totus Christus est immolatus, per positionem Corporis sine Saugvine; & Sangvinis absque Corpore.

Hinc in tantum est necessaria utriusque speciei Consecratio, ut neque Papa in hoc dispensare possit, juxta V. *Scotum* in 4. d. 8. q. 3.

3. *Validumne esset Sacrificium Missæ, si in unica specie Sacerdos per errorem vel ex malitia consecraret?*

℟. Affirmativè, quia haberetur in casu totum id, quod requiritur ad essentiam Sacrificii Missæ, nam fieret Oblatio Corporis & sangvinis saltem concomitanter. Tum quia in una specie salvatur essentia Sacramenti Eucharistiæ: Ergo etiam & ratio sacrificii, saltem quo ad essentiam. Ita ex Scotistis *Aretinus*, *Poncius* &c, Tale tamen Sacrificium non esset integrum, quia ad integritatem ejusdem utra-

que requiritur species, ut omnes concedunt.

4. *Qualis Panis requiritur ?*

℞. Ad valorem requiritur omnino triticeus, qui in Latina Ecclesia sub mortali debet esse Azymus, in Græca vero fermentatus.

5. *Quale vinum requiritur ?*

℞. De vite, nec sufficit, si sit in uva, aut imbibitum in panem, quia sic est potiùs cibus quam potus.

6. *Quid si fuisset congelatum ?*

℞. Esset sufficiens, quia tale vinum per accidens tantum non est potabile, facile tamen redditur ad potandum. Si tamen esset totaliter congelatum, illicite secundum aliquos consecraretur.

7. *Quomodo tale vinum liquefieri debeat ?*

℞. Per tactum manuum, vel alterius corporis, puta lapidis calefacti; non autem per halitum, quia sic posset destrui substantia vini satis per congelationem debilitata, nam per halitum in calice generatur aqua salsa aliquomodo, aut sulphurea juxta temperamentum hominis.

8. *Gutta aquæ, quæ solet admisceri estne de essentia Sacrificii Missæ ?*

℞. Non est, sub mortali tamen omitti non debet propter Mysterium, quod significat.

9 *Quô Jure adhibenda est ?*

℞: Jure Ecclesiastico, ut videre est in *Trid.* Ses. 22. c 7.

10. *Quod Mysterium significat ?*

℞. 1. Effusionem aquæ cum sangvine ex latere Christi. 2. Unionem hominis cum DEO, nam per vinum denotatur Divinitas, per aquam populus, juxta illud *Apoc*: 17. v. 15. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes.* Tum quia & Christus supponitur in usuali vino consecrasse, cui solet misceri quia.

11. *In Consecratione convertiturne hæc aqua in sangvinem?*

℞. Affirmativè, prius tamen debet converti in vinum juxta V. *Scotum* in 4. d. 3. q. 3.

12. *Et si ante Consecrationem non esset conversa in vinum?*

℞. Pro tunc non converteretur in Sangvinem D. neque consecraretur, quia materia Consecrationis calicis est solum vinum non vero aqua, ut docet Ecclesia; porro aqua, etiamsi sit admixta vino, tamen adhuc est substantialiter aqua, consequenter inepta ad consecrandum.

13. *Ergo in tali casu populus committeret Idololatrian quia aquam in calice adoraret.*

℞. Negativè, quia non aquam, sed Sangvinem D. adoraret, sicut non calicem adorat, etiamsi ad elevationem illius inclinatur.

14. *Quàm in magna copia aqua infundi debet?*

℞. Juxta *Florent.* in parva, ne vinum corrumpat, & ut citius convertatur in illud, unde una gutta sufficere videtur,

15. *Quæ est Forma Consecrationis Panis?*

℞. Sunt hæc verba: *Hoc est enim Corpus meum.* Omnia sunt de essentia, excepto *enim*, quod tamen ex præcepto sub mortali non est omittendum.

16. *Quæ est Forma Consecrationis vini?*

℞. Sunt hæc verba essentialiter requisita: *Hic est Calix Sangvinis mei* vel *Sangvis meus.* Reliquæ autem particulæ, sunt de integritate formæ, ex præcepto sub mortali non omittendæ.

17. *Quomodo verba Consecrationis pronunciari debent?*

℞. Recitativè simul, & significativè quia debet Sacerdos id recitare, quod Christus in ultima Cæna dixit, & simul significare, quod fecit.

Item: debent proferri in Perſona Chriſti, non vero ipſius Sacerdotis, quia alias falſo diceret celebrans: *Hoc eſt Corpus meum*, ſiquidem non ejus Corpus ſed Chriſti, vi verborum ponitur.

19. Item: debent proferri depreſſa voce, & non clarâ, nam juxta *Gobat.* n. 69. mortaliter peccaret Sacerdos, ſi audiretur ad 40. paſſus. Et juxta *Gavant:* & *Paſq.* etiam ad 10. paſſus. Eccleſia enim ideo prohibuit verba Conſecrationis alta voce proferri, ne populus illa audiens, poſtea temere aut ad jocos utatur illis.

20. *Quomodo adhuc proferri debet Forma Conſecrationis?*

℟. Modeſtè ſimul & mature, non movendo caput, aut alios geſtus faciendo, quia hæc Sacramento irreverentiam, & populo ſcandalum pariunt.

21. *Validane eſt Conſecratio, quando Sacerdos, propter ſupervenientes diſtractiones non habet actualem intentionem, dum profert verba?*

℟. Affirmativè, dummodo cerus ſit de integritate formæ, nam talis adhuc retinet intentionem virtualem contentam in actionibus, quibus lavat manus, apponit hoſtiam, induit veſtes, accedit ad altare &c. Hæc enim faciendo non aliud intendit, quam ſacrificare & conſecrare. Quæ intentio non deſtruitur per ſupervenientes cogitationes, ut notat *Tamb. Henriq.* & alii DD.

Securiſſimus autem erit de ſua intentione, ſi ante Miſſam dicat Orat: *Ego volo celebrare Miſſam* &c. approbatam à *Gregorio XIII*, niſi id ex conſuetudine faciat.

ARTI-

ARTICULUS IV.
De Effectu Sacrificii Missæ

1. *Quotuplex est Effectus Sacrificii Missæ?*

℟. Triplex: Meritorius, Impetratorius, & Satisfactorius.

2. *Meritorius* est: quia per Missæ sacrificium tam offerens, quam etiam ille, pro quo offertur, meretur augmentum gratiæ.

3. *Impetratorius* est: quia per Missam impetrantur bona, non solum spiritualia, sed etiam temporalia.

4. *Satisfactorius* etiam causatur Effectus: quia per Sacrificium Missæ satisfacimus pro peccatis Deo, ut decisum est à *Trid:* Ses: 22 Can. 3.

5. Recolligenda sunt, quæ diximus supra de sacrificiis antiquæ legis Art. 1. Aliud fuisse *Latreuticum* aliud *Pacificum*, & aliud *Propitiatorium*, quæ applicari possunt sacrificio Missæ, quia hos omnes effectus præstat, & quidem præstantiori modo, ut docet *S August:* q 57.

6. *Quotuplex est Fructus Sacrificii Missæ?*

℟. Triplex: Generalis, Specialis, & Specialissimus.

7. *Generalis* est ille: quem Ecclesia applicat omnibus omnino fidelibus tam vivis, quam defunctis.

8. *Specialis* est ille: qui competit illi, pro quo offertur Missa.

9. *Specialissimus* ille, qui soli Sacerdoti celebranti ita tribuitur, ut juxta plures DD. nulli alteri applicari possit.

10. *Fructus Missæ estne infinitus?*

℟. Ex parte rei oblatæ est infinitus, finito tamen modo applicatur, ita ut, si Missa offeratur pro pluribus, minus singulis prodest, quam si uni applicata fuisset, ut patet ex praxi Ecclesiæ, quæ jubet ad multiplicationem stipendii multiplicari Sacrificia Missæ.

11. *Majorne habetur Fructus, dum celebrat devotus Sacerdos, quam impius?*

℞. Negativè, quia Fructus Missæ causatur ex opere operato, nempe ex meritis Christi, non vero ex opere operantis. Potest tamen devotus Sacerdos plus mereri ratione dispositionis suæ, hic tamen effectus non pertinet ad Sacrificium Missæ, ut sacrificium est.

12. *Quis est Minister Sacrificii Missæ?*

℞. *Principalis* est ipse Christus, qui etiam est simul & res oblata *Minus Principalis* est solus Sacerdos.

13: *Quotuplex est Minister Sacrificii Missæ:*

℞. Duplex: Conficiens & Offerens.

Conficiens, est Christus, & in Persona ejus solus Sacerdos.

Offerens vero Minister est multiplex.

1mò: Est ipse Christus, qui ut homo se ipsum offert Deo Patri. Ita *Trid:* Ses. 22.

2dò: Offerens est Sacerdos consecrans.

3tiò: Tota Ecclesia offert sacrificium Missæ mediante Sacerdote. Ex *Innocent.* III. l. 3. c. 5: Celebrans enim dicit nomine Ecclesiæ: *Offerimus Tibi Domine Calicem &c,*

4tò. Specialiter offerunt sacrificium Missæ dantes pro illo stipendium, vel Ministrantes celebranti, aut assistentes.

14. *Participantne omnes prædicti fideles de fructu Sacrificii Missæ?*

℞. Affirmativè, si dispositi sint, non æqualiter tamen, sed illi magis participant, qui magis vel propius concurrunt, hoc nempè Ordine. 1. Sacerdos. 2. Pro quo Missa absolvitur. 3. Ministrantes. 4. Assistentes.

15. Omnes specialiter offerentes non solum participant

ticipant de fructu Sacrificii Missæ, sed etiam aliis eundem possunt applicare. Ita *Suar. Henriq.* & alii.

SECTIO VIII.
De Applicatione, Qualitate, Loco, & Tempore Missæ, ac Dispositione ad illam.

ARTICULUS I.
De Applicatione Missæ.

1. *Poteſtne Sacerdos tutâ conscientiâ accipere ſtipendium pro Miſſa?*

℟. Poteſt: Dignus eſt enim Operarius mercede ſuâ, nam qui Altari inſerviunt. cum Altari participant; juxta *Apoſt:* 1. ad Cor. c. 9.

2. *Videtur per hoc Simonia committi?*

℟. Negativè, quia pecunia non datur Sacerdoti pro Sacrificii Fructu, quaſi per commutationem, ſed liberaliter offertur illi pro externo Miniſterio ad ſuſtentandam vitam, ſimul cum petitione orationis; Sacerdos vero, quia ſe obligat orare pro dante ſtipendium, ideo ex juſtitia tenetur id adimplere.

3. *Quam diu poteſt differre Miſſam Sacerdos accepto ſtipendio?*

℟. Ad ſummum ad 60. dies, alias peccaret mortaliter, ut docent communiter DD. apud *Bonac.* diſp. 4. q. ult. citati, quia talis dilatio ſæpius vergit in damnum illorum, pro quibus Sacrificium abſolvi debet.

4. *Poteſtne Sacerdos abſolvere Miſſam ad intentionem illius, qui primo daturus eſt illi ſtipendum?*

℟. Negativè, pro ut deciſum eſt à S. Cong. 1705. approbante *Paulo V.*

5. *An*

5. *An liceat Sacerdoti committere alteri Missam celebrandam, retenta sibi parte stipendii?*

℟. Non licet, prout vetuit S. Cong. approbante *Urbano VIII.* Et novissime ex Decreto Benedicti XIV, *Quanta cura* 30 Junii 1741. Si Laicus id fecerit Excommunicationem ipso facto incurret. Si vero Clericus, Suspensionem, à quibus Censuris uterq; nonnisi à Romano Pontifice pro tempore existente absolvi poterit & quidem in mortis Articulo ut patet ex terminis ejusdem Decreti Pontificii. Ex quibus connotat Decretum valere etiamsi id sine fraude fiat, hoc est, si sciat & consentiat Sacerdos minus stipendium accepturus. Hæc enim est mercatura pessima in quam justissimo zelo insurgit Pontifex. Quæ autem sit pæna taliter delinquentium? videatur inferius

6. *Cui Missa applicari potest?*

℟. Omnibus Fidelibus tam vivis, quam defunctis, non tamen damnatis, Excommunicatis Majori Excommunicatione, Infidelibus, Catechumenis & aliis, qui sunt extra Ecclesiam, ut prohibitum est *in Conc. Arausic.* c. 20.

Potest tamen offerri pro illis, ut convertantur, hoc enim præcepit *Apost.* 1. ad Tim. c. 2. Ubi jussit discipulos orare pro Regibus, qui tunc erant Infideles.

7. Applicatio valet ad intentionem illius, quem Deus videt indigentem, aut quem per celebrantem liberare vult, aut pro quibus Sacerdos orare obligatur, Deus enim scit omnium mentes, status, & necessitates.

8. Potest gradatim applicari eadem Missa pro pluribus, ut si VG. non prosit Fratri, prosit Patri aut alteri. Imò potest validè Sacerdos dimidiare fructum specialem, ut VG. una medietas Petro, altera competat Paulo. Ita *Pasq.* q. 173.

9.

9. *Quid si incapaci applicaretur Missa?*

℟. Fructus ejus maneret in thesauro Ecclesiæ, ut docet *Suar.* vel etiam cederet ipsi celebranti, aut illis, pro quibus tenetur specialiter offerre, ut tenet *Laym.* c. 2.

10. *Quando applicari debet?*

℟. Ante vel in ipsa Consecratione saltem secundæ speciei, non vero post consecrationem utriusque speciei, quia tunc Oblatio peracta est.

11. *Qualis intentio requiritur in Sacerdote ad applicationem Missæ?*

℟. Non requiritur omnino actualis, aut explicita, sed sufficit implicita; Unde si Religiosus nemini applicasset, censetur esse voluntas ejus ut prosit illis, pro quibus sacrificare jussit Superior.

12. *An sit specificanda Persona, pro qua Missa applicanda est?*

℟. Sufficit per *V. Scotum* sic applicare: *Dignare Domine acceptare hoc sacrificium pro illo vel illis pro quibus teneor offerre ex justitia, fidelitate vel Obedientia.*

13. *Validene applicaret Missam Religiosus contra voluntatem sui Superioris?*

℟. Affirmativè, quia solus celebrans est Minister hujus Sacrificii, ad quem pertinet applicare juxta suum placitum; peccaret tamen graviter contra obedientiam.

ARTICULUS II.
De Votivis.

1. *Quotuplices sunt Votivæ?*

℟. Triplices: *Primi Generis* sunt illæ, quæ dicuntur de aliquo Sancto vel Solemnitate, de qua juxta Rubricas per anni circulum celebratur dies festus.

2.

2. *Secundi Generis* sunt illæ; quæ habentur in Miss. Rom. post Commune SS. Et tales sunt 8. Feria II. de SS. Trinitate. Feria III. de Angelis. Feria IV. de Apostolis. Feria V. de Spiritu S. vel SS. Sacramento. Feria VI. de Cruce vel Passione. Sabbato de B. V. M.

3. *Tertii Generis* sunt illæ, quæ habentur in fine Miss. Rom. Et hæc tredecim erant, nunc autem 14. numerantur, quia illis addita est Votiva, ad postulandam gratiam benè moriendi. Ex Decr. S. R. Cong. 20. Martii. 1706. jussu *Clementis* XI.

4. *Quibus diebus licitè possunt absolvi Votivæ?*

℟. Illis, in quibus non occurrit aliquod Festum Duplex.

5. *Quando non licet celebrare Missas Votivas?*

℟. 1mò: In festo Duplici non solum primæ aut secundæ Classis sed etiam in Minori Duplici. Ita S. R. C. 19. Maii 1614.

2dò: Diebus Dominicis & Feriis, quæ excludunt Festa primæ Classis ex Decret. S. R. C. 28. Aug. 1627

3tio: Infra Oct. Epiph. Pentecost. Corporis Christi, Nativitatis D. Ex S. R. C. 1670. & 1714. 15. Septembris.

4tò: In vigilia Epiph. Pentec. ac Nativit. D. Ex S.R.C. 10 Decembris 1718.

6. *Quomodo peccat, qui prædictis diebus celebraret Votivam?*

℟. Juxta *Angel.* mortaliter. Secundum *Bonac.* solum venialiter, quia Rubricas de votivis putat esse directivas tantum.

7. *Quid faciendum, si plures adsint Votivæ celebrandæ ex Legatione?*

℟. Vel debent transferri in aliam diem non impeditam, ut consulit S. R. C. 9. Decemb. 1634. Vel etiam cantandæ sunt de Festo occurrenti cum

appli-

applicatione. Ex Decr. S R. C. 19. Novembr. 1614.

8. *In quibus Casibus licitum est celebrare Votivas prædictis diebus?*

℟. In publica necessitate, tunc enim licitum est etiam in Dominicis ac Festis Duplicibus Votivas solemniter celebrare, non tamen in Majoribus solemnitatibus, ut notat *Merati* T. 1. p. 1. tit. 4.

9. *Qualis ad hoc requiritur necessitas?*

℟. Juxta S. R. C. 19. Maii 1607. requiritur illa, pro qua convenit Clerus cum Episcopo (ubi haberi potest) vel apud Regulares in eorum Comitiis Generalibus vel Provincialibus.

10. Receptio ad Habitum vel Professionem Relig. sub re gravi numerari non potest. Juxta Decret. S. R. C. 24. Julii. 1683.

11. Non potest Missa Votiva de Spiritu S. vel alia celebrari etiam ab Episcopo, pro eligenda Abbatissa, in Festo Duplici vel Dominica. Ex Decr. S.R.C. 28. April. 1708.

12. *Votiva de B.V. MARIA, ob quas causas licite celebrari potest?*

℟. Ob istas:

1mò: Causa voti, etiam in Dominica, non tamen privilegiata. Ex Decr. S. R. C. 16. Junii 1663. & quidem cum *Glor.* & *Credo.*

2dò: Ratione Concursûs populi, vel alterius publicæ causæ cum *Gloria* & *Credo* Ex Decr. S. R. C. 8. Junii 1658. & 1662.

3tiò: In Sabbatis per Annum, ubi adest immemorabilis Consuetudo, non obstante Festô Duplici cum *Gloria* absque *Credo*. Ex Decr. S.R.C. 2. Decembris 1684.

13. *Qualis Missa dicenda est in Sabbatis per Annum?*

℟. Pro diversitate temporis una ex quinque assigna-

signatis in fine Missalis, non vero de Conceptione, quia id prohibitum est à S. R. C. 30. Septemb. 1679. FF. tamen Minoribus specialiter id concessit *Innoc.* XII. teste *Merati* in Jndice Decr. tom. 1 n 458.

14. Qui celebrat Votivam de BV. Maria infra Octavam alicujus Festi, illius debet recitare Missam de Octava, in quo die, si est Officium D. de Octava BVM. dicenda est Missa cum *Gloria* & *Credo*, si vero de aliquo Festo sine *Gloria* & *Credo*, nisi sit in Sabbato, quia tunc debet dici *Gloria*. Ex Decr. S. R. C. 2. Decembr. 1684.

15. *In qualibus apparamentis Votivæ celebrari debent?*

℟. Si sint Votivæ 1mi generis, ejusdem coloris paramenta debent habere, sicuti in Festo eorundem Sanctorum. De reliquis vide Rubr. Missal. XVIII.

16. *Debetne in Votivis dici Gloria & Credo?*

℟. Si sint solemnes, utique dici debet ex Decr. S. R. C. 13. Aug. 1667. Nisi sint in paramentis Violaceis, tunc enim omitti debet utrumque. Ex *S.R.C.* 19. Maii 1607.

17. In Votivis BVM. si non sint in Sabbato, non debet dici *Gloria* neque *Credo* S.R.C. 29. Julii 1609.

18. In omnibus Votivis privatis omitti debet *Gloria* & *Credo*, nisi sint de Angelis, aut de S. Michäéle, Gabriele &c. in quibus dicendum est *Gloria*, est enim Hymnus Angelorum, quem in medio pastorum cecinêre, ut ajt *Durant* l. 5. c. 13.

19. *Quot Collectæ dici debent in Votivis?*

℟. Plures, nam usque ad septem protrahi possunt. Si tamen Votivæ sint solemnes pro gravi causa Ecclesiæ celebratæ, unica in illis oratio dicenda est, excepta votiva de SS. Trinitate pro gratiarum actione, in qua duæ Orationes sub unica cantantur conclusione. Ut docet *Merati* de Votivis §. 8. 20

20. In Missis Votivis privatis 2da. Oratio debet esse de illo, de quo fit officium 3. vero illa dicenda est, quæ in Missa correspondente officio 2dô locô diceretur, puta simplicis, vel de Beata, aut pro Ecclesia

21. In Missis B. V. M. 2. Oratio de Officio diei. 3. de Spiritu S. quæ omittitur, si adest commemoratio simplicis.

22. *Debentne Collectæ semper ess Impares?*

℟. Negativè, ut expresse statuit S. R. C. 2. Decembr: 1684.

23. *Qualis Præfatiò dicenda est in Votivis?*

℟. In illis, quæ propriam non habent, dicenda est communis, vel de tempore, puta: Quadragesimalis, Passionis; Paschatis. Vel si celebrabitur infra aliquam Octavam, fit de illa. Ita S. R. C. 15 Sept. 1714.

24. Quæ habent propriam Præfationem, dicenda est hæc, & non octavæ, etiamsi sit pro re gravi infra Octavam Nativitatis D. aut Ascensionis, in quo casu Præfatio dici debet propria ipsius Votivæ; Communicantes vero de Octava. Ex Decr. S. R. C. 16. Junii 1683.

25. *Quando dicendum est in fine Missæ Votivæ:* Benedicamus Domino, *& Quando:* Ite Missa est?

℟. Tunc *Benedicamus*, quando non dicitur *Glòria* (quod etiam in omnibus Missis observari debet) Tunc: *Ite Missa est*, quando cantatur *Gloria*.

26. *Quid de Evangelio S. Joannis sentiendum est?*

℟. In omnibus Votivis tam solemnibus, quam privatis, dici debet in fine illarum. Plura de his videantur Decreta S.R.C. inferius.

Nota 1. Quod Votiva *Rorate* de B. V. per totum Adventum singulis diebus ex Synodo Provinciali Petrikoviensi recitari debet in Regno Poloniæ constituta ab eadem Synodo 1628. & Paulo V. approbata.

Licet autem S. R: Congreg. 1. Decembris 1742. respon-

responderit negativè ad supplicationem Regni Poloniæ, ut in Adventu singulis diebus celebretur Missa *Rorate* non obstantibus Festis 1mæ vel 2dæ Classis, aut Dominicis privilegiatis, illud tamen Responsum negativum S. R. Congr. debet solum intelligi de Votiva solemni pro re gravi, & tantum censeri debet ut pura Populi devotio.

Hæc autem Votiva infra Octavam Immaculatæ Conceptionis BV. debet recitari de Immaculata Conceptione prout dictum est Num: 14. de aliis Votivis.

Nota 2. Quod S. R. Congr. 28. Septembr: 1658. concessit ut novem diebus ante Nativitatem Domini possit cantari unica *Missa* Vitiva solemnis de BV. cum *Gloria* & *Credo* non obstante Festo S. Thomæ Apost. aut Dominica 3tia vel 4ta Adventûs, In qua Missa juxta Decretum ejusdem *S*. R. Congr. non debet fieri commemoratio Festi vel Dominicæ currentis & in fine dicendum est Evangelium S. Joann. Excepto Festo Expectationis partûs in quo non Missa *Rorate* sed occurrens celebranda erit cum commemoratione Festi aut Dominicæ currentis, & in fine Evangelium Dominicæ si pro tunc occurrat.

ARTICULUS III.
De Requiem.

1. *In quibus diebus non licet cebrare Missas de Requiem?*

℟. Privatas non licet in omnibus illis, in quibus non possunt celebrari Votivæ.

2. In festo 1mæ classis non licet celebrare Missam etiam solemnem, non obstante, quod sit præsens cadaver. Ex Decr. S.R.C. 5. Julii 1698.

3. Durante Expositione SS. Sacramenti non licet
cele-

celebrare Missas tam privatas quam solemnes, etiamsi sit Festum semiduplex. Dx Decr. S. R. C. 19. Septmbris 1654.

4. Præsente Corpore potest celebrari Missa solemnis etiam in Dominica (non privilegiata) & in Festis Dnplicibus, quæ non sunt *Ima* Classis. Ita S. R. C. 10. Januarii. 1693.

5. Regulares ad satisfaciendum oneribns possunt celebrare Missas de Requiem in alienis Ecclesiis, in quibus celebratur de Requiem vel Votiva, non obstante, quod in illorum Ecclesiis sit eô die Festum Duplex. Ex Decr. S.R,C. 2. Junii 1701,

6. Sacerdotes habentes Officium semiduplex aut simplex, si celebrent in aliqua Ecclesia, in qua fiat de duplici, non posśunt dicere Missam de Requiem; ex Decr. S. R. C. 2 Junii 1701.

7. Missa de Festo currente in altaribus privilegiatis celebrata illis diebus quibus licet recitari de Requiem, habet eandem vim & indulgentiam, quam haberet de Requiem. Alexand; VII in Decr: *Credita* 1667.

8. *Quid de Anniversario sentiendum?*

℟. Anniversaria & aliæ Missæ cantatæ de Requiem relictæ ex dispositione Testatorum possunt celebrari etiam in Duplici Majori. Ex Decr. S. R. C. 22. Novemb: 1664. approbante Alexandro VII. Non tamen Missæ privatæ.

9. Similiter potest cantari Missa solemnis de Requiem etiam in Duplici, cum imò habetur certa notitia de alicujus obitu. 4. Maii 1686. In quo casu Missa dicenda est ut in die obitûs Juxta *Gavant.* & *Merati* Tit. 5.

10. *Quid si Aniversarium incidat in Dominicam?*

℟. Debet anticipari aut transferri in diem proximè sequentem. Ita *Gavant.* & cum illo *Merati* Tit. 5

11. *Qualis Missa legi debet in translato Anniversario?* ℟.

℟. Prout in Anniversario ex Decr. S. R. C. 5. Julii 1698. In quo casu illa verba in oratione: *Cujus Anniversarium depositionis diem commemoramus*, non sunt omittenda, ex Decr. S, R. C. 4. Maii 1688.

12. *Cui applicari debet Missa in Commemoratione Fidelium Defunctorum?*

℟. Ad libitum est Sacerdotis applicare pro OO. Defunctis vel pro aliquo tantum. Ex Decr. S.R.C. 4, Aug: 1663. Si moriatur hac die aliquis, Missa ut in die obitus pro illo dici debet.

13. *Quot Collectæ dici debent in Missis Defunctorum?*

℟. Si sint solemnes, unica tantum recitari debet conveniens conditioni Personæ. Si vero sint privatæ dicendæ sunt tres: quarum *1mà:* erit conveniens illi, pro quo fit Missa. *2da:* ad libitum Sacerdotis. *3tià:* Fidelium.

14. Quando una dicitur Oratio, tunc debet dici post Epistolam; *Dies iræ.* In privatis vero ad arbitrium Sacerdotis, ut patet in Rubr. n. 4. p. 11. Porro Missa solemnis debet dici in Commemoratione OO. Fidelium Defunctorum, In die obitus, Depositionis, Anniversaria, & quandocunque una oratio dicitur.

15. *Quid adhuc notandum est circa ritum Missæ de Requiem?*

℟. Omittenda sunt illa, quæ enumerantur in Missali circa finem Rubr. Miss.

16. *In quali colore celebrandæ sunt Missæ de Requiem?*

℟. In colore nigro vel saltem violaceo. Ex Decr. S. R. C. 21. Junii 1670.

Quia autem Missam de Requiem sæpius comitatur sepultura, ideoque ut habeatur aliqua de ipsa Doctrina, sit:

AR-

ARTICULUS IV.

De Sepultura.

1. *Ubi Fideles sepeliri debent?*

℞. In suis Ecclesiis Parochialibus, si alibi non habent constitutum sepulchrum suorum Majorum. Vel si alibi sibi non elegerint.

2. *Tertiarii non claustrales O. S. P. Francisci ubi sepeliri debent?*

℞. Si sint induti Habitu, sepeliendi sunt in Ecclesia FF. Minorum, nisi oppositam voluntatem habuerint, & possunt deferri corpora discooperta. Ex Const. *Pauli V.* in Bulla, quæ incipit. *Cum inter Fratres.* Et novissimè ex Decreto S. R. C. 19. Decembris 1750.

3. *Qualem consequuntur gratiam sepulti in Habitu S. P. Francisci?*

℞. Ex Concess. *Leonis X.* in Bulla; *Notum facimus.* Consequuntur plenariam remissionem culpæ & pænæ. Quam gratiam confirmavit Benedictus XIII. in Constit. *Summe decet.* 1727.

4. *Regularium Exemptorum sæculares tam servitiales, quam Commensales ubi sepeliri debent?*

℞. In Ecclesia eorundem Regularium etiam invito Parocho, si decesserint, vel domo eorundem, neque voverint alibi sepeliri. Ex Concess. *Clementis IV.* & Benedicti XIII. Constit. *Pretiosus in conspectu.* Quinimmo etiam, si repente moriantur extra Claustra, dummodo actu sint servi, possunt deferri ad Ecclesiam illorum Regularium, quorum sunt servi, præsente tamen Parocho. Ex Constit. Innocent. XII.

5. *Debetne Parochus adesse, quoties defertur ad Regulares sepeliendum corpus?*

℞. Affirmative, si tamen venire noluerit, vel

absque ratione justa, ex malitia assistentiam distulerit, potest cadaver etiam deferri absque illo. Ex Decr. S. C. Card. 11. Decemb. 1615. Quod novissime confirmavit Benedictus XIII. Constit. quæ incipit: *Pretiosus* §. 73.

6. *Quam diu Parochus in casu expectari deberet?*

℟. Juxta Decr. S. R. C. 1734. 24. Julii debet expectari Parochus integrâ horâ, amplius nihil, etiamsi sit Archipresbyter aut Canonicus.

7. *An Cadavera Defunctorum in Ecclesia FF. Minorum Obs. rv. sepelienda, debeant prius deferri ad Ecclesiam Parochialem?*

℟. Non deberi juxta Decr. S.R.C. 14. Martii 1722. non obstante etiam immemorabili consuetudine in contrarium.

8. *Quid ulterius observandum circa sepulturam apud Regulares habitam?*

℟. Hæc sequentia:

I. Quando comitante Parocho defertur corpus ad Regulares, Officium Defunctorum & alias Ceremonias in Ecclesia eorum non Parochus, sed iidem Religiosi absolvere debent, nisi dederit licentiam Superior loci. Ita Decr. S, R. C. 21. Novembr. 1637. annuente Alex. VII. Clem. IV. & Sixto IV.

Excepto tamen, dum Capitulum introducit Cadaver, cui specialiter conceditur à S.R.C. 29. Decemb. 1750. facultas ingrediendi Ecclesiam Regularium cum stola & cruce elevata S R.C. 7. Decemb. 1731.

II. Pro Cadaveribus apud Regulares sepeliendis non licet Parochis plus exigere, quam si in eorum Ecclesiis sepelirentur S.R.C. Episc. Reg. 18. Januarii 1672.

III. Quartam partem Funeralium à nobis FF. Minoribus Parochi recipere non possunt. Ex Const. multorum Pontif. novissimè *Pii V. Et si mendicanti-*

um

um, quam confirmavit *Benedictus XIII*. in Const: *Summè decet* 1727. Et novissimè 3. April. 1745.

IV. D. Parochi non posſunt ultra opportunum tempus Corporis delationem ad Religiosos retardare, nisi prius illis solvatur ab Executoribus pro sepultura. Ita S.C. Card 22. Maii 1615.

9. *Quid est Quarta Pars Funeralium, & quo Jure debeatur Parochis?*

℞. Est quædam portio à Canonibus inducta & approbata, Parocho propter Sacramentorum administrationem debita ex iis, quæ Regularibus obveniunt, ex quo in ipsorum Ecclesiis eligat quis sepulturam, & apud eos sepeliatur.

10. Quantum tamen ad solutionem hujus portionis Canonicæ, non concordant Canones Ecclesiæ in assignanda quota, ut notavit *Antonell*: de Reg: Eccl: l. 1. c. 13. in quibusdam enim partibus debetur Parocho medietas, in aliis tertia vel quarta pars secundum varia jura & consuetudines antiquas.

11. *De quibusnam rebus quarta pars reddi debet Parocho?*

℞. Non concordat jus Canonicum propter diversam consuetudinem in pluribus partibus. Nam *Benedictus* XI in Extrav. jussit solvi de illis, quæ cum funere deferuntur circa cadaver à Domo defuncti ad Ecclesiam. Hoc ipsum statuit *Pius V*. Const. *Et si Mendicantium*.

Sed quia in nostra Polonia aliisque pluribus locis nihil defertur cum funere, præter cereos ad manus assistentium, & tota pompa funeris celebratur intra Ecclesiam, hinc standum est antiquæ consuetudini prout etiam decl. *Trid*. Ses. 25. c. 13.

12. In hac difficultate consuluit Clerus Civitatis Mantuanæ S.C. C. 18. Julii 1699. Cui rescripsit eadem S. C. his terminis: *in Casu de quo agitur, ser-*

 van-

vandam esse consuetudinem solvendi quartam in medietate Cereorum tantum, quæ deferantur per viam.

13. Ut Regulares ad quartam teneantur, necessarium est, quod Conventus & Monasteria fuerint erecta 40. annis ante Conc. *Trid.* & quod totidem annis solvere consueverint, ut patet ex *Trid.* Ses. 25. c. 13. & Const. *Pii* V. *Et si Mendicantium.*

14. Unde Monasteria fundata post publicationem Conc. *Trid.* vel intra 40. annos computandos ab ejusdem initio, tenentur ad quartam; Hoc semper salvo & bene adnotando, si fuerint nimirum illius Religionis, cui ante *Trid.* nunquam fuit concessa exemptio, ut tenuit *Rota* in una. *Posnanien.* 5. Maii 1698.

15. Nos FF. Minor; Observ. habemus quo ad hoc speciale Decretum S. C. 2. Aug: 1607. l. 11. Decretalium f. 13. & novissime. 7. Decemb 1731.

16. In casu verò, quo Regulares ad quartam Funeralium se non esse obligatos defendant, Parochis probare incumbit quadragenariam consuetudinem; ut in Terminis respondit S. C. C. in causa Minorum de Observ. Prov. Polon. 14. Novembr. 1682. l. 32. Decretal. fol, 476. Ubi ad quæsitum.

An ad Parochos vel potius ad Superiores Regul. Conventuum spectet onus probandi 4tam partem Funeral. à controversis Conventibus solvi consvevisse vel non, per 40. annos ante Trident.

℟. Cong. *ad Parochum.*

17. *An Moniales teneantur ad 4tam Funeral?*

℟. Non tenentur, ut sæpius declaravit S.C.C. & præsertim 16. Martii 1652. nisi adsit in contrarium consuetudo legitima.

18. *Cui Parocho solvenda est Quarta Funeral.?*

℟. Jlli, in cujus Ecclesia defunctus solebat Sacramenta recipere & audire Divina. Ex Cap. *Cum quis de sep.*

19. Ubi notat Glossa, quod si sepultus haberet domicilium in duabus Parochiis, & in tertia aliqua Ecclesia sepeliretur, solvenda portio inter ambos ejus Parochos dividi debuisset.

20. Si vero habuisset sepulchrum suorum Majorum, & elegisset sibi sepulturam in alia Ecclesia extra suam Parochiam, quarta Pars solvenda esset Parochiæ tantum, non vero illi Ecclesiæ, in qua est sepulchrum Majorum ipsius defuncti, ut docet ead. Glossa.

21. *Licitumne est Religiosis persuasionibus morientes inducere, ut in illorum Ecclesiis voveant sepeliri?*

℟. Non licet, hoc enim sub Anathem. vetuit *Bonifacius* VIII. Et sub Excomm. Papæ reservata, ut patet ex Textu. Clement *Cupientes* §. *Sanè.*

Ubi notandum est, has pænas incurri, etiamsi effectus sepulturæ non sequatur, dummodo sit defacto inductio, hoc est, electio sepulturæ per juramentum, votum, vel pactum facta, non tamen sufficit simplex promissio de eligenda sepultura, ut notat *Sylvester* sum. verbo: *Excommunicatio* n. 49.

Non habent tamen locum prædictæ pænæ contra inducentes ad electionem sepulturæ in aliena Ecclesia, ut expresse patet ex Textu *Clement.* Neque habent locum contra ignorantes prohibitionem, nisi sit ignorantia affectata, sed ad incurrendas prædictas pænas inductio debet fieri scienter & cum temeritate. Nam Clement. habet ibi: *Sane temerarios violatores.*

22. *Possuntne Religiosi esse Executores Testamenti?*

℟. FF. Minores non possunt, in quo neque à suis Superioribus dispensari queunt. Ex *Clement. Exivi*: possunt tamen dare consilium in exequendis testamentis, ut ibi conceditur.

23. *Quam cito post mortem sepelienda sunt Corpora?*

℟. Sal-

℟. Saltim post 12. horas ab obitu, qui autem repente mortui sunt, non nisi post 24. horas ab obitu sepeliri debent. Ita Theatr: Reg: tit: *Exequiæ* n. 2.

24. *In quo loco sepeliri debent Corpora?*

℟. Omnino infra superficiem terræ; non autem in muro parietis. Ex Const. *Pii* V. in Bulla: *Cum primum.* Item non debent sub altari sepeliri, aut ejus scabello, sed inter scabellum altaris & ostium sepulchri debet mediare ad minus trium cubitorum locus. Ita Can *Præcipiendum* 13. q. 2.

25. *Qui sunt indigni sepulturâ Ecclesiasticâ?*

℟. Sequentes: 1. Excommunicati. 2. Hæretici & eorum fautores, Receptores ac Defensores. 3. Non baptizati, ut sunt Pagani, Judæi, & infantes absque baptismo morientes, etiamsi sint Parentum Fidelium. 4. Negligentes Paschalem Confessionem & Communionem. 5. Decimas non reddentes. 6 In Duello decedentes. 7. Se ipsos occidentes. 8. Religiosi Proprietarii. 9 Usurarii. 10. Omnes, qui in peccato mortali absque pænitentia mori certo sciantur.

26. Omnes prædicti solum tunc privantur sepulturâ, quando ante mortem de suo scelere pænitentiam non egerunt, ut docetur in Can. 6. *De Consecrat. Eccles.*

27. *Quam Pœnam incurrunt, qui scienter prædictos sepeliunt?*

℟. Ipsô factô Excommunicationem incurrunt, ut habetur in *Clement.* I. de Hæret. Non tamen incurrunt, qui decedentem in peccato mortali, aut infantem non baptizatum sepeliunt, quia tales non exprimuntur in Jure Clement. I. lex autem pænalis non est extendenda ultra casus, & personas in jure expressas.

28. *Quando licite possunt exhumari cadavera sepulta?*

℟. In

℟. In his Casibus;

1mò. Quando perpetuæ sepulturæ non sunt ad huc tradita, sed tantum deposita in aliqua Ecclesia, Capella, vel cripta.

2dò: Dum exigit Capellæ renovatio.

3tio: Quando sunt sepulta contra voluntatem testatoris, tunc enim debent exhumari, & reddi illi Ecclesiæ pro qua est testamentum & testes. Ex Decr. S. C. Episc: 31. Octobr. 1640.

In aliis autem casibus licite exhumari non possunt absque expresso Episcopi consensu, etiamsi Judex sæcularis pro recognitione corporis petat illius exhumationem, eò quod magna suspicio existat de morte violenta defuncti. Ita statuit S. C. Episc. 11. Septembris 1643.

29. *Quomodo Cadaver poni debet in feretro?*

℟. Si est Sacerdotis, debet poni capite versus altare, si vero Laici, tunc pedibus ad altare, capite autem versus ostium templi. Ex *Cerm: Episc* supra §. 15.

30. *Quomodo fieri debet Absolutio super Cadaver seu ad Feretrum?*

℟. Præsente Cadavere, antequam Cantores intonent: *Libera me Domine,* Sacerdos celebrans debet incipere precem illam: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine,* quæ immutata manet, etiamsi defunctus sit fæmina, vel plures, non debet propterea dici: cum *serva tua,* vel *servis tuis Domine* Ex Decreto S. R. C. 31. Aug: 1697.

31. *Quæ Oratio dicenda est in absolutione ad Feretrum?*

℟. Jlla quæ fuit in Missa. Ita *Bassus* n. 45. & *Merati* p. 2. t. 13. quæ terminari debet breviter. *Per Christum Dominum nostrum.*

Deinde dictô per Cantores *Requiescant in pace,* sub-

subjungi debet: *Animæ ejus, & animæ OO. Fidelium* &c. Sed in Commemoratione OO. Fidelium Defunctorum nil est superaddendum. S.R.C. 2. Decembris 1684.

23: *Quid observare debet Celebrans, dum circuit Feretrum?*

℟. Hæc duo.

1mò: Incensato vel asperso dextro latere, genuflectet coram V. Sacramento, si aderit in tabernaculo. Postea profundam inclinationem faciet cruci, quam tenet Subdiaconus, Diaconus vero assistens genuflectere debet etiam coram cruce. Ex *Cerem: Episc:* supra §. 18.

2dò: Si elevetur in aliquo Altari S. Hostia, non debet genuflectere, si in latere feretri thurificat.

Cætera de absolutione facienda ad feretrum, nempe: quomodo standum, incensandum &c: vide Rubr: Missal. circa finem Rubr: n. 4. vel in Missali Defunctorum circa finem Missalis.

ARTICULUS V.
De Loco, & Tempore Sacrificii Missæ.

1. *Quis est Locus conveniens Sacrificii Missæ?*

℟. De Jure communi, est Ecclesia vel alius locus consecratus, aut saltim legitima authoritate benedictus, ad D. cultum deputatus, ut mandat *Trid.* Ses. 22.

2. *In quibus locis illicitum est celebrare Missam?*

℟. In his sequentibus:

1mò: In illis altaribus, sub quibus, humata sunt corpora defunctorum. Ex Decr: S.C. Episc: 1594.

2dò In navibus, in quibus est periculum effusionis sanguinis D. Ex Decr. S. C. Card. 1633.

3tiò: In Ecclesiis violatis, sed usque tunc, quando divulgata est violatio, ut notat Laym. c. 5.

4to: In Ecclesiis interdictis.

5to: In locis privatis. Ex *Trid.* Ses. 22. & *Clem.* XI. 15. Decembr. 1703.

3. *Habentne Privilegium quo ad hoc Regulares?*

℟. Affirmativè. Nos FF. Minores habemus ex Constit. *Sixti* IV. in Bulla, quæ incipit: *Regimini*, Tenor Bullæ. *Concedimus iisdem Fratribus, ut non solum in Oratoriis & locis, in quibus degunt, sed etiam in quovis alio loco congruenti & honesto, possint super altari portatili hujusmodi Missas, & alia D. Officia celebrare.* Quod Privilegium aliqui volunt esse revocatum à *Trid.* Alii vero negant, ex quibus est *Dian. Salas, Rodriq. &c.*

PP. Societatis JESU post *Trid.* à *Gregor:* XIII. sunt privilegiati ut in quovis loco decenti celebrare possunt; quod probabilius tamen intelligi debet de Missionariis actualibus.

4. *An possunt Episcopi dare licentiam Sacerdotibus celebrandi Missam in locis privatis?*

℟. Affirmativè, ex justa tamen causa, ut mandat *Trid.* Vel quia persona ægrota domi jacet, vel quia longè distat ab Ecclesia.

5. *Quam diu durat Privilegium Oratorii privati datum absque limitatione?*

℟. Usque ad mortem Privilegiati, neque cessat mortuo Papa, qui concessit, vel Episcopo, qui designavit, ut docet *Sanch. Tambur. La Croix* l. 6. p. 2. n. 267.

6. *Quid si privilegiatus mutet suum Domicilium?*

℟. Talis secum fert privilegium Papæ, quia est Personale, si tamen mutet Domicilium in aliam Diæcesim, requirenda est approbatio Ordinarii loci, ut docent communiter DD. cum *Dian.* p. 9. t. 1. R. 7.

7. *In Oratoriis Privilegiatis possuntne plures celebrari Missæ?*

℟. Si addunt in Privilegio ly: *ut una tantum* celebretur Missa, non possunt sub mortali ob graves prohibitiones *Trid.* & *Clem:* XI. Neque excusat à peccato, si altera Missa clausîs januîs celebretur, quia est prohibitio propter locum, non personas.

8. *Audientes Missam diebus Festivis in tali privilegiato loco, utrum satisfaciant Præcepto Ecclesiæ de audienda Missa?*

℟. Si sint de Familia privilegiati, utique satisfaciunt, non vero si sint forenses, aut hospites, ut patet ex Decr: *Clem:* XI. quod incipit: *Non nulli* 1703.

9. Exceptis tamen Oratoriîs privatîs Episcoporum etiam Titularium, in quibus etiam extranei præsentes sacrificio Missæ, dum Episcopus celebrat, satisfaciunt dicto præcepto de audienda Missa, ut respondit S. C. Card. 22. Septembr. 1640.

10. Nomine autem Familiæ, intelliguntur illi, qui habitant in domo privilegiati, cum quadam habitudine ad illum.

11. *Quotuplex est Oratorium?*

℟. Duplex: *Publicum* & *Privatum*, *imum* est illud, quod extra privatas domos, Episcopi Authoritate ad D. Cultum est erectum. Privatum vero est illud, quod in privatis domibus, ac intra domesticos parietes sine auctoritate Episcopi est erectum.

12. *An possint Episcopi dare licentiam Sacerdotibus celebrandi Missam in Oratoriis privatis?*

℟. Non possunt, nisi quo ad hoc specialem facultatem habeant à Sede Apostolica, prout statutum est à *Trid.* Ses: 22. & novissimè Decr: *Clem:* XI 15. Decembr: 1703.

Quod intelligi etiam debet in casu, quo infirmus viati-

viaticum sumere postularet, ut S. R. C. declaravit ac respondit Cardinali *Paleoto* prout apud Fagn: in 4. videre est.

13. Unde si aliquis Episcoporum habet specialem facultatem à Sede Apostolica concedendi Indultum quo ad Oratoria privata, debet prius juxta *Ventrigl.* cit: *in offic. Curiæ* Cap: 10. §. II. n. 77. visitare Oratorium privatum, utrum habeantur omnia in illo requisita à Jure.

14. *Quæ requiruntur ad celebrandum in Oratorio privato?*

℟. Juxta Decret: *Benedicti* XIV. quod incipit: *Spirituali Consolationi* &c. editum 12. Febr. 1749. requiritur, ut sit Oratorium ad hoc muro extructum, decenter ornatum, ac ab aliis usibus domesticis liberum.

15. *Potestne Missa celebrari in Oratorio privilegiato etiamsi neuter sit ex Conjugibus, quibus specialiter concessum est hoc privilegium?*

℟. Fuit antea hæc difficultas in Controversia apud DD. pro utraque parte rationes assignantes congruas; Sed 1740. 3. Decembr. decrevit S. C. C. *Trid.* Non posse celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missæ non interest aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum concessum est. Quam resolutionem *S. C*, Modernus *Benedictus* XIV approbavit, & observari præcepit.

16. *Quænam Personæ sunt illæ, quibus principaliter Indultum concessum est?*

℟. Juxta Explicationem solius Papæ *Benedicti* XIV. in Decreto Confirmatorio Resolut. S. Cong. sunt illæ Personæ, quæ expresse adnotantur in Indulto, tales autem solent esse soli Conjuges.

17. *Licetne omni tempore celebrare in Oratoriis Sæcularium?*

℟. Ne-

℟. Negativè. Sunt enim aliqua solemnia festa excepta, à Sac. Cong: 17. Novembr. 1607. confirmante *Clem*: XI. in quibus ad Ecclesiam, etiam privilegiatus ire tenetur.

18. *Quæ sunt illa Festa?*

℟. Hæc: Festum Nativitatis D. Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Annuntiationis, Assumptionis, Apostolorum Petri & Pauli, OO. Sanctorum, & omnia illa, quæ in Indulto excipiuntur.

19. *An Omnes tres dies Paschatis & Pentecostes sunt excepti?*

℟. Negativè, sed sola prima dies excipitur juxta *Quarti* dub. 9.

20 *Nota* tamen, quod si tale Oratorium conceditur alicui personæ propter infirmitatem ejus, nulla dies excipi debet, quia alias ille infirmus in maximis solemnitatibus solatio spirituali privaretur.

21. Hic venit adnotare, quod in suspensione Indulgentiarum tempore Jubilæi, non comprehenduntur Altaria privilegiata, nec aliæ Indulgentiæ pro solis Defunctis. *Sac*. Cong. 24 Jan. 1700.

TEMPUS.

22. *Quot est Tempus celebrandæ Missæ?*

℟. De Jure Communi est illud, quod incipit ab Aurora, & durat usque ad meridiem inclusivè. Aurora autem pro Missa celebranda accipi debet non physice, sed moraliter & politice, pro illo tempore, quando solet terminari hominum quies, & inchorari labor, juxta locorum consuetudinem. Ita S.R.C. 2. Novemb. 1634.

23. *Habentnè aliquod Privilegium quo ad hoc Regulares?*

℟. Affirmative, nam FF. Minores ex Concessione *Leon.* X. & alii Mendicantes possunt licite cele-

celebrare Missam post mediam noctem, usque ad horam tertiam pomeridianam inclusivè, ex notabili tamen causa, quod Privilegium docet non esse revocatum per *Trid Sannig.* l. 3. Decr. tit. 41.

24. *Potestne aliquando Sacerdos anticipare Missam, seclusô etiam Privilegiô?*

℞. Potest, si necessitas expediat, ut docent commun: DD. cum *Pasq.* q. 409. Hæc autem necessitas potest esse, VG. iter imminens ipsius Sacerdotis aut populi. Necessitas vero expectandi post meridiem cum Missa potest esse vg. prolongata devotio, eò quia Missa solemnis, aut Concio diu durat.

25. *An potest in die Nativitatis Sacerdos absolvere omnes tres Missas simul post mediam Noctem?*

℞, Negativè, id enim vetuit Sac. R. Cong. 20. April. 1664. & 7. Decemb. 1702. jussu *Clem:* XI, ubi etiam prohibet communicari fideles.

26. *Quænam observari debent circa Missam in Festo Nativitatis*

℞. Hæc sequentia:

1mo: Dum celebrans transit in prima vel secunda Missa post sumptionem Sacramenti, non debet flectere, etiamsi species vini consecrati non sint exsiccatæ. Ex Decr. S. R. C. Aug. 1698.

2do: Si non simul omnes Missas absolvit, debet potius Calicem ad Sacristiam deferre, quam in Altari relinquere, ubicunque tamen calix positus est, semper debet habere suppositum Corporale. Ita *Merati* p. 4. tit. 3.

3tio: Tres Missas celebrare privilegii est, non præcepti; Unde nec Parochus tenetur omnes tres absolvere. Ita *Gav. Bonac:.* d. 4. q. ult. & alii.

4to: Si unam vult celebrare, debet convenientem tempori legere, nempe: si in nocte, primam; si in aurora, secundam; si vero de die, tertiam.

27.

27, *Ad quid tres Missæ celebrantur in die Nativ: ?*

℟. Propter Mysterium trinæ Nativitatis Christi D. qui 1*mo* natus est ab æterno ex Patre. 2*do* In tempore ex MARIA Virgine. 3*tio* Per gratiam nascitur in nobis quotidie. Hanc autem trinam Missam instituisse legitur *Telesphorus* Papa Anno 126.

Nota, quod in Regno Aragoniæ, ac ejus ditionibus fuit à Sede Apostolica concessum speciale indultum, ut videlicet in die Commemorationis OO. Fidelium. 2. Novembris Presbyteri sæculares, *duas*: Regulares *tres* Missas in eodem die celebrare possent.

Nunc vero 21. Augusti 1748. modernus *Benedictus* XIV. in indulto, quod incipit: *Quod Expensis* concedit omnibus Sacerdotibus Sæcularibus & Regularibus tres Missas celebrare eodem die 2. Novembris in Regnis Hispaniæ, Portugalliæ, Aragoniæ & Algarbinorum. Cum hac tamen conditione, ut stipendum accipiant pro prima duntaxat Missa, alias vero duas absolvere tenentur pro omnibus Fidelibus Defunctis, sub pœna suspensionis à Divinis ipso facto incurrenda.

ARTICULUS VI.

De Dispositione Sacerdotis ad Missam

1. *Quid est Dispositio Sacerdotis ad sacrif: Missæ?*

℟. Est: *Quædam præparatio animæ & Corporis ad digne & licite absolvendum tam sublime Officium*,

2. *Quotuplex est hæc Dispositio?*

℟. Præcipua ac principalis est: Gratia sanctificans, & Interna quies.

3. *Quot peccata committit, qui in peccato mortali sacrificat ?*

℟. Secundum aliquos duo: 1*mum*, quia in peccato conficit Sacramentum. 2*dum* Quia communicat

cat in peccato. Juxta alios autem unum committis æquivalens duobus.

4. *Prudenterne fecisset ille, qui necessitate coactus ad celebrandum, fingeret se celebrare coram populo, timendo ne sacrilegium committat, in mortali existens?*

℟. Quod talis gravissimè peccaret, & quidem gravius, quam si in peccato consecraret, quia & Sacramento infert injuriam, & populo fraudem.

5. Tum quia in tali casu deberet potius actum contritionis elicere cum proposito illud confitendi, ut docet *Trid.* Ses: 13.

6. *Quot sunt Dispositiones Corporis?*

℟. Tres potissimum numerantur:

1ma Est· Ne Minister sit ægrotus ita, ut ex ejus infirmitate sequatur irreverentia Sacramento, tales morbi sunt vomitus, morbus Caducus, tussis frequentissima &c.

2da Est: Jejunium & quidem naturale, ita ut a media nocte nihil etiam modicum per modum cibi aut potus sumatur: *3tia*: Mundities corporis.

7. *Ad quid Ecclesia requirit Jejunium?*

℟. Propter Tria: 1. Ut vitetur periculum ebrietatis & vomitus. 2. Ut citius corrumpantur species in stomacho jejuno. 3. Ut primo quæratur cibus Spiritualis, juxta illud *Math*: 6. *Quærite primo Regnum DEI &c.*

8. *Licetne Sacerdoti aliquando non jejuno Eucharistiam sumere?*

℟. Affirmativè juxta V. *Scotum* in 3. d. 8. q. 3. in his casibus.

1mò: Quando deberet dari infirmo viaticum, & non esset Eucharistia consecrata, tunc Sacerdos etiam non jejunus potest sacrificium celebrare, ut poscenti viaticum tribuat.

2dò: Si in sumptione *2dæ* speciei reperiret aquam, non

non vinum. tunc ad complendum ſacrificium debe-ret iterum conſecrare & ſumere, non obſtante, quod non ſit jejunus.

3tio: Quando poſt ſumptam ablutionem advertit celebrans adhuc ſupereſſe quaſdam reliquias hoſtiæ conſecratæ, quas tamdiu poteſt ſumere, quouſque ab altari non recedat, quia ut docent Rubr. *Reliquiæ illæ ad idem ſacrificium ſpectant.*

4tò: Si poſt factam conſecrationem celebrans ſit morbo aut morte præventus, tunc alius etiam non jejunus tenebitur eaſdem conſumere ſpecies.

5tò: Dum timetur aliqua inferri irreverentia Sacramento.

6to: Dum poſt conſecrationem recordetur Sacerdos ſe non eſſe jejunum.

9. *Qualis munditia corporis requiritur in ſacrif: Miſſæ?*

℟. Non ſolum illa, quæ habetur per lotionem ipſius corporis, ſed etiam, quæ excludit pollutionem nocturnam.

10. *Quotuplex eſt Pollutio?*

℟. Juxta D. *Bonavent*: in 4. d. 12. p. art. 3. q. 3. eſt Quadruplex.

1ma: Habetur ex turpi cogitatione, colloquiis, vel crapula.

2da: Provenit ex diabolica illuſione.

3tia: Oritur ex ſuperfluitate naturæ, in qua ſentitur inordinata delectatio.

4ta: Habetur ex infirmitate.

11. *Quæ ex his impedit celebrationem Sacrificii Miſſæ?*

℟. Prima, Secunda & Tertia, quia hæ pollutiones ſunt conjunctæ cum immunditia animæ; vel ſaltem dubitatur, & ideo per illas maculatus, cenſetur eſſe immundus, conſequenter à ſacrificio Miſſæ

abſtine-

abstinere debet, ut docent Rubr. Miss. Tit. *de Defectibus* c. 9. nisi certò constet non adesse in illis peccatum mortale.

12. *Qualis est Obligatio Sacerdotis ante Missam dicere Præparationem?*

℟. Nullum quo ad hoc esse præceptum docent commun: DD. solum enim pro opportunitate temporis Orationes illæ sunt dicendæ.

13. *Quale est peccatum omittere Orationes inter induendum?*

℟. Aliqui putant esse mortale, ut *Nav: Gav. Sylv.* Alii autem probabilius docent esse veniale, ut *Henriq. Rodriq: Castrop. Aversa. Gob,* n. 387. Alii tandem nullum agnoscunt peccatum, putantes quo ad hoc Rubricas tantum esse directivas. Ita *Tamb. & Quarti:* dub. 8. *Pasq.* q 819. Veniale tamen rectè cum communiori arbitratur.

14. *Quâ necessitate lotio manuum ante Missam præmitti debet?*

℟. Ad summum sub veniali, multi docent cum *Dian;* p. 1. t. 12. R. 19 Post Missam autem non lavare manus, nequidem veniale est. *La Croix* l. 6. p. 2. n. 413

ARTICULUS VII.

De Requisitis ad Missam.

1. *Quæ sunt Requisita ad Missam?*

℟. Sunt illa, sine quibus illicitè vel saltem indecenter absolveretur sacrificium Missæ. Hæc autem requisita sunt: Vestes, Vasa sacra, Altare, Lumina, Crux, &c.

2. *Quotuplices sunt Vestes Sacræ?*

℟. Duplices; *Majores* & *Minores*. *Majores* sunt Alba, Stola, & Planeta. *Minores* autem sunt cætera vestimenta.

3. *Quale est peccatum celebrare sine vestibus?*

℟. Est peccatum mortale, si omittantur vestes Majores, vel aliqua illarum, juxta *Merati* p. 2. tit. 1. Veniale autem si ex Minoribus desit aliquod. In casu tamen necessitatis licet uti cingulo non benedicto, vel stola pro manipulo, aut econtra, ut docet *Laym.* l. 4. t. 5. c. 6.

4. *A quo benedicendæ sunt S: Vestes?*

℟. Ab Episcopo, vel à Sacerdote habente Privilegium.

5. Prælati Mendicantium habent potestatem benedicendi vestes & vasa sacra pro suis Ecclesiis, ubi unctio Chrismatis non intervenit. Ex Decr. S. R. C. 18. Aug. 1629.

6. Generales, Provinciales, & Guardiani Ord. Min. possunt Ordinis sui Ecclesias & Oratoria, paramenta, ornamenta, Pixides, Melchisedech, & alia ad D. cultum spectantia solemniter benedicere, ubi unctio Chrismatis non intervenit. Item Ecclesias & Cæmeteria polluta possunt reconciliare aquâ à se ipsis benedictâ, dum Episcopus distat 10. Milliaribus Polonicis; si vero non distat, debent ab illo petere gratiam reconciliandi, vel saltem aquam benedictam, quæ debet esse ex sale, cinere, vino & aqua. Ex privil. *Leon.* X. Const. quæ incipit: *Religionis uadet honestas.* Quam gratiam novissimè confirm: *Benedict:* XIII. 1727. in Const: *Summe decet.*

7. *Possuntne prædicti Superiores benedicere paramenta etiam pro extraneis Ecclesiis?*

℟. Probabilius posse, ut docet *Tamb.* d. 22. *Sporer.* n. 411. Tum quia *Pius* V. legitur concessisse hanc gratiam 1571. 25. Julii. Et *Gregor:* XIII. Const. *Exposcit.* 1575. concessit Prælatis SSS, Trinitat. cum quibus nos communicamus Const. *Benedict:* XIII.

8. *An*

8. *An simplex Sacerdos non privilegiatus à Sede Apostolica benedicens Corporalia, & paramenta S. incurrat Irregularitatem?*

R. Incurrit. Ratio est, quia sine dispensatione exercet actum Ordinis Episcopalis, quem non habet, ut patet ex Cap. *Si quis.* Nam juxta *Gav.* & *Hasbens* ex dicto cap. horum benedictio jure Ordinario ad Episcopos pertinet.

9. Unde occasione hujus, *Nota*: quod etiam Diaconus benedicens aquam juxta ritum Missal. Irregularis efficitur; quia ejusdem benedictio est actus Ordini Sacerdotali deputatus. Argum. tum ex Rubr. Miss. tum ex cap. *Aquam sale* d. 3. *de Consecr.*

Quapropter probabilius abstinere debet Diaconus à danda solemni aspersione populo in die Dominico; quia etiam hic actus videtur esse proprius Sacerdoti, ut patet ex antiqua Ecclesiæ praxi. Nam licet competat Diacono, inquantum habet Ordinem Exorcistatûs Energumenos aquâ aspergere, non tamen universum populum, quia talis solemnis actus deberet numerari inter officia Diaconi, saltim de licentia Presbyteri, uti est baptizare, aut distribuere Eucharistiam, nullibi tamen invenitur, unde sic benedicens, videtur alterius Ordinis actum exercere, & per consequens irregularis fieri; vide inferius.

10. *Quando amittunt benedictionem vestes ac Vasa sacra?*

R. Tunc, quando ita lacerantur aut franguntur, ut amplius inservire non possint ad usum, ad quem sunt benedicta, juxta *Gob*: n. 367. & alios DD. Hinc Cingulus ruptus: si secundum aliquam partem possit cingere, non amittit benedictionem in alia parte, cui pro commoditate altera pars insufficiens ad cingendum poterit innodari, ut docet *Pasq*: q. 806. & alii.

11. *A quibus licite possunt tangi Vasa Sacra?*

℟. Si actu non contineant Eucharistiam, possunt licite tangi à Clericis Tonsuratis. Laici autem Ord. Mend. pro tunc licite S. Vasa tangere possunt, dum Sacristiæ funguntur officiô juxta *Sperer.* n. 404. *Sixtus* tamen IV. indistincte omnibus concessisse legitur.

12. Laici Sæculares, si absque rationabili causa, sed ex sola levitate tangant corporalia vel calices, veniale ad summum committunt. Juxta *Pasq.* q. 838.

13. *Quot sunt Colores Vestimentorum?*

℟. Quinque: Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus & Niger.

14. *Sub quali peccato Rubrica obligat ad Colores Vestimentorum?*

℟. Ad summum sub veniali; hinc ex defectu potest Sacerdos uti stola alterius coloris à manipulo aut Casula.

15. *Nota:* quod exteri celebrantes Missam in Ecclesiis Regularium, debent adhibere eundem colorem, quo utuntur prædicti Regulares. Ex Decr. S. R. C. Junii. 1701.

16. *Quali cingulô uti debet Sacerdos in Missa?*

℟. Congruentius utitur lineô quam serico *Ex* Decr. S.R.C. 22. Januarii 1701.

17. *Ex* defectu cinguli benedicti licitum est non benedictum adhibere, aut alium funiculum, vel stolam. Ita *Laym.* l 4. t 5. & *Diana* R. 57.

18. *Quale Corporale adhiberi debet in Missæ Sacrif.?*

℟. Omnino lineum, saltim quo ad illam partem, qua hostiam & calicem tangit, in extremitatibus vero potest esse sericum, vel auro elaboratum.

19. Peccare mortaliter Sacerdotem, qui utitur immundo corporali, docet *Gavant:* p. 2. t. 1.

20. Non est benedicendum corporale post lotionem,

tionem, nisi notabiliter rumpatur. *Bonac.* d. 4. q. ult.

21. Corporale debet conservari in Bursa, nam extra Bursam illud portare (ait *Gavant.* p. 2. & cum ipso *Merati*) indiget dispensatione Apostolica, prout *Pius* V. cum Hispanis dispensavit. *Sporer* vero n. 400. nullam hujus necessitatem agnoscit.

22. Mortale est, nullum habere corporale, aut uti non benedicto. *Pasq.* q. 750. Si tamen consecraretur in non benedicto, jam eò ipso benedictum foret.

23. *Palla qualis esse debet?*

℟. A parte illa, quâ tegit calicem, non debet esse serica, sed linea S.R.C. 22. Januar. 1701. Mortale putat *Suar.* celebrare sine palla, Veniale autem judicat *Sotus* & *Rodriq.* In defectu potest loco pallæ adhiberi corporale vel purificatorium vel etiam Bursa ut docet *Sporer* n. 398.

24. *Quale Purificatorium adhiberi debet in Missa ?*

℟. Omnino lineum, quod adesse debet sub veniali, & in defectu illius aliud strophiolum mundum, quia purificatorium non requirit benedictionem, ut notat *Suar.* *Gavant.* & alii.

25. Celebrare sine velo calicis, si haberi non potest nullum est peccatum. *La Croix* l. 6. p. 2. n. 330. nam velum & manutergium requiruntur solum ob d[illegible]en iam.

26. *Qualis Calix & Patena requiritur ?*

℟. Sub mortali requiruntur consecrata, ut Omnes DD. concedunt. Item debent esse ex auro & argento, aut saltem ex stanno, ut patet ex Rub. Missal. *De defectu* §.10. Aliqui apud *La Croix* l. 6. p. 2 n. 308. admittunt ex plumbo, non tamen ex Ære. Ex quo patet quod calix Ruthenorum stanneus in casu necessitatis est sufficiens ad celebrandum.

27.

27. *Quale Altare requiritur ad Missam?*

℞. Debet esse stabile, vel portatile, utrumque ex integro lapide, sub mortali, ab Episcopo vel Abbate benedictum.

28. Portatile debet esse tantæ magnitudinis, ut commode possit capere calicem cum patena, ac hostias parvas, quæ omnino saltim tempore consecrationis in portatili adesse debent, quia omnes sunt unica victima & permodum unius offeruntur, ut monet *Merati*: Tom. 1. p. 2.

29. Si lapis consecratus frangatur in duas partes, quarum utraque apta sit sustentare hostiam & calicem, secundum communem sententiam non amittit benedictionem, & servire potest pro duplici ara, totus enim lapis consecratus est, & quia partes divisæ non amittunt usum ac finem, non est ratio cur illorum desinat consecratio. *La Croix* l. 6. p. 2. n, 301.

30. *Qualis mappa in altari ponenda est?*

℞ Juxta Missale jussu Clem. VIII & Pij V. editum, debet esse linea & triplex. Potest tamen una triplicari ut advertit Sa. Laym l. 5. t 5. c. 6. Non est autem necessarium ùt sit omnino benedicta, sed in necessitate vulgaris ad hiberi potest. Laym. loco citato:

31 *Qua necessitate requiritur lumen ad Missam & quale?*

℞. Sub mortali illicitum est absque lumine celebrare ut docet communis sententia.

32. Sub veniali prohibentur candelæ ex sævo, dum possunt commode haberi ex cera Pasq. q. 726.

33. Similiter sub veniali adhiberi debet duplex lumen; unde extinctâ unâ candelâ, non est sistendum donec accendatur altera. *La Croix* n. 392.

34. Juxta Quarti nec sub veniali requiritur lumen tempore Evangelii S. Joannis, quia jam finitum

tum est sacrificium dum dicitur: *Ite Missa est.*

34. *Quomodo Crux est necessaria in Altari tempore Missæ?*

℟. Sub veniali, ut tenent communiter DD. contra Aversam.

35. *Estne necessaria Crux in illo Altari in quo est statua Crucifixi?*

℟. Non est necessaria, si commode ad oculos Sacerdotis haberi potest prædicta statua. Ita decrevit S. R. Congr: 4. Augusti 1663. In Altari in quo adest magna statua Crucifixi, non est necesse ut ponatur alia crux dum celebratur Missa.

Est autem necessaria quamvis sit expositum SS. prout mandavit S.R.C. 24. Maii 1707. & novissime Bened. XIV. in Const. *Accepimus præstantium virorum* edita 16 Julii 1746. Quidquid dicat in contrarium S.R. Congr. 2. Sept. 1741 quæ non requirit in casu Crucem.

Poterit tamen utraque Sententia sine ullo scrupulo observari, quia Bened. XIV. in dicta Const. magis videtur consulere quam præcipere.

ARTICULU VIII.
De illis quæ spectant ad celebrationem Sacrificii Missæ.

1. *An fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ de audienda Missa diebus Dominicis & Festivis, si ipsam audiant in Ecclesia Regularium?*

℟. Satisfaciunt, neque à Parochis possunt licite impediri ut statuit Leo X Const: Bullar, t. 1mo.

2. *An possunt Regulares aliquando impediri à Parochis quo ad celebrationem Missæ aut pulsum campanæ?*

℟. Non

℞. Non possunt ex Const. Pii V. *Et si Mendicantium* §. 8. dicente *nec non Missas & Divina officia hujusmodi etiam in diebus Dominicis vel Festivis, etiam antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebraverit, celebrare & facere possunt quando eis videbitutr.* Ex quo patet, quod Regulares nullo jure obligantur in nocte Paschatis expectare Parochialem Ecclesiam, ut ipsa prius reseret Sepulchrum.

3. Quo ad pulsum campanæ adest Decretum S. Congr. Regul: 10. Octobris 1568. ut die Sabbathi Sancti, Regulares cum pulsu suæ campanæ expectent, quoadusque pulset Ecclesia Cathedralis, vel Matrix seu Parochialis, alio autem tempore nunquam obligantur Regulares in pulsu campanarum dependere: ut patet ex terminis Decreti ejusdem Sacræ Congr.

4. Si aliquis Presbyter sæcularis obligatur aliquo titulo celebrare Missas in Ecclesia Regularium, tenentur Regulares ad consensum præstandum, cum onere tamen ut Presbyter celebraturus provideat de illis, quæ spectant ad celebrandum, uti sunt candelæ, vinum, &c. ut statuit S, Congr. 6. Septembris 1625.

5. *Possuntne Provinciales Ordinis Minorum S. P. Francisci reducere onera Missarum non recurrendo ad Sedem Apostolicam?*

℞. Antea non poterant ut patet ex Const: Innocentii XII. *Nuper* *à Congr.* nunc autem ex Concessione Benedicti XIII. 15. Julii 1724. Et Benedicti XIV. 2. Aprilis 1751. possunt Ministri Provinciales una cum pleno Diffinitorio reducere onera Missarum, facto tamen recursu ad Ministrum Generalem pro approbatione obtinenda.

6. *Quænam sunt observanda de celebratione Missarum ex Constitutione Innocentii XII. quæ incipit*

Nuper

Nuper à *Congregatione edita decimo Kalendas Januarii* 1597.

℞. Hæc præcipue sequentia.

7. Primo, tenentur Rectores Ecclesiarum facere tabellam onerum perpetuorum & manualium, ac in loco patenti & obvie retinere, ut facile intelligere possent; quod si intra modicum & breve tempus illis satisfacere non valent, abstineant à receptione stipendii Modicum autem & breve tempus non æquali judicio putant Doctores. Peyrinus ad Const: 3. Urbani VIII. ampliavit ad triennium usque, alii ad biennium, sed valde laxe, nam etiam unus annus non est breve tempus, tutior est sententia ad duos duntaxat menses, & ad tres protrahere cavendum.

Sed in hac re gravius est procedendum, aliqua enim onera longius protrahi possunt, & aliqua hinc & nunc absolvi tenentur, hoc enim maxime colligitur ex mente dantis stipendium.

Unde siquis dat stipendium pro infirmo, aut re perdita, vel alio negotio hic & nunc urgente, tenetur Sacerdos statim absolvere sub mortali peccato, si differat absolvere post mortem, vel rei jacturam. Quinimo in illo casu tenetur stipendium restituere, quia mens dantis præcise fuerat, ut celebretur ante & non post.

8. *Secundo* ex eadem Const. tenentur Rectores Ecclesiæ, aut Superiores eleemosynas pro Missis celebrandis reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem Localem, altera vero penes alium à Capitulo Conventuali deputatum retineatur.

Occasione talis dispositionis Innocen: XII. quæsierunt à S. Congr. Fratres Minores de Observ: an possent in Sacristia retinere capsulas pro Missis cele-

bran-

brandis? Responsum est illis 7. Julii 1708. à S. Congr. *Negative*, quo ad alia vero teneri eos prout constitutio ligat & præcipit.

9. *Tertio* Ut Superiores de eleemosynis acceptis ac celebratione Missarum coram Patribus discretis, seu Consiliariis, vel alio nomine nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigant, & respective reddant.

Ex quo patet quod Innocentius in dicta Constitutione vult modicissimo tempore absolvi Missas, pro quibus stipendium jam acceperunt, alias frustra tam frequentem calculationem Missarum præciperet.

10. *Quarto*. Ut Superiores Regulares Locales in Provincialibus Capitulis sive Congregationibus exhibeant attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus subscriptam & juratam, quod omnibus & singulis, tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus tempore regiminis fuerit omnino & integraliter satisfactum. Vel deficiente aliqua modica satisfactione, posset intra breve tempus moraliter satisfieri, sub hac conditione, ut si qui Superiores Locales hujusmodi testimonium subscriptum manibus omnium Sacerdotum sui Conventus non habuerint, præcipit Pontifex ut tales in Capitulis careant omnino voce activa & passiva ut neque eligere, neque eligi possint.

Quod etiam serio recommodat R. Generalis Nostri Ord. Commis. Generl. in ejus patentalibus literis pro Præsidentia in Capitulo tenenda, cui sub onere propriæ illius conscientiæ mandat, ut tales Superiores omnino à voce activa & passiva excludantur, in quorum locum una cum V, Diffinitorio alii vocales eligi possunt ad suffragandum in electionibus.

11. *An Sacerdos habens stipendii onus ad celebranda*

brandam Missam in hac Capella vel in hoc Altari possit alibi celebrare absque licentia S. Apostolicæ.

℞. Non potest licite; super quo Pignutell. t. 1. consultatione 276. refert Decretum S. Congr. Concilii 17 Augusti 1647. Non frustra enim Innocentius XII in dicta Const. vult Sacristas habere in promptu duas tabellas sive Registra, ut habeant adnotatas Missas ubi nam & in quo Altari celebrari debeant, aliter facientes graviter onerant conscientias suas cum suis Superioribus, qui talia pro munere sui officii negligunt.

12. Pariter Capellani, aut Beneficiati, omnino tenentur in eadem Capella celebrare, in qua ex vi fundationis à Testatore vel Collatore obligatur, ut docent communiter Doctores apud Officialem Curiæ cap. 10. num 49.

13. Neque onera Missarum relicta in certa Ecclesia vel Capella alio absolute transferri possunt inconsulta Sede Apostolica, ut decrevit S. Congr. in Brixiensi 1. Decembris 1685; quæ translatio nulla foret, etiamsi fieret ab Executoribus testamenti, qui talem facultatem expresse non haberent à suo Principali, ut eadem S. Congr. statuit 17. Junii 1701. nisi locus celebrandi determinatus destruatur, tunc enim de licentia Episcopi deberent in loco ab illo destinato celebrari, donec loca reparar entur.

14. Si tandem antiqua Ecclesia totaliter diruitur in qua fuit onus celebrandi, & ad novam transfertur celebratio Missarum, tutius est hac in re consulere Sedem Apostolicam, quia Episcopus non potest tribuere talis translationis licentiam cum sit in perpetuum.

15. *An Capellani vel Altaristæ teneantur per seipsos celebrare Missas illas in Capella vel Altari ad quas ex vi fundationis obligantur?*

℞. Te-

℞. Tenentur per seipsos celebrare ut respondit S. Congr. consulta 21 Februarii 1688 maxime si constat de mente Testatoris personalis obligatio, quam facile unusquisque intelliget ex erectione sua, si hæc verba habebuntur: *Capellanus debet dicere pro anima mea in hac Capella vg. unam Missam in Hebdomada.* Sicuti enim ex tali fundatione obligatur Capellanus ad locum celebrandi, ita etiam ad Personam. Si vero ex mente Fundatoris erunt hæc verba: *Absolvatur una Missa qualibet Hebdomada in hoc Altari* tenebitur quidem ad locum non vero ad Personam, quod bene notandum est, & justus quo ad hoc scrupulus habeatur ab Altaristis cum sit in re gravi.

16. *Qualem Missam celebrare debeant & possint Capellani Monialium in Ecclesia earum?*

℞. De illo Sancto cujus Officium ab ipsis Monialibus recitatur, sed cum Missali Romano. quod si in illo Missa particularis de eodem Sancto non adsit, sumenda est de communi. Ita decrevit S. R. Congr. 28 Novembris 1628.

17. *Quæ Pœna illis, qui accepto majori stipendio pro Missa absolvenda vg. aureum nummum, dant alteri impertialem ad absolvendum?*

℞. Juxta Decretum Ssmi Benedicti XIV. *Quanta cura* &c. 30. Junii 1741. Si Laicus id fecerit excommunicationem ipso facto incurret, si vero Presbyter aut Clericus, suspensionem, à quibus censuris uterq; nonnisi à solo Romano Pontifice pro tempore existente absolvi poterit, & quidem duntaxat in mortis articulo, ut patet ex terminis ejusdem Decreti Pontificii.

Ex quibus constat Decretum valere, etiamsi id sine fraude fiat, nempe non obstante quod consentiat Sacerdos minus stipendium accepturus, quia hæc

hæc est mercatura pessima, in quam justissimo zelo insurgit Pontifex.

18. *Licitumne est Regularibus administrare semper Sacramentum Eucharistiæ sæcularibus Laicis in suis Ecclesiis?*

℟. Non licere in die Paschatis juxta Decretum S. Congr. 9. Julii 1644. *etiamsi dictæ Personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto hac de re edito* nempe de sumenda Eucharistia circa festum Paschæ.

Abstinendum igitur est Regularibus ab administratione hac Eucharistiæ, quia licet non desint Authores qui oppositum doceant, magis tamen adhærendum est Constitutioni Ecclesiasticæ, quæ vim legis habet; lex autem præcipit non disputat.

Quod intelligi debet etiam de Tertiariis ut expresse statuit Leo X. Const: *Dum intrat.* Hoc autem Decretum intelligendum est de una die Paschatis in qua etiam causâ solius devotionis non potest Laicus recipere Eucharistiam à Regularibus, bene vero in aliis diebus prout statuit S. Congr. 14 Januarii 1736.

19. *Quæ habent Fratres Minores Privilegia circa celebrationem Missarum in Altari Privilegiato?*

℟. Nos Fratres Minores habemus ex concessione Benedicti XIV. 17. Septembris 1748. unum Altare privilegiatum quotidianum & perpetuum in omnibus Ecclesiis Fratrum Ministro Generali totius Ordinis S. Francisci subjectorum pro omnibus animabus Fidelium Defunctorum.

20. Pro animabus vero illorum qui Ministro Generali totius Ordinis S. P. N. Francisci subjiciuntur habemus omnia Altaria privilegiata perpetua in Ecclesia nostra erecta, in quibus non tantum nostri Presbyteri, sed etiam sæculares hoc utuntur privilegio, si celebrare facient Missas pro animabus

Fra-

Fratrum vel Sororum Ministro Generali subjectorum, non solum in nostris Ecclesiis, sed etiam Monialium ut constat expressè ex terminis const: Benedicti XIV quæ incipit: *Cum sicut &c.* 24. Martii 1741.

21. Ubi notandum quod hujusmodi Privilegia ac Indulgentiæ Altaris Privilegiati, intelligi debent de illis solum Altaribus, quæ sunt in Ecclesiis Cænobiorum, & non de illis quæ aliquo modo pertinent ac dependent à Fratribus, ut expresse decrevit S. Congr. Indulgentiarum 30 Julii 1748.

22. Totius Ordinis Minorum S. P. Francisci Ministri Generales, etiam in futurum existentes quamdiu sunt in Officio Generalatûs habent quotidie Altare Privilegiatum, ubicunque & in quocunque loco absolvant sacrificium Missæ, ex concessione ad perpetuam rei memoriam Benedicti XIV. *Cum sicut dilectus* 26 Aprilis 1741. ad instantiam *Cajetani à Laurino* Ministri Generalis.

23. *An celebrans in Altari Privilegiato possit applicare uni Defuncto fructum sacrificii alteri indulgentiam?*

℟. Id colligi ex sensu Privilegii. Si enim tenor Privilegii erit talis: *Sacerdos dicendo Missam pro Defuncto, liberet ejus animam ex Purgatorio.* Tunc Indulgentia non suffragatur nisi animæ pro qua celebrans offert Sacrificium.

Si vero sit tenor talis; *quoties Missam quis dixerit in Altari tali, toties liberat Animam ex Purgatorio.* Tunc poterit uni Sacrificium, alteri Indulgentia applicari, ut ex ipsis terminis constat.

24. *An licitum est celebrare Missam in* Portatili, *seu Antemissali Græci Ritûs, & in Paramentis* Ruthenorum *Sacerdotum?*

℟. Juxta Const: Benedicti XIV quæ incipit: *Impo-*

Imposito nobis &c. editam 1751. possunt Sacerdotes Latini ritûs in Ecclesiis Ruthenorum non Schismaticorum Missas celebrare in eorum Altaribus sive Antemissis, calicibus, etiam stanneis imo & in vestimentis omnibus illorum sacris dummodo ritu latino celebrent, scilicet in pane azymo & de licentia ipsorum Ruthenorum Parochorum. Et è contra possunt Rutheni Sacerdotes in Ecclesiis Latinorum celebrare in omnibus vestimentis Ritûs Latini servato suo Ritu Græco quo ad panem fermentatum & alias ceremonias, quæ Constitutio non tantum intelligi debet in casu necessitatis, sed etiam solius devotionis quod bene notandum est ut expresse loquitur dicta Constitutio circa finem quam longum esset per extensum recensere.

SECTIO IX.
De Ceremoniis Sacrificii Missæ in communi.
ARTICULUS I.
De Rubricis Missalis.

1. *Quid est Rubrica Missalis?*

℟. Est Regula communis continens ritus in celebratione Missarum observandas. Vocatur autem *Rubrica* quia plerumque rubro colore scribi solet.

2. *Quottuplex sit Rubrica?*

℟. Duplex Præceptiva & Directiva. *ima* est illa quæ obligat in conscientia Clericum ad Ritus in ea præscriptas. *Directiva* vero solum proponit per modum consilii quid sit convenientius agendum.

3. *Quid nomine Rituum inteligitur?*

℟. Omnes circumstantiæ requisitæ ad Missæ celebra-

lebrationem & solennitatem, sive sint verba sive actiones, sive vestes, aut vasa.

4. *Quottuplices sunt Ritus?*

℟. Alii sunt *Essentiales* qui scilicet sunt de necessitate Sacrificii & Sacramenti Et alii *Accidentales* qui solum pertinent ad ornatum, & hi possunt esse de necessitate præcepti non vero de necessitate Sacrificii.

Essentiales Ritus consistunt in Consecratione & Communione. *Accidentales* vero in actionibus, precibus, & aliis circumstantiis ab Ecclesia adjunctis, quæ dicuntur sacramentalia & ceremoniæ.

5. *Quæ est causa formalis rubricarum?*

℟. Est significatio verborum certos ritus præscribentium. Hæc autem significatio est duplex una *Literalis* quam voces immediate significant. Alia *mystica* quæ sub rebus significatis per verba, quasi sub velamine & figura conclusa est Dicitur *Mystica* id est arcana & recondita, vocatur etiam Spiritualis, eò quod lateat sub rebus quasi spiritus sub corpore.

6. *Quottuplex est Mystica significatio?*

℟. Triplex *Tropologica*, *Allegorica*, & *Anagogica*. Quarum explicationes singulæ suo loco invenies inferius Sect. eadem Art 3.

Exemplum pro majori intelligentia hujus triplicis significationis ostenditur tale: dum vg. Sacerdos osculatur Altare, Rubrica in sensu literali significat actū osculandi Altare in quo fit sacrificium. Quod osculum in sensu mystico Tropologico, significat consensum animorum inter Fideles In Allegorico: desponsationem Christi cum Ecclesia. In Anagogico: delectationem & gaudium futuræ gloriæ

7. *Quæ est causa efficiens rubricarum Missalis?*

℟. Summus Pontifex à quo tanquam ab habente

pote-

potestatem in totam Ecclesiam, debuit talis lex universalis ferri. Primus autem earum author creditur fuisse Divus Petrus. Pius autem V. vel maxime solidavit, emisso Missali Romano, quo nunc utimur, postea roborato per Clementem VIII. & Urbanum VIII.

8. *Habentne etiam Episcopi potestatem condendi Rubricas, & Ritus Missarum?*

℟. Illos quidem habere ex potestate ordinaria pro suis Ecclesiis, ad vitandam tamen confusionem & dissonantiam limitatam esse hanc eorum facultatem à Pio V. in Bulla initio Missalis apposita.

9. *Quæ est causa finalis Rubricarum Missalis?*

℟. Est DEI cultus & utilitas spiritualis fidelium ex Trid. Ses. 7. Can. 13. & Ses. 22. c. 5. & Bullis Pontificum Missalis præfixis.

10. *Cujus sunt juris Rubricæ Missalis?*

℟. Esse tantum juris humani, posseque proinde mutari à Pontifice, id tamen non fieri, nisi causa utilitatis vel necessitatis.

11. *Quam vim obligandi habent Rubricæ Missalis?*

℟. Illas solas obligare sub mortali (nisi excuset parvitas materiæ, aut alia causa) quæ sunt præceptivæ, directivæ autem sunt tantum consilia & instructiones, neque sine claro fundamento vis obligandi sub peccato astruenda est.

12. *Quæ ergo sunt præceptivæ & quæ directivæ tantum?*

℟. Verius solas illas esse præceptivas, quæ præscribunt ritus servandos in ipso actu celebrationis Missæ à Sacerdote; quia super hos solos ritus cadit præceptum Pii V.

13. *An ergo omnes ritus ipsius celebrationis sunt sub obligatione peccati?*

℟. Hanc obligationem videri cadere solum su-

pra verba & actiones celebrantis, ita enim videtur sonare Bulla Pii V. *Mandantes & stricte omnibus & singulis præcipientes in virtute S. Obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modū & normam in Missali præscriptam decantent, aut legant. Neque in Missæ celebratione alias ceremonias aut preces addere vel recitare præsumant.*

14. *Rubricæ præscribentes oranda, aut agenda ante vel post Missam, obligantne sub peccato?*

℟. Eas non obligare per se, sed esse tantum directivas, nisi aliunde ex Sacris Canonibus præceptum accesserit.

15. *Rubricæ de Ritibus, qui vel à ministrante, vel ab aliis seruandi sunt, directivæne an præceptivæ censeri debeant?*

℟. Esse tantum directivas; præciso scandalo, vel alia consvetudine obligante.

16. *An & quæ sunt causæ excusantes à peccato in transgressione Rubricarum Missalis?*

℟. Vix dubitare posse, quod sicut in aliis materiis ex genere suo sub mortali obligantibus, excusari potest quis à mortali, aut ex parvitate materiæ, aut ex defectu advertentiæ sufficientis, ita & in hac.

17. *Quomodo in particulari discernenda levitas vel gravitas materiæ in Missa?*

℟. Generalem regulam hanc tradi à Doctoribus: quod illa sit materia gravis, quæ considerato fine præcepti, multum conducit ad finem legis talis; proinde præcepti transgressio gravis esse debebit. Discernere autem hoc ipsum in particulari requirit judicium prudens. Unde par quantitas physica in una parte Missæ, potest esse levis quo ad obligationem, quæ in altera est gravis. Ut vg. omittere unam partem ex iis quæ ante Epistolam vel in

secre-

secretis dicuntur, erit materia levis; at in Canone omittere mediam vel quartam partem integræ orationis erit materia gravis, juxta omnes DD. Ratio hujus est, quia cum finis illarum præcum ex quibus Missa componitur sit ornatus sacrificii, & cultus Divinus, magis conducunt ad hunc finem preces Canonis ut pote sacratiores & proximiores sacrificio ac sublimiora misteria continentes, quam aliæ extra Canonem.

18. *An leves transgressiones Rubricarum possunt fieri graves ex accidenti?*

℟. Posse: 1mo per intentionem finis graviter peccaminosi, ut si ex fine turpiter placendi audienti Missam, vel inducendi novum ritum, breve sacrum legatur. 2do Ratione contemptûs. 3tio Ratione scandali.

19. *An Sacerdos teneatur sub mortali celebrare ter vel quater in Anno?*

℟. Ita probabile censent DD. ratio est quia talis in vanum acciperet gratiam DEI, scilicet potestatem cosecrandi, nisi legitimè excusetur.

20. *An Missæ non positæ in Missali Romano licite dici possint:*

℟. Negative, nisi à Sacra Congr. Rituum sint approbatæ.

21. *An in forma consecrationis mutatio etiam accidentalis sit grave peccatum?*

℟. Esse grave ex genere suo quia in re tam Sacra & gravi recedere à communi ritu Ecclesiæ est gravis deordinatio. Unde vel unum verbum immutare in consecratione verius est quod sit mortale.

22. *Quid sentiendum est in aliis partibus Missæ?*

℟. Si mutatio verbalis vg. in precibus fiat cum notabili deformitate, erit mortale Secus autem veniale. Quod si fiat mutatio verborum synonimi in

ſynonimum erit veniale ſi ſit ejuſdem, idiomatis ſi vero ſit diverſi, erit mortale propter prohibitionem Trid. Ses. 22. can 8.

Quod ſi fiat mutatio ita ut mutetur ſenſus orationum, probabilius eſt talem mutationem eſse peccaminoſam mortaliter.

Si vero fiat mutatio unius partis Miſsæ in aliam partem ſimilem alterius Miſsæ vg. Evangelii in Evangelium, erit tantum veniale, niſi eſset nimis oppoſita mutatio.

23. *Quid de mutatione Rituum quo ad circumſtantiam loci & temporis?*

℟. Eſse veniale ex genere ſuo quia eſt tantum contra circumſtantias accidentales præcepti. Unde ſi recitetur in cornu Altaris quod dici deberet in medio, ſolum eſt peccatum veniale.

24. Mutatio vero quo ad tranſpoſitionem partium Miſsæ eſt ex genere ſuo mortale; ut ſi quis vg. inciperet Miſsam ab Evangelio, vel diceret Introitum poſt Epiſtolam, ut docent communiter DD.

25. *Quale eſt peccatum omittere Ritus Miſſæ in actione conſiſtentes?*

℟. Eſſe ex genere ſuo mortale ut patet ex præcepto Pii V. Unde omittendo ritus majoris momenti, peccabit mortaliter, omittendo vero ritus minoris momenti, peccabit venialiter.

26. *Qui ſunt Ritus majoris & qui minoris momenti?*

℟. Majoris momenti ſunt Mixtio aquæ cum vino, elevatio utriusuque ſpeciei; fractio Hoſtiæ & Mixtitio particulæ cum ſangvine, purificatio patenæ & calicis. Minoris vero momenti ſunt; Benedictiones, Cruces, Deoſculationes, Inclinationes, Genuflexiones &c,

27. *An ex cauſa neceſſitatis liceat omitere partem notabilem Miſſæ?*

℟. Li-

℞. Licere, si sit necessitas gravis vg. ministrandi viaticum, aut consummandi sacrificium, ut alias dictum.

28. *Quale est peccatum, addere Missæ novas preces?*

℞. Esse mortale vel veniale, juxta gravitatem vel levitatem materiæ. Ex Bulla Pii V: *Neque in Missæ celebratione, alias ceremonias vel preces, quam quæ in hoc Missali continentur addere, vel recitare præsumat.*

29: *An ut talis additio sit graviter peccaminosa, requiratur, ut fiat animô inducendi novum ritum?*

℞. Non requiri, quia nec Pius V. talem animum requirit, nec Missæ deformitas ex tali animo consurgit, sed ex ipsa reali additione. Gravitas autem vel levitas quo ad talem additionem discernenda est ex quantitate materiæ.

30. *Quomodo peccat qui plures Collectas recitat quam rubrica præscribit?*

℞. Ad summum venialiter. Imo si ad sit rationabilis causa, & addatur illa oratio quæ in Missali est posita, probabilius est nec veniale esse, quia per hoc nec Missa deformatur, nec fit contra prohibitionem Pii V.

ARTICULUS II.
De Defectibus in Missa commissis.

1. *An Defectus Missæ sint supplendi?*

℞. Aliquos esse supplendos, aliquos vero non pro eorum diversitate & gravitate.

2. *Quottuplices sunt Defectus Missæ?*

℞. Duplices: aliquos esse *Substantiales* qui possunt committi circa essentiales partes vel integrales notabiles Sacrificii Missæ. Et alios esse *Accidentales* qui sunt circa accidentales & minus principales partes.

3. *De-*

3. *Debentne suppleri Defectus substantiales Missæ?*

℟. Debent sive sint essentiales, sive tantum integrales principaliores, quia cum talibus defectibus commissis, vel nullum fieret Sacrificium vel saltim imperfectum.

4. Accidentales vero defectus Missæ non sunt supplendi nisi protunc, quando suppleri possunt absque eò quod invertatur ordo Missæ. Si enim esset invertendus ordo Missæ; major difformitas oriretur ex suppletione, quam ex ipso defectu.

5. *Ex quibus capitibus potest oriri Defectus substantialis?*

℟. Ex hoc præsertim triplici, nempe: ex Materia, Forma, & Intentione Ministri.

Defectus in Materia.

6. *Quomodo supplendi sunt Defectus in Materia?*

℟. Si defectus substantialis ante Consecrationem advertatur, nec possit haberi materia apta, debet relinqui Missa in quacunque parte reperiatur, ad evitandum Sacrilegium per Consecrationem materiæ ineptæ.

7. Similiter debet relinqui Missa, si ante Consecrationem advertatur defectus sumptionis subsecuturus, quia consumptio ad integritatem substantialem Sacrificii spectat ex jure Divino; unde qui reperitur inhabilis ad consumendum censetur etiam ad Sacrificandum.

8. Si post Consecrationem advertatur defectus substantialis vg. vini, debet consecrari nova materia apta sive advertatur post sumptionem sive ante illam, quia ad essentiam Sacrificii requiritur consecratio utriusque speciei. In quo casu juxta D. Thom. debet reiterari oblatio, juxta vero V. *Scotum* debet solum Consecratio fieri omissis aliis ceremoniis

& ora-

& orationibus, sed statim post Consecrationem sumendæ erunt species. Utramque hanc sententiam pro oportunitate temporis sequi potest Sacerdos; nam doctrina D. Thomæ providet omnimodæ integritati Sacrificii, sententia vero V. *Scoti* providet ad evitandum scandalum adstantis populi.

9. Quod si cognito defectu vg. vini, non possit hic & nunc haberi materia apta, ut accidere solet in Villis, tunc prosequenda est Missa more consveto omissis ceremoniis dictam speciem concernentibus, quia Sacrificium debet perfici eò meliori modo quo potest. Hoc tamen intelligi debet de illo casu, in quo jam prima species fuisset consecrata.

10. *Quid agendum, si adverteretur defectus substantialis utriusque speciei:*

℟. Probabilius esse supplendum si advertatur post Consecrationem & haberi possit brevi tempore materia apta. Quod intelligi debet etiamsi advertatur defectus post sumptionem, quia alias cultus ille ritualis Missæ ex sui institutione ad Sacrificium ordinatus remaneret vacuus & falsus.

11. *Quid si aliqua ex speciebus veneno infectare-periatur?*

℟. Si id contingat ante sumptionem, debet alia species consecrari. Si vero post sumptionem poterit quodcunque remedium adhiberi etiam vomitus ex communi DD. Si enim sacræ species potuissent non sumi, si illarum infectio nota fuisset, poterunt etiam ejici tanquam malæ sumptæ.

12. *An possit Hostia fracta adhiberi ad Sacrificium?*

℟ Juxta Rubricam si advertatur fracta ante oblationem debet alia accipi & offerri præciso scandalo; post oblationem vero debet eadem consecrari, nisi fractura evidenter appareat Populo & si timentur scandalum debet alia accipi, offerri, & consecrari, & prior

or oblata sumi post sumptionem Sacrificii. Nomine autem oblationis intelligitur in præsenti offertorium, quod ante Canonem fieri solet.

13. *Quale peccatum foret adhibere Hostiam fractam?*

℟. Si adhuc sit apta ad servandos Ritus præscriptos, non esse plus quam veniale, quia foret potius tantum contra accidentalem perfectionem & majorem pulchritudinem, quam contra aliquid essentiale & necessarium.

14. *Quid si post Consecrationem Hostia frangeretur totaliter in duas partes?*

℟. Tunc adhibendam esse majorem partem ad Ritus peragendos. Quod intelligi debet si una pars in fractione caderet in sangvinem. Si vero caderet tota tunc fracta parte madefacta & in calicem Missa eum reliqua sicca alias ceremonias peragere debet.

16. *Quid si post Consecrationem cognoscatur aqua non esse mixta vino?*

℟. Licet ante Consecrationem cognito errore misceri deberet, post Consecrationem tamen inutilis foret mixtio.

17. *Quid agendum si Hostia consecrata labatur aliquo?*

℟. Rubrica jubet terram radi in quam cadet Hostia, & rasuram in Sacrificium proici. Quod si in mappam vel linteum caderet, debent lavari & lotio in sacrarium effundi.

18. Si vero sangvis effunderetur in terram, debet lambi à Sacerdote. Si in lapidem Altaris debet sorberi ab eodem, lintea vero debent ter ablui, similiter Corporale & quodcunque aliud vestimentum, rasura autem & lotiones in sacrarium reponenda erunt.

19. *Quid agendum si sangvis cadat supra barbam Celebrantis?*

℟. Bar-

℟. Barbam pro tunc non esse radendam, sed solum lavandam, quia rasura barbæ nec à jure nec à Rubrica injungitur.

20. *Quæ pœnæ pro effusione sangvinis sunt impositæ?*

℟. Juxta Const: Pii I. Si effundatur in terram jejunabit 40. diebus. Si super Altare 3. diebus, si super linteum Superius 4. si in inferius defluxerit, 9 diebus, si usque ad 4tum, 20 diebus. Hæ tamen pœnæ hodie non sunt in usu propter desvetudinem tanquam nimis severæ.

21. *Quid agendum, si particula decidat intra pectus communicantis?*

℟. Si sit mulier, committendum esse ipsi, aut alteri mulieri prudentiori ut excipiat & lavet, quia minor erit indecentia tangi à muliere Sacramentum, quam mulierem à Sacerdote: antiquitus enim ad manum sumebant Laici Eucharistiam.

22. *Quid faciendum de particula circa Altare vel in corporali derelicta?*

℟. Si dubitetur an sit consecrata sumendam esse statim post sumptionem Sangvinis. Quod si Sacerdos horreat sumere; conservet in tabernaculo, donec corrumpatur, postea combustæ cineres proiiciantur in sacrarium.

Defectus Formæ.

23. *Quando est supplendus defectus Formæ?*

℟. Si certo constet esse commissum defectum substantialem, semper esse repetendam Formam, alias non conficeretur Sacramentum. Tota autem Forma & non pars omissa repetenda erit, quia unum verbum non haberet significationem plenam cum cæteris pro priori prolatis.

Quod si dubius sit Sacerdos an Forma sit repetenda

tenda, pro tunc si habeat dubium negativum ex eo quod non recordetur, aut non habeat positivum fundamentum consecrasse. nihil erit supplendum, quia præsumendum est de validitate & de facta ritè consecratione.

Si vero dubium fundetur in argumentis valde probabilibus, tunc repetendam esse formam sub conditione ut certificetur Consecratio.

Quod si Sacerdos haberet fluctuantem mentem circa duas probabilitates sibi oppositas, si nimirum ipsi videretur probabile defectum commissum fuisse ac probabile non fuisse commissum, in eo casu si defectus sit substantialis, debet repeti Consecratio quia alias Sacrificium exponeretur periculo nullitatis.

24. *An defectus formæ ex omissione verborum quæ secundum aliquos sunt substantialia secundum vero alios non sunt, sit supplendus repetitione totius Formæ?*

℟. Cum Quarti & Pasqual: non esse supplendum quia stante opinionum conflictu, verba de quibus est controversia non acceptantur ab Ecclesia tanquam essentialia, alias si acceptarentur hoc ipso prohiberetur opinio negans esse substantialia. Unde si quis omitteret in Consecratione Calicis illa verba: *Novi & æterni testamenti &c.* quæ apud Thomistas sunt essentialia, non propterea deberet iterare totam formam.

25. *An si ex errore proferatur forma sangvinis supra panem, sit Calix iteram consecrandus?*

℟. Si consecrationem celebrans dixerit per errorem ad panem, calix non est consecratus, quamvis fuerit præsens, quia præter præsentiam requiritur ut forma debita proferatur supra materiam, ac per intentionem Ministri ad eam dirigatur. Quod si consecrationem Celebrans direxerit ad calicem, licet

cet pro tunc malitiose egisset, calix tamen fuisset consecratus.

Defectus Intentionis.

26. Licet impossibilis sit moraliter defectus intentionis in Celebrante, (quia sufficit virtualis & manet in functionibus Missæ quæ libere exercentur,) si tamen contingeret, repetenda esset tota Forma ab his verbis: *Qui pridie &c.* & quidem sub mortali ab illis inchoari deberet, quia hæc verba sunt determinativa sensibili modo ut Forma proferatur in Persona Christi.

Missæ Interruptio per cessationem.

27. *Quale sit peccatum cæptam Missam non complere?*

℟. Certum esse quod sit peccatum grave sive talis interruptio post Consecrationem sive ante Canonem, sive qualitercunque sit Missa inchoata, ut docent communiter DD. & patet ex cap. *Nihil.* 7. q. 5. gravius tamen si post Consecrationem Missa relinqueretur quam ante, juxta majorem irreverentiam Sacrificii.

28. *Qualis pœna est imposita relinquentibus Missam inceptam?*

℟. Incurrere suspensionem ex cap. *Nullus, Episcopus* de Consecratione d. 1. ubi in fine sic dicitur: *Si quis vero præsumpserit præter quod posuimus agere, à Sacro Corpore & Sangvine Domini Nostri JESU Christi sit suspensus.* Ex quibus verbis patet taliter suspensum neque more Laicorum posse communicare.

29. *An dantur aliqui casus in quibus Missa inchoata relinqui possit?*

℟. Dantur 1. Si periculum immineat mortis, quia Sacerdos non solum se sed etiam Eucharistiam

teme-

temere exponeret periculo. Quod si periculum immineat post Consecrationem unius speciei, si fieri potest debet statim consecrari & altera species, & utraque sumpta statim abibit Sacerdos omissis omnibus ceremoniis. Si autem propter imminens periculum mortis id fieri peremptorie non possit, probabilius videtur juxta Pasqual. eo casu posse abire Sacerdotem relicto Sacrificio imperfecto, quamvis enim præceptum sit Divinum complere sacrificium, in tali tamen casu videtur non obligare.

II. Potest etiam relinqui Missa si interdictum superveniat ante inchoatam Consecrationem, non vero post Consecrationem factam, quia sumptio & Consecratio sunt Juris Divini, quod plus ponderari debet quam lex Ecclesiastica de interdicto.

III. Si tempore Missæ superveniat excommunicatus vitandus & monitus non velit recedere ante consecrationem, debet relinqui Missa, si autem cæpta sit Consecratio, debet continuari ad sumptionem inclusive.

30. *Quid si dum celebratur Missa polluatur Eccelsiæ?*

℟. Si Canon non sit inceptus, relinquenda est Missa, non vero si sit inceptus ex Rubr. Miss. de defectibus §. 10. num. 2.

31. *Quid si Celebrans recordetur alicujus impedimenti ex jure Canonico impedientis Sacrificare?*

℟. Si post Consecrationem recordetur tenetur continuare Missam. Si vero ante Consecrationem id acciderit, & non adsit scandalum vel infamia ipsius, potest relinquere Missam: non tamen probabilius obligatur semper & in omni casu, quia quo ad hoc videtur solum esse Rubrica directiva & non præceptiva. Tum quia tale impedimentum per contritionem facile tolli potest.

32. Juris autem impedimenta hæc sunt, Excommuni-

municatio, Interdictum, Suspensio, Irregularitas, Violatio Jejunii naturalis, memoria peccati mortalis &c.

Missæ Interpollatio

33. Differentia inter cessationem à Missa & interruptionem illius, est hæc quia qui cessat à Missa amplius non continuat illam, interpollatio autem est interruptio Missæ cum animo continuandi illam.

34. *Licetne Missam interrumpere?*

℞. Sine causa justa non licet ob Sacrificii Majestatem.

35. *Quæ sunt causæ justæ interrumpendæ Missæ?*

℞. Hæ sequentes & aliæ plures. I. Propter infirmitatem Celebrantis, vg. propter alterationem stomachi. II. Spiritualis necessitas proximi, sive ad remedium necessarium necessitate medii sive per se sive per accidens pro moribundo potest interrumpi Missa, si desit alius Sacerdos qui juvet quod etiam fieri potest post Consecrationem, agitur enim de salute proximi ac de vitando damno irreparabili. Ad dandum tamen viaticum solum interruptio licita est ante consecrationem. Similiter & ad extremam Unctionem ministrandam, cum hæc Sacramenta non sunt necessaria necessitate medii. Quodsi moribundus esset intra Ecclesiam, tunc posset interrumpi Missa post Consecrationem ad hæc duo ministranda Sacramenta, esset enim interruptio modica, cum in tali casu non exuerentur Sacræ vestes.

36. *An possit Missa interrumpi ob corporalem proximi necessitatem?*

℞. Si illa sit gravis, nec alius succurrere possit nisi Celebrans, tunc ex charitate tenebitur ad subveniendum.

37. *An Missa potest interrumpi ob adventum vg. Principis & denuo inchoari?* ℞. Pro-

℟. Probabilius non potest, quia vel talis adveniat ante offertorium, & sic totam audiet Missam quo ad substantiam, si vero post offertorium, repeti amplius in gratiam nullius potest, maxime si illa die nulla adsit obligatio ex præcepto Ecclesiæ audiendi Missam. Quidquid velint alii in contrarium facere & docere, nullam tamen quo ad hoc justam causam asignare poterunt, quia semper præferenda est Majestas Divina, cui se semel Celebrans sistit ad Sacrificandum, quàm quæcunque spectabilis aliqua humana Persona.

38. *Quandò Sacrificium interrumpitur post consecrationem ex justa causa, quomodo cavendum sit speciebus consecratis?*

℟. Constituendum esse aliquem ad custodiam illarum, vel si nullus adsit probatæ vitæ, reponendas esse ad Sacrarium vel tabernaculum.

39. *Quid si post Consecrationem non esset alia Hostia nisi illa qua in illo Sacrificio non dum completo est consecrata, & urget necessitas dandi Viatici?*

℟. Posse in tali casu dari partem Hostiæ ejusdem moribundo, non enim erit inconveniens, quod morti proximus prius participet de Sacrificio, quam Sacerdos.

Missa supplenda ab alio.

40. *An & quando sit supplenda Missa per aliam Sacerdotem, inchota ab uno?*

℟. In hoc unico casu, si Celebrans facta consecratione deficiat viribus ante consumptionem nec spes adsit brevi valiturum. Quodsi incepto Canone non dum facta consecratione aut jam peracta Consumptione deficeret, nihil in tali casu esset supplendum. Ratio 1. partis est, quia Comsumptio est pars essentialis Sacrificii Missæ aut saltim integra-
lis

lis secundum aliquorum sententiam. *Ratio* 2. partis est, quia in tali casu foret. solum accidentalis defectus Sacrificii Missæ, adeoque ab alio non supplendus.

41. *Quid si deficeret Celebrans incheata Consecratione Panis & nondum finita?*

℞. Etiam pro tunc non esset supplendum, quia defectus Sacrificii accidentalis haberetur, cum non dum pars essentialis posita esset.

42. *Quid si dubium adsit an compleverit vel non primam Consecrationem?*

℞. In tali casu præsumendum est non complevisse, si nullum adsit probabile in contrarium indicium. Hoc enim observatur semper in dubiis odiosis & onerosis.

43. *Quid supplendum esset; si unâ materiâ Consecratâ aut Consumptâ deficeret Celebrans?*

℞. Hanc solam partem in qua deficeret esse supplendam per Consecrationem aut sumptionem. *Ratio* est quia id solum debet in casu suppleri, in quo substantialis injuria fieret Sacrificio.

44. *An posset saltem prima species Consecrata in alia Missa ab alio Celebrante sumi?*

℞. Non posse nec sufficere. *Ratio* est quia talis Consumptio non pertineret ad idem Sacrificium in quo eadem species foret consecrata.

45. *Unde Sacerdos debet alterius defectum supplens inchoare Missam?*

℞. Ab eodem loco in quo prior defecit id enim exigit ratio supplementi. Quod si Forma aliqua suppleri debeat, tunc esset incipiendum ab illis verbis; *Qui pridie* vel *Simili modo.* Si autem post Consecrationem utriusque speciei deficeret, & dubium foret in quibus verbis defecerit, juxta communem sententiam supplendum esset ab illis verbis. *Unde & memores.*

46. *Quamdiu differi possit supplementum Sacrif:?*

℞. Probabilius est eodem die, (licet aliqui cum Pasqual: putant etiam altero die posse suppleri,) nam melior continuatio moralis ejusdem sacrificii salvatur hoc ipso die.

47. *Quid si nullus adsit Sacerdos qui suppleat jam substantialiter incohatum Sacrificium?*

℞. In tali casu esse conservandas species donec habeatur Sacerdos qui eas sumat. Quod si periculum adsit corruptionis, potius est si sumantur à Laico etiam non jejuno, ut docent communiter DD. quam corumpantur.

48. *Si adsint plures Sacerdotes, quis ex illis teneatur supplere?*

℞. Si adsit spes reasumendi vires ipsum deficientem, relinquendum est ipsi soli supplementum. *Ratio* est, quia principalis obligatio est penes ipsum. Quod si nulla adsit spes convalescendi, debent alii Sacerdotes hoc ordine supplere 1. Qui erant præsentes, ejus celebrationi, quia hi habent meliorem notitiam quam alii in quo defecerit. 2. Inter tales præsentes prior erit prudentior quam ignarus, inter vero absentes semper prior erit præsens etiam si sit non jejunus. *Ratio* est quia integritas Sacrificii prævalet præcepto Ecclesiastico de jejunio, requisito ad Sacrificium.

49. *An existens in peccato mortali teneatur talem defectum supplere?*

℞. Tenetur facta prius contritione si ad Confessionem accedere non posset. Similiter tenetur ad hunc deffectum supplendum etiam irregularis aut canonice per Censuras impeditus. *Ratio* est quia obligatio supplendi Sacrificium est altioris juris quam hæ Censuræ.

Missæ

Missæ Iteratio.

50. *An liceat pluries in die offerre Sacrificium Missæ?*

℟. De Jure Ecclesiastico non licere nisi semel de die, regulariter loquendo, ut patet ex cap. *Sufficit* de Consecr. dist. 1. excepto die Nativitatis Domini & secunda die Novembris in aliquibus Regnis superius specificatis pag. 303.

51. *An liceat Nocte Nativitatis Domini omnes tres Missas absolvere?*

℟. Posse absque omni scrupulo, hoc enim est in usu etiam Romæ ut docet Quarti; & Rubrica quo ad hoc videtur esse solum de Missis Solemnibus.

52. *Qualis debeat esse necessitas ut possit eodem die Missa iterari?*

℟. Debet esse stricta necessitas saltim moralis, ut patet ex cap. *Consuluisti* &c.

Unde insufficiens causa est iterandæ Missæ, quæcunque consvetudo sine privilegio Sedis Apostolicæ. Neque benedictio Nuptiarum neque Adventus Principis aut Episcopi.

53. *An die Festo si superveniat notabilis multitudo itinerantium, possit iterari celebratio Missæ?*

℟. Non posse, quia non est sufficiens necessitas; nam vel ratione itineris excusantur ab audienda Missa, & tunc cessat necessitas. Vel non excusantur, & tunc si sunt culpabiles, jam frustra illis legeretur Sacrum, si vero non sunt culpabiles hoc ipso cessat obligatio præcepti.

54. *Quid si multitudo populi non potuisset capi ab Ecclesia?*

℟. Pro tunc potuisset iterari Missa, ne Fideles videantur illudi ab Ecclesia; ut patet ex cap. *necesse est*, de Consecr. dist. 1. ubi hæc verba habentur;

Illud quoque volumus custodire, ut cum solemniter Festivitas Conventum populi numerosioris indixerit & cum tanta fidelium multitudo convenerit quam recipere Basilica simul non possit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur &c. Quod etiam intelligi debet de concursu populi in illo Festivo die, quo non est præceptum audiendæ Missæ.

55. *An pro ministrando Viatico possit iterari Missa?*

℟. Cum communi, posse si desint species consecratæ, & infirmus non speretur superviсturus ad sequentem diem.

56. *An Sacerdos habens duas Parochias possit eodem die prius in una postea in altera celebrare?*

℟. Posse, servato tamen jejunio. *Ratio* est, quia Parochus ratione muneris sui tenetur pascere oves proprias, porro inter reliqua pascua est etiam Sacrificium Missæ.

Utrum autem hoc munus iterandæ Missæ alteri à Parocho licitum sit? dubium est. Id autem certum quod si esset substitutus à Parocho poterit iterare Missam in aliena Parochia postquam celebraverit in propria diebus duntaxat Festivis.

57. *An sit necessaria licentia Episcopi quando occurrit casus iterandi celebrationem Missæ?*

℟. Si potest haberi commode recursus ad Episcopum, ipsius erit examinare causam necessitatis iterandi Missam. Secus vero non requiritur, sed ipse iterans debet mature deliberare num causa sit sufficiens.

Regulares vero sufficit si licentiam Superiorum habeant, quia Superior respectu Regularium subditorum, est quasi Episcopus.

ARTI-

ARTICULUS III.

De quibusdam Decretis S. Rituum Congregationis circa Ceremonias Sacrificii Missæ.

Aspersio Aquæ Benedictæ.

1. Aspersio die Dominica ab illo Sacerdote debet fieri, qui est celebraturus Missam, etiamsi sit Prima vel alia dignitas, non obstante contraria consvetudine, quæ potius corruptela dici debet, ita. S. R Congr. 27. Novembris 1623.

Quod etiam intelligi debet pro tunc, quando Superior celebraturus foret Missam in Ecclesia Regularium, prout expresse declaravit S. R. Congr. 26. Novembris 1649.

2. In aspersione aquæ benedictæ diebus Dominicis à Sacerdote celebraturo stola debet esse adaptata ante pectus in modum Crucis, non vero ad utrumque latus pendens à collo; ita statuit S. R. C. 20. Septembris 1679.

Cruces in Missa.

3. Cruces quæ fiunt à Sacerdote super oblata non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte crucis S. R. C. 4. Aug: 1663.

4. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur oblationem* ita debent extendi ut palmæ sint apertæ, pollice dextro supra sinistrum in modum crucis super manus non vero infra manus collocato. S. R. Congr 4. Aug. 1663.

5. Pars inferior Hostiæ præscindi debet non autem Superior quando dicitur *Pax Domini sit semper &c.* S. R. Cong. 4. Aug. 1663.

6, Sacerdotes non debent deferre manutergium

ſuper Calicem, tam eundo quam redeundo ab Altari. S. R. Congr. 1. Septembris 1703.

7. Quando eſt expoſitum SS. Sacramentum in Altari, non eſt omnino neceſse crucem collocare, quia ibi prototypus adoratur S. R. Congr. 2. Septembris 1741.

8. Crux parva quæ eſt ſuper Tabernaculum, etiamſi ſit cum Imagine Crucifixi non ſufficit, ſed debet poni alia ad oculos Celebrantis inter candelabra S. R. C. 16 Junii 1663.

Expoſitio SS. Sacramenti

9. Commemoratio de Ss. Sacramento debet fieri in Miſsa quæ cantatur coram expoſito, ſed poſt omnes alias orationes, exceptis 1mæ & 2dæ. Claſſis Feſtis, in quibus omitti debet S. R. C. Septem. 1741.

10. Genuflexio utroque genu eſt ſacienda dum tranſit Sacerdos celebraturus Miſſam ante SS. Sacramentum etiam Pixide expoſitum. S. R. C. 7. Maii 1746.

11. Dum autem se erigit Sacerdos genuflexus ante SS. caput cooperiat S. R. C. 7. Septemb. 1638.

12. Non debet Sacerdos expectare genu flexus donec terminetur Communio S. R. C. 5. Julii 1698.

Communio.

13. Quando in Miſsa ſolemni miniſtratur Euchariſtia Clericis vel Laicis, reliqui de Clero debent ſtare S. R. C. 9. Maii 1711.

14. Communio in Cæna Domini debet miniſtrari omnino per celebrantem, non verò per Diaconum aut alium aſſiſtentem S. R. C. 8. Aug. 1643.

15. In Miſſis Defunctorum ſeu in paramentis nigri coloris non poteſt fieri Communio per modum Sacrificii nempe de illis particulis quæ intra eandem Miſsam fuiſsent conſecratæ, bene vero per modum

dum Sacramenti extrahendo pixidem è Ciborio. S. R. C. 2. Septembris 1741.

16, Post mediam Noctem Nativitatis Domini non licet in Missa communicare Laicos vel Clericos S R. C. 7. Decembris 1641.

17. Non licet Regularibus in die prima Paschatis administrare Laicis Sacramentum Eucharistiæ in suis Ecclesiis, etiamsi dictæ Personæ sæculares jam alias satisfecerint præcepto de annua communione Paschali S.R. Congr. 9. Julii 1644.

Hoc autem intelligi debet de prima die Paschatis non vero aliis diebus prout declaravit S. R. C. 14. Januarii 1736.

18. Eadem die prima Paschatis abstinendum est Regularibus ab administratione Eucharistiæ etiam Tertiariis ejusdem Ordinis, prout expressè statuit Leo X. Constit: *Dum intra*

Incensatio

19. Quando fit incensatio Altaris majoris ad *Magnificat* coram exposito SS. Sacramento, non sunt alia Altaria thure adolenda, non obstante quod in alio quam in majori Altari fuisset reconditum Sacramentum. Ita statuit S. R C. 7. Maii 1746. Rationem dat eadem S. Congr. quia non est conveniens relinquere expositum SS. Sacramentum & pergere ad aliud Altare.

20. Dum incensatur Altare in quo est expositum publice SS. Sacramentum, non debet post illud incensatum Crux quoque incensari S.R.C. 29. Novembris 1738.

Reliquiæ Sanctorum.

21. Quando est expositum SS. Sacramentum Reliquiæ Sanctorum non sunt collocandæ in altari, cum

ibi

ibi jam sit Sanctus Sanctorum S R.C. 2. Septemb. 1741.

22. Cum exponuntur Sanctorum Reliquiæ debent ultra lampadem accendi duæ candelæ alias non exponantur sine illis S R.C. 22. Januarii 1701.

23. Reliquiæ S. Crucis non sunt incensandæ à Sacerdote genuflexo sed stante S. R. C. 15. Septembris 1701.

Processio Regularium.

24. Extra ambitum Eccesiæ non licet Regularibus facere Processiones nisi de licentia & consensu Parochi S. R. C. 26 Februarii 1628.

Quod debet intelligi etiam de Processione quæ solet fieri à Regularibus infra octavam Corporis Christi. S. R. C. 11. Decembris. 1613.

25. Qui Regulares habent Claustra, debent facere Processiones intra Claustra; si vero non habent fiant prope muros Ecclesiæ, aut exeundo ex una parte Ecclesiæ, & intrando per aliam S. R. C. 26. Februarii 1628.

26. Non licet Mulieribus comitari Processiones per claustra Monachorum vel Regularium, nisi adsit expressa licentia Sedis Apostolicæ S. R. C. 30. Septembris 1628. & quidem sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ ex Const. Bened. XIV. quæ incipit *Regularis disciplinæ* 3. Januarii 1742.

27. Regulares in publicis Processionibus non possunt prohiberi à Clero sæculari ne incedant sub propria Cruce, non obstante contraria consvetudine S. R. C. 2, Augusti 1631.

28. Potest Episcopus compellere Regulares etiam per Censuras, ut accedant ad publicas Processiones. S. R. C. 27. Junii 1609.

29. Excipe Monachos Cassinenses, qui solum cogi

possunt

possunt ad processionem SS. Sacramenti S, R. C, 10 Junii 1602.

30. Eucharistia in Festo Corporis Christi non est deferenda per viam Hebræorum S. R. C. 22. Februarii 1593.

Votiva.

31. Ubi adest immemorabilis consvetudo cantandi Missam Votivam de B. Virgine singulis Sabbathis, potest licite continuari, etiamsi occurrat Festum duplex, dum modo non omittatur Missa Conventualis S. R. C. 2. Decembris 1684.

32. Missa Votiva de B. V. in Sabbatho debet cantari cum Gloria sine Credo, etiamsi in Missa de Festo occurrente illo die deberet cantari *Credo* S. R. C. 2. Decembris 1684.

33. Votiva solemnis de B. V. potest celebrari etiam die Dominica non privilegiata, ratione concursus populi S. R. C. 20. Novembris. 1662.

34. Dum præter Missam Conventualem cantatur Missa ex fundatione Votiva, in illa non debet fieri commemoratio Festi S. R. C. 23. Junii 1736.

35. Supplicatum fuit à Polonia ad S. R. C. ut in Adventu singulis diebus celebretur Missa *Rorate* non obstantibus Festis 1mæ vel 2dæ Clausis aut Dominicis privilegiatis, sed responsum est à S. Congr. negative 1. Decembris 1742.

Licite tamen hucusque talis quotidiana Votiva celebratur in Adventu propter Populi concursum, prout superius concessit eadem S. R. C. 20. Novembris 1662, & novissime 29. Januarii 1752, Ubi monet S. R. C. talem Missam non debere dici Votivam solemnem pro re gravi vel publica necessitate, sed ob meram populi Devotionem.

36. Est autem expresse Decretum S. R. Congr.

ema-

emanatum 28 Septemb. 1658. ut novem diebus continuis ante Nativitatem Domini possit decantari unica Missa Votiva de B. V: solemnis cum Gloria & Credo, non obstante Festo D. Thomæ Apost. aut Dominica tertia vel quarta Adventus.

Ubi nota, quod in tali Votiva non debet fieri commemoratio Festi vel Dominicæ currentis, & præfatio cantanda est de B. Virgine, ac in fine dicendum Evangelium S. Joannis.

Excipe tamen Festum Expectationis partus B. V. in quo non Votiva Missa sed occurrens celebranda erit cum commemoratione Festi aut simplicis; si quod ocurrat. Plura videantur Art: *de Votiv.*

Confessio

37. Potest Episcopus cogere Sacerdotes Sæculares ut audiant Confessiones cum super pelliceo & stola, & Regulares ut cum stola tantum. S. R. C. 28. Augusti. 1628.

38. Post mediam noctem Nativitatis, aut tempore Missæ Nocturnæ non est licitum audire Confessiones, sed expectanda est aurora. S. R. C. 23. Martij 1685.

39 His declarationibus S. R. Congregationis addenda foret Constitutio 278 Urbani VIII. quæ incipit *Cum Ecclesiæ* in qua serio prohibetur sub Excommunicatione latæ Sententiæ, ne à Clericis in Ecclesia sumatur tabacum, multo magis a Sacerdotibus ante Missam vel in Missa; sed quia contraria invaluit consvetudo quæ est immemorabils, neq; illi contradicitur ab Ordinariis locorum, hinc videtur cessare eadem Constitutio quo ad obligationem & pænam.

40 Pro complemento colligendum est, quod *Immemorabilis consvetudo* contra legem Ecclesiasticam est illa, quæ per 40 annos continuatur, neq; illi à Superiore contradicitur. Contra vero legem Civilem

vilem debet continuari per 10 annos juxta probabiliorem sententiam.

ARTICULUS IV.

De Modo celebrandi Sacrificium Missæ

1. *Quomodò potest Sacerdos legere accuratè Missam?*

R. Tunc, si attentè leget Rubricas & Expositores super illas, & quidem in principio sui Sacerdotii, nam si pro tunc negliget dum est Neo Presbyter, nunquam postea addiscet, eò quia malè assvescet.

2. *Quomodo legi debet Missa?*

℟. Juxta Eman. *Sa.* legenda est cùm A. B. C. D. id est: Altè. Breviter, Clarè & Devotè.

3. ALTE. *Quotuplici voce Missa recitari debet?*

℟ Triplici: Altâ, Mediâ & Submissâ sivê Secretâ.

4. Alta voce dicuntur in Missa illa omnia, quæ cantantur á Celebrante.

5. Mediâ voce, id est nec omninò altá, nec submissâ dicuntur omnia á principio Missæ usq; ad Canonem. Et in Canone eadem voce dici debent illa verba: *Nobis quoq; peccatoribus* & *Domine non sum dignus*, út excitetur populus ad devotionem.

6. Submissâ voce seu Secretâ, totus Canon dici debet, juxta *Merati* & alios.

7. Qui recitat alté, quæ submissè dici debet, peccat mortaliter si verba audiantur ad 40. passus, ùt omnes DD. judicant Ratio hujus data est superiús pag. 277. Venialiter autem peccat legens illa submissè, quæ altè recitari debent *Pasq.* q. 231.

8. BREVITER. *Quam diu Sacrificium Missæ durare debet?*

℟. Privata Missa saltem mediâ horâ & non diutiús prolonganda est, ne fastidium audientibus pariat. Ita Synodus Colon. 1662. pag. 91.

Minori

Minori autem spatiô quam 20. minutîs Sacrificium Missæ non est absolvendum, prout præcepit *Innoc.* XI. Nam summe dedecet festinare in Sacrificio Missæ, taliter enim celebrans, putat se perditurum tempus ad Aram, quod post Missam, otiô aut inutilibûs consumit fabulîs.

9. Si quando expediat solitò citiús absolvere Missam, cavendum est Sacerdoti ne festinet in illis, quæ fiunt publicê, nempe in genuflexionibus, conversionibus ad populum, &c. quia sic populus scandalizatur; sed potius in tali casu, abbreviari illa debent, quæ secretó dicuntur, ut sunt *Memento*, particulares affectus &c.

10. CLARE. *Quàm clare debet recitari Missa?*

℟. Ita, út seipsum Sacerdos audiat, quia aliàs peccaret mortaliter, juxta plures DD. citatos apud *Dianam* P. 2. t. 12. R. 9.

11. *DEVOTÆ; Qualis devotio requiritur in Sacrificio Missæ;*

℟. Major quam in Div. Officio, cúm sit opus longè præstantius. Hinc graviter peccant, qui consultó á latere prætereuntes, aspiciunt, vel dum convertuntur ad populum, quia tales ex obiecto maximam distractionem accipiunt, ratione cujus sibimetipsis, periculum erroris pariunt.

12. *Licitumne est Celebranti sub longo cantu ad Gloria vel Credó particulares Orationes recitare?*

℟. Affirmative, meliús enim est pro tunc orare, quam otiosís cogitationibûs vagari. ita *Cajet:* *Gob.* in. 753.

13. *Quomodo peccat Sacerdos distractus in Celebratione Missæ;*

℟. Si sit distractus extra Canonem, solum peccat venialiter, etiamsi longo tempore duret distractio, juxta *Tamb.* de Sac. Missæ l. 2. c. 3. Si verò sit distractus in Canone, peccat mortaliter juxta eundem *Tamb.* *Gob.* & alios.

alios, saltem ob periculum erroris. Quodsi nullum ad sit, veniale solùm judicat *Diana. Quarti.* & alii.

14 *Quomodo Sacerdos vitare potest distractiones?*
℟ Debet applicare animum ad verba quid significant literaliter vel mystice.

15. *Quotuplex est significatio verborum in Missa.*
℟. Duplex: Literalis & Mystica, quæ etiam in Div. Offic. considerari potest.

17. *Literalis* est illa; quam verba immediate important.

18. *Mystica* est illa: quæ sub rebus significatis per verba quasi velamine & figura concluditur. Et hæc aliter vocatur *Arcana & Spiritualis.*

19. *Quotuplex est Mystica significatio;*
℟. Triplex Tropologica, Allegorica, & Anagogica.

20. *Tropologica* seu Moralis, refertur ad formationem vitæ aut morum.

21. *Allegorica* exprimit aliquod mysterium, sub figura vel metaphora rei significatæ per verba.

22. *Anagogica* refertur ad ea, quæ sunt æternæ felicitatis. Quæ omnes hîs versibûs explicantur:

Litera gesta docet, quid credas Allegoria.
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

ARTICULUS V.

De Ritu Celebrandi Missam,

1. *Quam Missam Sacerdos celebrare quotidie debet?*
℟. Illam, quæ concordat cum D Officio, quod illâ die recitavit, ût à Rubrica præscribitur, nisi Votivam aut de Requiem celebraturus sit.

2. Missæ certis Regularibus concessæ, non possunt ab aliis celebrari, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis. Ex Decr. S. R. Cong. 19. Novembr. 1622.

3 Communicatio amplissima Privilegiorum unius

Bulli.

Religionis, cum alia, non se extendit ad Officia Sanctorum, consequenter neq; ad Missas. S. R. C. 16. Septembris. 1679.

4. Licitum tamen est cuicunq; Sacerdoti Missam celebrare secundum publicū illius Ecclesiæ Officiū, in qua celebrat, quamvis discordet ab Officio quod ipse recitaverat, propter conformitatem, nisi sit Missa propria talis Ecclesiæ ut dictum est n. 2. Ita S. R. C. 11. Junii 1701.

5. Sacerdotes exteri confluentes ad Ecclesias Regularium, dum celebrant apud eosdem, debent se conformare cum iisdem Regularibus quo ad Credo & numerum Orationum, sed pro tunc, quando Festum celebratur cum solemnitate & concursu populi; Si vero absq; solemnitate celebratur, possunt se conformare quidem in prædictis, sed non tenentur Ex. Decr: S. R. C. 11. Junii 1701.

6. Similiter exteri celebrantes in Ecclesia Regularium tenentur eundem colorem adhibere, quo utuntur prædicti Regulares, & possunt dicere commemorationem Octavæ; si quæ fiet in eadem Ecclesia, quam conformitatem etiam Regularibus concedit eadem S. R. C. 1701. dum celebrant in alienis Ecclesiis

Plura videnda sunt de conformitate Missæ supra

ARTICULUS VI.

De Incensatione Altaris et Oblatorum

1. *Quando fieri debet Incensatio?*

℟. Pro tunc, quando cum Ministris Vesperæ vel Missa celebratur, non vero si absq; illis absolvantur. Ex Decr. S. R. C. 19. Aug. 1651.

2. *Quotuplex est Incensatio?*

℟ Quadruplex, nempe: Altaris, Oblatorum, SS. Sacramenti, & ipsius Celebrantis ac Ministrorum.

§. 1.

Celebrantis ac Ministrorum.

§. I.

De Incensatione Altaris.

3. *Quomodo fieri debet Incensatio Altaris, dum non est expositum Sacramentum?*

℞ Juxta doctrinam Gavanti & Merati hôc modô: I. Si ſit incenſatio in Miſsa, Sacerdos dicta Orat: *Aufer à nobis* &c. & oſculatô Altari ſtabit in medio, cui Diaconus porrigit cochlear osculando illiud in ſummitate manubrii, ac dexteram manum ipsius Sacerdotis in exteriori parte, non vero digitos. Deinde versùs illum inclinatus dicit: *Benedicite Pater Reverende.* Si vero ſit Epiſcopus, aut Abbas, dicendum est: *Pater Reverendiſsime.* Similiter ſi erit Generalis aut Provincialis, quia iſti apud Regulares, Ordinarii habent dignitatem. Tunc Celebrans manum ſiniſtram pectori admovens, accipit cochlear à Diacono, ter è navicula thus accipiendo trinâ vice ponit illud in thuribulum ita distincte, ùt in prima thuris immiſsione dicat: *Ab illo benedicaris*, in ſecunda: *in cuius honorem*, in tertia: *cremaberis*, redditôq; cochleari, ſignat thus impositum nil dicendo.

II. Quô expleto, accipiens Diaconus thuribulum de manibus Thuriferarii porrigit illud Celebranti, prius tamen ſummitatem catenularum oſculando, deinde eandem ſummitatem ponit in ſiniſtra Celebrantis, extremitatem vero in dextera, osculans illam ut supra.

III. Tunc Celebrans accepto thuribulo facit profundam Cruci inclinationem, ter æquali ductu incensando illam nil dicens, quibus finitis iterum Cruci profunde inclinari debet.

IV. *Nota*, quod ſi Incenſatio fiat ad Majus Altare, ubi SS. Sacramentum est inclusum in tabernaculo, non Cruci debet fieri inclinatio, ſed Vene-

rabili

rabili genuflexio ante & post incensationem, in quo casu Celebrans adorat quidem clausum Ss. Sacramentum, non tamen illud thurificat, sed Crucem. Quoties autem in thurificatione transit per medium Altaris, debet unicum genu flectere tangens manu Altare, ùt citiùs surgat, non tamen Ministri tangere debent, ùt notat *Merati*.

V. Finita incensatione Crucis thurificat reliquias duplici ductu si adsunt, prius tamen illas, quæ sunt in cornu Evangelii. Postea incensat Altare, incipiens à latere Epistolæ, ter ducens thuribulum æquali distantiâ, pro ut distribuntur candelabra, usq; ad extremitatem illius cornu Epistolæ, tot movens passus, quod thuribuli tractus, manus cum pede in motu concordando. Non debet autem plures facere ductus etiamsi sint plura vel pauciora candelabra, quia non candelabra, sed Altare incensatur.

VI. Cum ad cornu Epistolæ pervenerit, inclinat se aliquantulum. demissâq; manû cum thuribulo, semel incensat inferiorem partem lateralem Altaris, deinde superiorem, bis ducendo thuribulum.

VII. Deinde conversus ad Altare, & faciem ad medium vertens, elevat manum & incensat in superiori parte planitiem; ducens thuribulum obliquâ lineâ venit in semicirculum á dextra sua ad sinistram, procedendo ad medium. Et factâ eòdem modo incensatione alterius cornu Evangelii, non redit adhuc perfectè ad medium Altaris, sed demissâ manû ad frontem Altaris, incensat illud ter ducens thuribulum rectâ lineâ à cornu Evangelii usq: ad medium, ubi perveniens profunde inclinatur Cruci & pariter incensat triplicî ductû alteram partem Altaris usq; ad cornu Epistolæ, ibiq; reddens utrâq; manû thuribulum Diacono, ac conversus ad illum stat junctis manibus, dextrô brachiô quasi tangens cornu Epistolæ, incensatur ab illo, cui nullatenus inclinatur

tur ante & post incensationem, quamvis ipse Diaconus profunde inclinari tenebitur.

VIII. Si in medio Altaris sit exposita aliqua insignis reliquia, hæc immediate post Crucem duplici ductu incensari debet, absq; ulla inclinatione vel reverentia, ob Crucis præsentiam. post quam incensandæ sunt aliæ reliquiæ ut supra.

IX. Si in Altari nullæ sunt expositæ reliquiæ tunc post Crucem incensandum est statim Altare omissis numerîs 4. 5. 6. 7.

X. Quæ út facilius imprimatur memoriæ, ponitur Tabula, in qua numeri significant ductus thuribuli, locus autem numerorum denotat locum ductuum.

§. II.

De Incensatione Altaris, exposito SS. SACRAMENTO.

Quomodo fieri debet Incensatio expositô Sacramentô; ℟ Hôc modô

I. Celebrans accedens cum Ministris ad Altare, debent ambo genua flectere in plano ante infimum gradum, ac Caput profunde inclinare, quod etiam observare debet quoties transit ante expositum Venerabile Sacramentum.

II. Postèa ascendens ad secundum gradum, imponat thus in thuribulum trinâ vice ut supra, cum hac tamen differentia; quod præsente SS. Sacramento non debet Diaconus osculari cochlear aut manum Celebrantis. Item non debet peti benedictio thuris, si solum Venerabile est thurificandum, secus verò omittenda non est, si etiam Altare ac ipse Celebrans incensari debet, quod bene notandum est

III. Celebrans acceptô thuribulo à Diacono post profundam inclinationem incensat SS.

Sacra

Sacramentum triplicî ductû, motû gravî, interpositâ brevî morulâ inter unum quemq; ductum, quô tempore omnes Ministri flectere debent.

IV. Tandem, surgens Celebrans accedit ad Altare cum Ministris Sacris nempe cum Diacono & Subdiacono, ubi facta genu flexione incensat Altare more solito, omittendo incensationem Crucis ac Reliquiarum, ut notat *Merati* p. 2. tit. 14.

Quæ sunt notanda circa expositum V. Sacramentum?

℞. Hæc sequentia: I. Dum est expositum V. Sacramen: omnes tam accedentes, quàm recedentes cujuscunq; Ordinis ac Dignitatis sint, semper capite nudô utrumq; genu flectere debent. Ex Decr. S. R. C: 16. Aug? 1651,


II. Dum tempore Processionis cum Ss. Sacramento elevatur hostia vg. in Missa privata, non debent transeuntes flectere, quia omnes sunt in actuali servitio & adoratione Sacramenti. Multo magis à genuflexione abstinere debent transeuntes versus Ss. Sacramen: in tabernaculum inclusum, ut docet *Merati*. P. 2. tit. 14.

III, Quando in Processione vel post, benedicitur Populus cum V. Sacramento debet Sacerdos perfectam Crucem facere cum eodem V. Sacram: & postea gyrum perficere, ut benedicantur & illi qui à tergo sunt. Ita *S.* R, C. 21. Mart. 1676.

IV. Non debet fieri concio capite tecto ante expositum publice Sacram. Ex Decr. *S.* R. C. 16. Febr 1630.

V, Non licet celebrare Missam privatam in illo Altari in quo est expositum publice Sacram: præsertim si in illa Ecclesia adsint plura Altaria. ita *S. R.* C. 9. Aug. 1670.

VI. Dum cantatur Missa coram exposito V. Sacram; debet fieri commemoratio de illo post alias



Tabula I. In qua continetur Ordo incensandi Altare, tam in Vesperis, quam in Missa.

Orationes, quæ ſunt de præcepto. In Miſſis autem ſolemnibus 1*mæ* aut 2*dæ* claſſis eadem commemoratio debet fieri ſub unica concluſione cum Oratione Feſti. Ex Decr. S R. Cong. 23. Junii 1736.

§ III.

De modo incenſandi Oblata

Quomodo debeat fieri Incenſatio Oblatorum?

℟. Hoc modô:

1. Poſtquam dixerit Celebrans: *Veni Sanctificator* &c. accipit cóchlear à Diacono cum oſculo, ſi non eſt expoſitum SS. imponens ter thus, dicendo: *Per intercesſionem S. Michaëlis* &c. ubi licèt Diaconus petat benedictionem thuris, non tamen debet flectere.

2. Acceptô thuribulo incenſat Oblata, nullam faciendo inclinationem aut genuflexionem, etiamſi ſit expoſitum V. Sacram. incenſabit autem ter ducens thuribulum ſuper Calicem ſimul & hoſtiam per duas lineas, quarum una erit directa, altera tranſverſalis. Non debet autem Celebrans demittere & elevare thuribulum per quatuor partes, quaſi puncta quatuor efformando, ſed æquali altitudine ductus fieri debent, quia aliàs facilè effunderetur vinum.

3. Quando autem Celebrans incenſat Oblata, pedem Calicis Diaconus manu dextra à latere Epiſtolæ tenere debet, hoſtia autem non eſt tegenda patenâ, quia hanc Subdiaconus pro tunc ſtans in medio poſt ultimum gradum tenere debet uſq; ad illa verba Orationis Dominicæ: *Et dimitte nobis debita* &c. In quo loco ſtans, nunquam genuflectit, niſi ad elevationem hoſtiæ. Ex quo patet, quód ab Offertorio uſq; ad prædicta verba ſolus Diaconus proximè aſſiſtit Celebranti. Hic tamenu Ritus

quibusdam in locis solet aboleri, èo; quia non adest Ceremoniarius, qui adjuvet in Ministerio Diaconum.

4. Post incensationem Oblatorum modò qui in tabula describitur. Diaconus amovet Calicem è medio Altaris collocans ipsum in cornu Epistolæ, tunc Celebrans factâ Cruci inclinatione aut genuflexione (si V. Sacram: est occlusum in tabernaculo) incensat Crucem, quâ finitâ reponitur à Diacono Calix in suo loco· Celebrans verò prosequitur incensationem Altaris ùt supra, dicens: *Dirigatur Domine* ita distinctè; ùt ad singulos ductus quasi singula exprimat verba.

5. Quomodo autem faciendæ sint Cruces & circuli in incensatione Oblatorum, & qualiter distribui debent verba? faciliùs & breviùs hâc tibi demonstro figurâ,

6. Si autem expositum sit V. Sacramentum tunc Celebrans finita incensatione Oblatorum, descendit ad secundum gradum Altaris, ibiq, genuflexus trino ductu incensabit V. Sacramentum: surgensq; postea ascendit ad Altare, ubi genuflexus incensat illud modo solito, sicut in prima tabula describitur, omittendo incensationem Crucis & Reliquiarum,

ARTICULUS VII.

De Inclinationibus, Crucibus, ac Ritu Manuum in Missa.

Quotuplex est Inclinatio?

℞ Triplex; Profunda, Media, & Infima; quibus etiam adjungitur Genuflexio,

Profunda: est capitis & humerorum profunda incurvatio.

Media. est capitis & humerorum modica incurvatio.

Infima



Tabula incensandi Oblata permodum Circul

Infima: est solius capitis demissio.

2. *Quando in Missa debet fieri profunda Inclinatio?*

℟. Tunc, dum Celebrans accedit vel recedit ab Altari, ubi non est V. Sacramentum Ad: *Confiteor*. Ad *Munda cor*. Ad *Te igitur*. Ad *Supplices*, & dum sumit S. Hostiam.

3. *Quando media?*

℟ Post Conf. Ad: *DEUS Tu Conversus*. Dum dicit: *In Spiritu humilitatis*. *Suscipe S. Trinitas*. Ad: *Sanctus* Ad: *Agnus DEI* & Orationes sequentes, Ad: *Domine non sum dignus*.

4. *Quando Infima?*

℟. Ad Invocationem Nominis IESU & MARIÆ aut Sancti de quo celebratur Missa, vel fit commemoratio; de qua inclinatione vide inferiùs p. 363. n. 15. Item ad: *Placeat Tibi Sancta Trinitas* & quoties Celebrans abit vel redit ad medium Altaris. Pro quò.

5. *Nota 1mo*: quòd dum ante recessum vel post accessum ad medium Altaris immediatè debeat fieri inclinatio, propter vg. osculum Altaris, pro tunc non est facienda nova Cruci inclinatio, quia se, jam satis Celebrans inclinavit, aliàs in continua agitatione deberet existere.

6. *Nota 2dò*: quód dum Celebrans recedendo vel accedendo ad Altare (ubi non est V. Sacramentum) inclinatur profundè Cruci, Minister pro tunc debet genuflectere coram eadem Cruce, ut docet *Rubr*. Mis. p. 2. tit. 2. n. 7.

Cruces.

7. *Quomodo Cruces fieri debent in Missa?*

℟, Non debent fieri manu transversa, sed rectâ in transversa parte. Ex Decr. S. *R*. C. 24 Junii 1983. Id est, dum secunda producitur linea Crucis,

quæ est transversa, non debet fieri curvata manu, sed rectâ, eo modo, quo fuit producta prima linea recta. & ad summùm minimus digitus curvari debet, ac si illo solo daretur benedictio, ùt docet *Merati* p.2. tit. 7. n. 20. Quod etiam in benedictione populi aut alterius rei, servari debet.

8. Quoties Celebrans benedicit aliquid, nunquā in àëre debet tenere sinistram, sed si seipsum, vel populum signat, sinistram debet applicare infra pectus, si verò Calicem vel Oblata, in Altari illam locare debet.

9. Dum signatur Calix & postea Hostia, non debet deprimi manus ad hostiam, sed eadem altitudine debet formari Crux supra hostiam, quâ formatur super Calicem, quia aliàs in celeri motu dexteræ facilè posset trudi Calix.

Ritus manuum.

10. Quoties Celebrans inclinatus dicit Orationem in medio Altaris, junctîs manibûs, debet illas ponere in Altari, exceptò ad: *Munda cor meum*, & ad: *Sanctus* quas pro tunc inclinatus tenet in aere supra Altare.

11. Dum extenduntur manus in Missa, non debent latitudinem corporis, neq; altitudinem humerorum excedere.

12. Quomodo autem sunt tenendæ manus ad: *Hanc igitur?* dicetur inferiùs

ARTICULUS VIII.

De Gloria, Collectis & Credo.

1. *Quando dicitur Gloria in Missa.*

℟. Tunc dum in Matutino dicitur: *Te DEUM laudamus*, exceptîs Feriâ 2. & 3. Rogat Feriâ 5. in Cæna D. & Sabbatho S. in quibus canitur Gloria,

etiamsi

etiamsi prædictus Hymnus in Matutino non recitetur.

2. Item non dicitur in Missis, quæ non concordant cum Officio diei, uti in Vigiliis, Votivis, de Requiem,

3. In quibus autem Votivis dicitur Gloria, dictum est superiùs pag. 285.

Collectæ

4. Quando in Missa assignatur 3*tia* Oratio ad libitum, tunc potest recitari quæcunq; Oratio etiam pro defuncto. Ex Decr. S.R.C. 2. Decembr. 1684.

5. In Collecta, quæ dicitur contra Paganos non potest mutari Nomen Paganorum, dicendo: Turcarum, Ita S. R. C. 30. Julii. 1689.

6. Oratio: *A cunctis*, &c, tunc dicitur in Missa, quando in laudibus fiunt Commemorationes Sanctorum, exceptó in Missa Vigiliarum. Ita *Merati* p. 1. tit. 9.

7. In eadem Orat. *A cunctis* Nomina SS. Michaëlis & Joan. Baptistæ. præponenda sunt Apostolis. Ex Decr. S. R. C. 22. Aug. 1620.

8. Item Nomen S. Ioseph præponi debet Apostolis. Ex Decr. Bened. XIII. 19. Decembr. 17 6.

9. In Oratione: *A cunctis* sub litera N. debet exprimi Patronus Ecclesiæ, non vero Patriarcha Ordinis, ut notat *Merati*. Potest tamen fieri utriusq; commemoratio, servatâ primitate quo ad dignitatem. Si vero Patronus illius Ecclesiæ nominetur in prædicta Oratione ante literam N. vg. quia est Ecclesia sub tit. Beatissimæ, aut SS. Petri & Pauli, tunc sub litera *N.* potest quicunq; alius Sanctus nominari ad placitum Celebrantis.

Credo

10. Credo dicitur in omni Dominica qualecunq; sit Officium in illa, aut Missa, dum modo non sit de Requiem.

11. In festis omnium Doctorum, in quorum vesperis dicitur: *O Doctor optime*. Ita *Merati* p. 1. tit. 11. n. 7.

12 In Missis de Beatis non dicitur Credo. Ex Decr. *S*. R. C. 12, Julii 1664.

13. In festis SS. Martyrum, Confessorum, & Virginum, quæ celebrantur sub ritu duplici majori, non dicitur Credo. Ex Decr. *S*. R. C. 10. Junii 1700.

14. Octavæ totæ habent Credo, si festum habeat.

SECTIO X.

De Ceremoniis in particulari per decursum totius Missæ.

In præsenti Sectione non commemorantur omnia, quæ fieri solent in Missa, nam hæc in Rub. Missalis satis longâ paginâ describuntur, sed tantùm adducuntur aliqua, quæ ex recentioribus Rubricistis collegi. Rubrica enim Missalis licèt fusè hæc omnia descripserit, adhuc tamen in aliquibus confusè informat. Hinc claritatis gratia sit:

ARTICULUS I.

De Ceremoniis ab egressu Sacerdotis è Sacristia, usq; ad Offertorium.

1. *Quomodo Celebrans egredi debeat ad Missæ Sacrificium?*

℟. Accepto Calice manu sinistra per nodum, dextra vero positâ super bursam, facit profundam reverentiam Cruci, quæ in præstantiori loco Sacristiæ adesse debet.

2. Non debet autem super Calicem quidquam ponere, præsertim manutergium; hoc enim expressè prohibitum est á S. R. C. 1. Septembr. 1703.

3. Dum

3. Dum transit ante Altare in quo absconditum est SS. Sacramentum uno genu flectere debet, non tamen caput detegat, nisi Calice in manibus careat. Similiter non est detegendum caput, si illi occurrat alius Sacerdos, aut Prælatus, vel alia dignitas, cum enim manu dextra super calicem bursam teneat, periculum esset, ne patena cum hostia decidat. Ita *Merati*. p. 2. tit. 2. n.

4. Quando transit versùs Altare, in quo est expositum SS. Sacramentum, vel elevatur Hostia, aut Communio distribuitur, utroq; genu flectere debet, & postèa Caputium aut biretum deponat, ut docet *Merari* loc. cit.

5. In distributione Sacramenti. non est transeunti Sacerdoti genuflectendum hucusq;, quousq; terminetur Communio, prout declaravit S. R. C. 5. Julii 1698. Cæterum in elevatione Hostiæ flectere debet, quousq; non finiatur Calicis elevatio.

6. Si advertat quod in minoribus Altaribus adsint jam consecratæ species ob Missæ celebrationem, probabilius non debet ad omnia genuflectere, sed tantum ad illud, versùs quod immediatè transit, ubi unicum genu flectendum est apertò vel etiam tecto capite, quia est Sacramentum quasi absconditum ob præsentiam Celebrantis. Ita *Merati* cum aliis.

7. Dum per medium Chori transit, in quo cantatur *Gloria Patri*, vel alia Oratio. ad quam omnes Choristæ inclinantur, debet etiam & ipse transiens Sacerdos manere inclinatus, donec prædicta finiatur reverentia. Ita *Castald.* lib. 1. c. 16.

8. *Quid facere debeat Celebrans veniens ad Altare, in quo celebraturus est?*

℞. Si ad majus Altare accedat, unum genu flectere debet in infimo gradu, si non est expositum

V. Sa-

V. Sacramentum. Si verò sit expositum, utroq; genu flectendum est. Quoties autem in recessu vel accessu ad Altate genuflectit, post genuflexionem non debet fieri Cruci inclinatio, quia illa hanc includit, ut docet *Merati.* pag. 197. Si verò accedat ad Altare ubi non est inclusum Sacramentum, Cruci duntaxat inclinationem faciet, Minister autem coram eadem Cruce genuflectet, ut docet *Gavantus* & *Merati.*

9. *Ubi calicem ponere debet?*

℟. Ad cornu Evangelii, non propter aliquod mysterium, sed propter commodum, ad facilius exponendum Corporale.

10. *Quomodo extendi debet Corporale?*

℟. In medio Altaris, ita: ut non excedat mensæ anteriorem partem, neq; etiam procul sit à manibus, nam intra Corporale Celebrans manus tenere debet, quoties post consecrationem genuflectit *Item* si in extremitate Corporalis est aliqua Crux acu depicta, in anteriori parte Altaris collocari debet, ut Sacerdos deosculans Altare illam pariter osculetur.

11. *Quomodo ab Altari descendere debet?*

℟. Non directè quia sic Cruci aut tabernaculo terga verteret, quod maximè in expositione V. Sacramenti observari debet, nisi sint multùm distantes gradus.

12. *Quæ observari debent in Confessione?*

℟. Hæc sequentia:

1mò Non debet Sacerdos pro libitu suo addere Nomen alicujus Sanct: vel Patroni.

2dò. Dum dicit: *Vobis Fratres* aut: *Vos Fratres* non debet se vertere modo ad hunc modo ad illum Ministrum, ùt docet *Quarti* §. 3. benè vero Ministri ut patet ex Rubr: Missal. Alii autem cum *La Croix* I. 6, p. 2. volunt Sacerdotem

cerdotem in Missa solemni debere verti ad hunc & illum Ministrum dum prædicta dicit verba, non vero in privata

3tiò. Non debet graviter tundere pectus, quia tunsione non ossa sed cor significatur conteri, ut dicit *S. Aug.*

4tò Dum dicit: *Misereatur* &c. non dicat *tui* sed *vestri*, etiamsi sit unus Minister. Ratio est, quia Minister facit Confessionem Nomine circumstantium. *Item* dum ait: *dimissîs peccatis vestrîs* non addat *omnibûs*, hoc enim deletum est in Missali novo correcto, ut ait: *Merati* p. 2.

5tò Datâ absolutione Ministris, dictîsq: quatuor versibûs; dicet *Oremus*, adhuc inclinatus extendens & jungens manus, non tamen elevans usq; ad humeros, ut docet *Ceremon. Miss. priv.* c. 4. Neq; faciem erigit ad cælum, ut notat *Merati* pag. 222. postea submissa voce orans: *Aufer à nobis* junctîs manibûs ascendit ad Altare, ut præscribitur in Rubr: Missalis.

13. *Ubi dicendum est Kyrie eleyson?*

℞. In medio Altaris, non vero in transitu à cornu Epistolæ ad medium. In solemni vero Missa in cornu Epistolæ dici debet, ut patet ex *Cerem: Episc:* lib. 2. c. 2.

14. *Quo ritu debet dici Gloria?*

℞. Hoc modo, dum dicitur: *Gloria in excelsis* extendi debent manus usq; ad humeros, quando vero dicitur; *DEO* jungendæ sunt & caput Cruci inclinandum.

15 *Quæ observari debent in recitatione Collectarû?*

℞. Hæc sequentia. 1mò: Non sunt nominanda cognomina Sanctorum, ut superius dictum est. Sect. VI. Art. 3.

2dò Dum nominatur Nomen JESU, MARIÆ,

aut

aut *Sancti* de quo fit Missa, debet fieri inclinatio infima, ad Nomen JESU versús Crucem, ad Nomen autem MARIÆ & aliorum SS. versus librum.

3tiò. Dū in Collecta dicitur: *Per Dominū* debet Celebrans jungere manus cum inclinatione media versus Crucem; quandò verò concluditur Oratio hîs verbîs: *Qui vivis & regnas &c.* Vel *Qui tecum vivit* &c. jungendæ sunt manus usq; ad illa verba *in unitate Spiritûs*, non tamen inclinandum est sicut in priori conclusione, quia hîc non fit expressa mentio SS. Trinitatis sicut ibi, ut bene advertit *Merati.* tit 5. n. 10.

Cætera fiunt, ut in Rubrica Missalis præscribuntur.

16. *Quo ritu dici debet: Munda cor meum?*

℟. Hoc modo, qui in Rubr. Mis. præscribitur, cui addendum est ex Gavanto, quod tunc inclinatus Celebrans non debet ponere junctas manus super Altare, sed illas inter pectus & Altare teneat. Deinde non debet dicere: *Jube Domne.* sed: *Jube Domine*, quia petit benedictionem à DEO non ab homine, ut superius dictum est. Sect. VI. Art. 3.

Diaconus autem petens benedictionem a Celebrante debet dicere: *Jube Domne* ut notat Gavant. p. 96. & *Merati* tit. 6. n. 4.

17 *Quæ observari debent in Evangelio?*

℟. Hæc sequentia:

1mò. Dum Celebrans dicit: *Sequentia Sancti Evangel.* Vel *Initium* quadruplex format signum Crucis. 1. in principio Evang. 2. in fronte. 3. in ore. 4. in pectore, & quidem junctîs quatuor digitîs ac summitate erecti pollicis prædictas Cruces facere debet. Quando autem format Crucem in libro, sinistram in extremitate ejusdem libri ponere debet, dum vero signat seipsum, eadem sinistra

infra

infra pectus tenenda est, quod etiam in aliis Crucibus observari debet.

2do Dum in lectione Evangelii inclinandum est caput, vel genuflectendum, id nunquam fieri debet versus Crucem vel SS. Sacram: sed versus librum, ut monet *Gavant* &. *Quarti.* p 2. t. 13.

18. *Quid notandum est circa Symbolum?*

R. Hoc præcipuè.

1mò Dum Celebrans dicit; ad vocem *Credo* extendit ac elevat manus. Ad: *in unum* jungit illas, ad *DEUM* caput inclinare debet.

2dò Dum dicit: *Et incarnatus est* debet unico genuflectere usq; ad illa verba inclusivè: *Et homo factus est.* excepto in die Annuntiationis B. V. M. & in tribus Missis Nativitatis Domini, in quibus ad illa verba: *Et homo factus est* etiam in privata Missa, multo magis in solemni Celebrans utroq; genu flectere debet, & omnes alii circumstantes, ob reverentiam tanti mysterii, cujus singularis memoria prædictis diebûs colitur, ut docet *Gavant.* & ex illo *Merati* tit. 6. n. 40.

ARTICULUS II.

De Ceremoniis ab Offertorio usq; ad Canonem.

1. *Quæ observari debent circa Offertorium?*

R. Hæc sequentia:

1mò: Dum Celebrans convertitur ad populum cavere debet, nè innitatur Altari, quod à tergo relinquit, quia sic non absq; magno detrimento Ecclesiæ pretiosam planetam destrueret, ut sæpius inconsiderati faciunt.

2do: Dicto Offertorio discooperit Calicem, ponens velum plicatum ad partem Epistolæ non in

Corpo-

Corporali, sed propè illud, ita autem velum plicari debet, ut pretiosior materia servetur intus, ne a defluente cera maculetur, quo peracto accipit patenam cum Hostia, quam non aliter tenere debet nisi inter pollicem, indicem, & medium digitum utriusq, manus elevatam supra medium Corporalis ad altitudinem pectoris, & non altius, ita tamen, ut aliquantulum distet à pectore Celebrantis. Dictaq; Oratione *Suscipe S. Pater* & non prius, utraq; manu tenens patenam cum hostia faciet cum ea Crucem super Corporale, non tangendo Corporale patenâ, quæ Crux juxta omnes Rubricistas unius palmi longitudinem excedere non debet. Tandem patenam deponit subtus Corporale à cornu Epistolæ ut docet *Merati.*

3tio: Post hæc, accedet ad cornu Epistolæ, ubi accipiens Calicem sinistrâ per nodum, dextrâ illum purificabit, tenensq; purificatorium, intra digitos sinistræ manûs, infundat vinum non in magna quantitate, sed ad unum non nisi haustum.

4to Dum Minster porrigit ampullas, osculetur illas, non vero manus Celebrantis, ut docet *Merati.*

5to Post hæc, junctîs manibûs recedit ad medium Altaris, non tamen secum portans Calicem, quia hunc in cornu Epistolæ relinquit, & postea stans in medio illum accipit ac offert.

6to: Dum offert Calicem, tenebit illum sinistrâ per pedem, dextra vero per nodum infra cuppam, ita tamen, ut Calicis cuppa seu summitas non excedat oculos, nec etiam sit infra os, sed paulo infra oculos, intentîsq; ad Crucifixum oculîs dicat: *Offerimus Tibi &c.*

2 *Ubi finiri debet Psalmus: Lavabo?*

℟. Juxta *Gavant. Lochner* & alios potest finiri *Gloria*, dum Celebrans transit ad medium Altaris.

Secun-

Secundum Merati in cornu Epistolæ. Utraq; sententia pro opportunitate temporis observari potest.

3. *Quomodo Orationes Secretæ recitari debent?*

℟. Hoc modo. 1. Absq; *Oremus*. 2. Si una est, secreto recitari debet usq; ad illa verba: *per omnia sæcula* exclusivè. Si vero plures sint, tunc prima dici debet integra secreto, in cujus fine solus Celebrans sibi respondeat: *Amen*. Reliqua fieri debent ut in Rubr. Mis.

4. *Quid ad Sanctus observari debet?*

℟. Celebrans inclinatus junctîs ante pectus manibûs, non tamen in Altari positîs ut docet *Merati* voce depressa dicat: *Sanctus*. &c.

ARTICULUS III.

De Ceremoniis à Canone usq; ad Communionem.

1. *Quomodo inchoari debet Canon?*

℟. Prius Celebrans debet elevare manus cum oculis, quas statim demittens ac jungens, postea inclinatus dicat: *Te igitur* Ita *Merati*. 8. tit. n. 2.

2. *Quid observari debet cum nominatur Papa?*

℟. Debet pro tunc Sacerdos inclinare caput versus librum, inclinatione infima non tamen dum nominatur Episcopus.

3. *Qui Antistès nominari debet in Canone?*

℟. Ille, in cujus Diœcesi absolvitur Sacrif: Missæ. Hinc Sacerdos Celebrans in aliena Diœcesi non suum Episcopum, sed illius Diœcesis nominare debet, quia nomine circumstantis populi pro tunc orat pro suo Pastore, ut notat *Merati* cum Tonnelio & aliis.

4 Quod si non sit notum Nomen Episcopi illius loci, pro tunc satis erit si Celebrans dicat illa verba: *Et Antistite nostro* intelligendo mentaliter Episcopum

Episcopum illius Diæcesis. Ita *Pasqu.* t. 1. tract. 1, q. 27.

5. Mortuo Episcopo non debet nominari Vicarius Capitularis, quia non est verè Antistes illius loci, sed pro tunc illa verba omitti debent.

6. Item sub mortali non debet nominari Generalis, aut alius Superior loco Episcopi, ut notat *Diana* tit. 14. R. 40.

7. *Quæ circa Memento Vivorum sint notanda?*

℞. Hæc sequentia.

1mo. Antequam Celebrans incipiat *Mementó*, non debet manus in Altare demittere, sed extensas usq; ad illa verba inclusivè. *Fidei cultoribus* tenere. *Merate* tit. 8. n. 7.

2do: Dum dicit illa verba: *Memento* elevat manus usq; ad mentum circiter, junctasq; ita tenet tota Oratione mentali.

3tio: prædicta verba *Memento* &c. non debet alta voce proferre, sed secreto.

4to. Oculos pro tunc demittere debet, non tamen claudere, capite aliquantulū inclinato, ut docet Rubr. Miss.

8. *Quos commemorare potest Sacerdos?*

℞. Omnes viventes etiam excommunicatos vitandos, infideles, juxta devotam sui voluntatem, est enim privata Sacerdotis oratio, unde etiam pro seipso specialiter orare poterit, ut *Quarti* observat.

9. *Quomodo manus teneri debent ad illa verba:* Hanc igitur oblationem?

℞. Ex Decr. *S.* R. C. 4. Aug. 1663. ita, ut pollex dexter collocetur super sinistrum in modum Crucis, non infra, sed supra manus. Extremitates autem digitorum debent pervenire ad medium circiter pallæ, non tamen illam tangant, ut docet *Gavant* pag. 114.

10. Antequam dicat: *Qui pridie* si in pixide

consecra

consecraturus est hostias parvas, debet illam discooperire antequam verba consecrationis proferat, etsi hucusq; propter angustiam loci non erat in eodem portatili, omnino debet poni saltem ad ipsam consecrationem, ut monent omnes Rubricistæ, quia cum sit eadem quo ad substantiam victima cum majori Hostia, in eodem Altari offerri debet. Neq; curandum est ut una ex talibus particulis accipiatur monstranda populo, cum hoc nullibi præscriptum sit.

11. *Quomodo verba Consectationis proferri debent?*

℟. Voce secreta, nulla interposita morula inter hanc vel illam vocem sed unico contextu, ut notat *Merati* cum aliis. Plura de hoc dicta sunt superius Sect. VI. Art. 3.

12. *Quæ cavere debet Celebrans in Consecratione Specierum?*

℟. Hæc sequentia:

1*mo*. Ne sit distractus in prolatione verborum, sub mortali juxta plurimos DD.

2*do*. Ita dicat secreto. ut seipsum audiat, quia alias non esset certus quid dixerit.

3*tio*: Caveat, ne proferendo verba, moveat caput, afflet, vel capite super hostiam signet, aut sibillet.

13. *Quomodo elevari debet Hostia & Calix?*

℟. Illo modo, qui in Rubr. præscribitur, cui addendum est ex *Gavanto* & *Merati* ut scilicet recta linea eleventur, ita altè, ut à circumstante populo commodè videri possint. Item non debet elevari Hostia super Calicem, neq; Calix super Hostiam.

14. *Quomodo digiti pro tunc componi debent?*

℟. Ut solidius teneatur Hostia debent quatuor digiti indices nempe & pollices utriusq; manus ad invicem jungi sicut & imæ partes manuum; cæteri

vero

vero digiti non debent extendi sed plicari, qui possent tangere elevatam Hostiam, aut supereminere illam. Utrumq; autem caveri debet.

15. *Quomodo Celebrans debet incipere* Memento mortuorū?

℟. Voce secretâ manibûs extensis ac junctîs. ut notat Rubr.

16. *Quid agere debeat post Orationem Dominicā?*

℟. Dicens: *Libera nos* &c: accipit patenam purificatorio abstergendam, abstersamq; tenet inter indicem & medium digitum, ita; ut ejus pars deaurata respiciat Hostiam, extremitas vero tangat tobaleam, non vero Corporale. Dum vero dicit: *Beato Andrea & omnibûs Sanctîs* signat se patena, dicens vero: *da propitius pacem*, osculatur illam in anteriori ejus parte præsertim ubi Crux est efformata. Ex Decr. S. R. C. 24. Julii 1683.

Recitans tandem illa verba: *ut ope misericordiæ* &c. submittit patenam Hostiæ indice sinistræ manus eam accomodando. Ita autem patenam collocare debet in medio Corporalis, ut superior pars illius sit elevata super pedem Calicis ad hoc, ut commodius capiatur, & ne fragmenta si quæ sunt in corporali adhæreant patenæ.

17. *Quomodo frangi debet Hostia?*

℟. Imprimis lentè frangi debet in suprema, media, & infima parte, postea tota simul, sic enim in duas partes æquales facile dividitur, positaq; una parte in patena frangit aliam ex parte inferiori. Ex Decr. S. R. C. 4. Aug. 1663.

18. Quamvis autem in toto Sacrificio est adhibenda diligentia, maximè tamen in fractione Hostiæ, nam si audacter frangatur, sæpius extra Corporale fragmenta evolant amplius non videnda, quod præsertim contingit dum Hostia est recens & sicca; Hinc meo videri

deri si labia calicis sint extensa, dum frangitur Hostia, intra labia est modicè demittenda, ùt particulæ decidentes ab illis capiantur.

19. *Quomodo Hostia teneri debet? dum ait Sacerdos:* Domine non sum dignus?

℞. Ita ut sinistra manus Corporale non tangat, elevata enim debet esse à Corporali saltim quatuor digitîs, ne illi fragmenta adhæreant, út notat *Merati* tit. 10. n. 12.

20. *Quomodo Celebrans sumere debet Hostiam?*

℞. Modestè aperiendo os absq; lingvæ expositione, sumptamq; leniter mollificabit in lingva, & sic deglutiet. Cavendum autem est, ne Hostiam dentibûs comminuat, tum ob reverentiam SS. Corporis, tum ob periculum ne aliqua pars intra dentes remaneat, ejiciaturq; postea cum saliva.

21. *Quid si palato aut dentibus fragmentum Hostiæ adhæreat?*

℞. Debet lingvâ non verò digitô amoveri, quod si facilè non possit, sumendus est sangvis, & sic saltim cum sangvine aut ablutione trajicietur in stomachum. Pariter in collectione fragmentorum si aliquod ita adhæreat digito, ùt neq; per fricationem amoveri possit, expectanda est ablutio digitorum, quâ abluatur & simul cum illâ sumatur.

22. *Quomodo sumendus est Sangvis?*

℞. Si non est in majori copia, unicô haustû sumi debet juxta *Tonell. Bissum. Castald.* & alios. Secundùm autem *Gavant & Merati* bis ori calix admoveri debet, út secundô haustû quò ad ultimam guttam hauriatur. Utramq; sententiam Celebrans sequi poterit. Cavendum autem est, ne ita sugatur Sangvis, ut à circumstante populo audiri possit.

23. *Quando dici debent illa verba?* Quod ore sumpsimus?

℟. Tunc, quando Celebrans porrigit Calicem ad infundendum vinum; ut notat *Merati* tit. 10. n. 19.

24. *Factâ purificatione quæ Celebrans observare debeat?*

℟. Hæc sequentia:

1mo: Deponat patenam in medio Corporalis vel in extremitate ejusdem à parte Evangelii.

2do. Caveat ne os suum ac labia calicis in parte ex qua bibit digitîs abstergat, aut ipsos digitos lambat, ut observat *Merati*. p. 2. tit. 10. n. 20.

3tio. Non debet abluere digitos solò vinô, sic enim abluere digitos non licet absq; sufficienti causa, ut patet ex *Cerem. Miss. priv.* c. 10. § 26. Cæterum solâ aquâ abluere digitos, nullum putat esse peccatum *Pasq.* q. 209. n. 8. quia abluere convenit propriè soli aquæ.

25. *Nota*, quód si Celebrans casu aliquo tetigerit consecratam Hostiam aliô digito quam pollice & indice, tunc ille digitus pariter ablui deberet, ut notat *Merati*.

26, *Quando dicenda est illa Oratio*: Corpus Tuum Domine quod sumpsi?

℟. Tunc, dum purificatorio abstergit digitos, & non prius, ut notat *Tonell.* l. 2. t. 10. *Merati* cum pluribus aliis.

27. *Nota*, quod in tribus Missis Nativitatis Domini, non est facienda genuflexio post sumptionem Sangvinis, quamvis species vini non sint adhuc exsiccatæ. Ex Decr. S.R. Congr. 2. Aug. 1698.

ARTICULUS IV.

De Ceremoniis Missæ a purificatione usq; ad finem.

1. Dictîs Orationibûs eodem ordine & ritu, quo

reci-

recitatæ sunt ante Epistolam; Cavendum est ne Celebrans recedat à cornu Epistolæ. antequam finierit conclusionem ultimæ Orationis, quod multi ex impatientia finis faciunt.

2. *Qualis forma Crucis debet esse in benedictione populi?*

℟. A fronte ad pectus fieri debet recta linea & non longior, transversa, autem linea debet formari ab uno humero ad alium; utraq; autem linea manu recta formari debet, & solum in transversa linea ultimus digitus curvari potest juxta *Quarti, Merati* & alios.

2. *Quo ritu dicendum est*: Initium *Sancti Evangelii?*

℟. Prius debet signari liber vel tabella, & in absentia utriusq; Altare, deinde frons, os, & pectus; summitate pollicis dextri eo modo, quo in Evangelio supra p. 363.

Nota, quod dum est expositum Sanctissimum Sacramentum, si adest liber vel tabella signari debent, si vero desint, loco illorum non debet signari Altare, quia jam est satis per præsentiam Sanctissimi Sacramenti benedictum, sed pro tunc Celebrans seipsum duntaxat signet, ut notat *Merati* p. 2. tit. 14. n. 26.

5. *Ubi flectendum est ad illa verba: Et* Verbum Caro factum est *vel alia similia?*

℟. Ad cornu Evangelii etiamsi sit expositum Sanctissimum Sacramentum, nam pro tunc solum facies Celebrantis debet converti aliquantulum ad V. Sacramentum ipse tamen in cornu Evangelii flectere debet. Ita *Gavant. & Merati* tit. 14. n. 27.

Nota, quod si contingat Sacerdoti deferre sacras species de uno Altari in aliud, nudo capite deferre debet, quia ex Decr, S. R. C. 21. Januar. 1696. non

licet Sacerdoti etiam ad infirmum deferre Corpus D. capite tecto.

SECTIO XI.
De Regulis Fidei Catholicæ sive De S. Scriptura, Traditione, Ecclesia, & Concilio Generali.

Antequam ad singulas Regulas descendam Fidei nostræ explicandas, Sciendum est quod juxta omnes Catholicos quatuor habemus Fidei nostræ orthodoxæ Regulas, scilicet 1. Scripturam. 2. Traditionem. 3. Ecclesiam 4. Concilium Generale. Aliqui addunt Sedem Apostolicam. His enim enumeratis Fideles Catholici reguntur in articulis Fidei tanquam Regulis infallibilibus ad quas reducuntur Cæremoniæ Ecclesiasticæ, Constitutiones, Dogmata, imo & Hierarchia Ecclesiastica tanquam ad suos fontes à quibus promanârunt.

ARTICULUS I.
De Scriptura Sacra.

1. *Quid est Sacra Scriptura?*

℟. Sunt libri Canonici ab Authoritate Ecclesiæ approbati continentes Verbum DEI sive res à DEO revelatas. Vel brevius: est scriptum Verbum D.

2. *Per quid Scriptura Sacra differt à Traditione Divina?*

℟. Per hoc; quia Scriptura est Verbum DEI scriptum, Traditio vero Divina est Verbum DEI non scriptum, sed viva voce prolatum à DEO, vel Christo, & ab Apostolis traditum Fidelibus.

℟. Quo-

3. *Quotuplex est Sacra Scriptura?*

℞. Duplex *Novi* & *Veteris* Testamenti contenta in libris 72. ex quibus veteris Testament sunt libri 45. Novi vero Testamenti sunt libri 27. qui omnes pro Divinis sunt judicati à Trident. Ses. 4 aliis tanquam apochryphis rejectis; ut videre est in Concilio Trident. loc cit.

4. *Quotuplices sunt Libri S. Scripturæ?*

℞. Duplices. Alii sunt *Canonici* qui in Canone seu Cathalogo Ecclesiæ sunt inscripti & ut Divinum Verbum judicati. Alii *Apocryphi* qui in Canone Ecclesiæ non sunt expressi, quia de iis hucusq; dubitatur, an sint Verbum DEI, seu revelationes Divinæ.

5. *Quid nomine Canonis Ecclesiastici intelligitur?*

℞. Cathalogus Ecclesiæ quem adhibuit *S. Synodus* in Concilio Tridentino Ses. 4. Decreto de Scripturis Canonicis.

6. *Quotupliciter Canon Ecclesiæ sumitur?*

℞. Dupliciter: *1mo* Pro Regula, & sic Canon in Missa sumitur, & alibi. *2do.* Pro Cathalogo, & sic Liber Canonizatorum aut Librorum S. Scripturæ, Canon Ecclesiæ dicitur.

7. *Quotuplices sunt Libri Canonici S. Scripturæ?*

℞. Duplices. *Protocanonici* & sunt illi, qui pro Divinis fuere semper & ab antiquo admissi ab omnibus in Ecclesia, sine ulla controversia: Alii *Deuterocanonici* & sunt illi, qui licet hodie pro Divinis ab omnibus sunt accepti, de his tamen olim dubitatum fuit apud Fideles an sint Divini. Unde solum ante Tridentinum Ecclesiastici Libri dicebantur.

8. *Qui fuerant Libri Ecclesiastici?*

℞. Illi qui licet olim non fuerunt Canonici, tamen pro Fidelium instructione solebant legi in Ecclesia. Et talis hucusq; denominatur Liber Ecclesiasticus, quamvis per Trid. sit Canonicus.

9.

9. *Quotuplices sunt adhuc Libri S. Scripturæ?*

℟. Quadruplices *Legales, Historici, Sapientiales, & Prophetici.*

Legales in quibus leges promulgantur & tales sunt in veteri lege 5. Gen. Exod. Levit. Num. Deuter. In Novo Testamento sunt 4. Evangelia.

Historici sunt illi, in quibus rerum gestarum Historia narratur. Et tales sunt in Veteri Testamento: Josue. Judicum. Ruth. 4. Regum. 2. Paralip. 2. Esdræ, Tobiæ. Judith, Esther. Job. & duo Machabæorum. In Novo Testamento sunt Acta Apostolorum.

Sapientiales sunt illi in quibus vera exponitur sapientia & tales sunt in Veteri Testamento 5. Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientiæ, & Ecclesiasticus. In Novo Testamento sunt 21. Epistolæ S. Pauli. 14. Epist. Joannis, 3. S. Petri 2. una. Jacobi & altera Judæ.

Prophetici sunt illi: in quibus futura prænunciantur Et tales sunt in Veteri Testamento Liber Psalmorum, Prophetæ majores 4. & minores 12. In Novo Testamento est solum unus Liber Apocalypsis. Cum enim omnia quæ prænunciabant Prophetæ antiquæ legis de Christo, fuerint consummata in vita & morte Christi, ideo in nova lege, nil erat prænunciandum nisi de novissimo fine mundi, & futuro sæculo; Et de his prophetabat Joannes in Libro Apocalypsis.

10me. *Quinam Libri S. Scripturæ rejiciuntur ab Hæreticis?*

℟. A Calvinistis rejiciuntur 6. nempe Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & duo Libri Machabæorum. A Lutheranis ultra 6. enumeratos, rejiciuntur 4. ex Novo Testamento scilicet: Epistola ad Hebræos, Jacobi, Judæ, & Liber Apocalypsis,

11. *An S. Scriptura sit ita per se clara, ut non indigeat interpretatione ulla?* ℟.

℟. Negative, *Ratio* est: quia Lucæ 18. legitur de Christi Discipulis. *Et ipsi eorum nihil intellexerunt.* Tum quia plura sunt scripta parabolice, enigmatice, & in diverso sensu,

12. *Quotuplex est sensus S. Scripturæ?*

℟. Novatores Hæretici unicum admittunt literalem; Catholici quadruplicem scilicet:Literalem, Allegoricum, Moralem, & Anagogicum, de quibus vid. supra Pag. 348.

13 *Quotuplex est sensus literalis?*

℟. Duplex *Simplex*, qui consistit in pura proprietate verborum. Alius *Figuratus*, quo verba transferuntur ex naturali significatione ad alienam.
Et talis potius est methaporicus quo usus est Christus Ioan. 10. dicens, *Et alias Oves habeo* &c. aut *Ego sum vitis, Vos palmites* &c.

14. *An omnes S. Libri integri ad nos pervenerint?*

R. Affirmative: quidquid in contrarium dicant Hæretici. *Ratio est.* quia Providentia D. nunquam permisisset tam magnum damnum inferri fidelibus & verbo suo, ut in tota ejus Ecclesia depravaretur Scriptura, quæ est prima Regula Fidei Catholicæ.

15. *Quomodo Sacri Scriptores fuerant Divinitus inspirati?*

℟. I. Non tantum fuerant inspirati quo ad omnes res, sed etiam quo ad sensum & sententias, ita ut omnes res & sententiæ quæ in Scriptura continentur à Spiritu Sancto fuerint dictatæ.

℟. II. Probabilius tamen est, quod non fuerint inspirati quo ad singula verba, sed tantum quò ad aliqua, quibus Mysteria exprimuntur. Ita Antoine Sect. 4. Art. 3. *Ratio est* manifesta, quia videmus quod non omnes Evangelistæ iisdem utantur Verbis.

16. *An Pentateuchus sit conscriptus ab ipso Moyse?*

℟. Af-

℞. Affirmative. *Ratio* desumitur a perpetua traditione tam Judæorum quam etiam SS. Patrum.

17. *Quid est Pentateuchus?*

℞. Sunt quinque Libri Moysis, qui olim in uno Codice erant, Pentateuchus nominato. Tamen ob commoditatem Legentium divisus est in Ægypto iste Pentateuchus in quinque Libros; scilicet: Genesim, Exod. Levit. Numer. & Deuteron. à 70. Interpretibus. De quibus infra.

18. *Qua Lingva primò scripti sunt Libri Sacræ Scripturæ?*

℞. I. Omnes ProtoCanonici in Veteri Testamento Hebraice fuerant Scripti à suis Auctoribus, præter Libros Esdræ & Danielis, qui lingva mixta ex Hebraica & Chaldaica scripti sunt. Vel ut docet S. Hieron. Hebraicis Literis sed Chaldaico sermone.

℞. II. Novi Testamenti Libri sunt scripti Græco sermone, excepto Evangelio Mathæi & Epistola ad Hebræos, quam Hebraice scriptam esse docet S. Hieron. sive Syriaco idiomate, in quod tunc temporis deflectebat vulgare idioma Hebraicum.

19. *An editio Hebraica Scripturæ consultò fuit depravata à Judæis?*

℞. Affirmant aliqui. Sed negat S. Hieron. in Cap. 6. Isaiæ. August. Lib. 15. de Civitt. Cap. 13. Quibus magis credendum est hac in re. Si qui autem irrepserant errores per Librarios sive Scribas, hos correxit Esdras finita captivitate Babylon.

§ I.

VERSIO Scripturæ.

20. *Quæ fuit prima Versio Scripturæ de Lingvæ Hebraica?*

℞. Illam fuisse à LXX. Interpretibus factam de

lingva Hebræa in Græcam. Annîs ante Christi Nativitatem 291. juxta Bellarmin. lib. 2. Cap. 6.

21. *Quo motivo facta fuit hæc prima Versio?*

℟. Hoc ut sequitur, Ptolomeus Philadelphus post mortem Alexandri M. Rex Ægypti fecit Bibliothecam magnam, in qua ut haberet etiam Libros Hebræorum, petiit ab Eleazaro summo Pontifice, ut illi mitteret Viros eruditos ad vertendam Sacram Scripturam in lingvam Græcam, quæ pro tunc ut modo Gallica, fuit politica.

22. *Quot fuerant hi Interpretes?*

℟. Juxta communem sensum omnium Patrum, fuisse 72. qui brevitatis causa solum citantur 70. Et hi supponuntur fuisse seniores de Concilio Sanchedrin.

23. *Ubi nam sunt interpretati? quamdiu? & quo situ?*

℟. I. Juxta communem sententiam interpretati sunt in Insula Pharus vocata, quæ est in Ægypto, non procul ab Alexandria distante.

℟. II. Totum tempus interpretationis fuit dierum 72. Quo autem situ fuerant inclusi non concordant SS. Doctores. S. Epiphan. lib. *de Mensuris*. scribit binos & binos fuisse inclusos. S. Justin. Oratt. *ad Gentes*. singulos in singulis, quas Cellulas adhuc in ruderibus, suis testatur vidisse oculis, quem sequuntur SS, Patres Iræneus, Cyrill. Clemens Alexandrin. August. ut videre est apud Bellarmin. lib 2. de Verbo DEI Cap. 6.

S. Hieronymus Præfatione in Pentateuchum aperte ridet has Cellulas dicens: *Nescio quis primus Auctor 70. Cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit* &c: Cæterum omnes SS. Patres conveniunt in hoc, hos 72. Interpretes, ita secum in verbis & sensibus convenisse, ac si omnium labor unius esset Viri; quod absq; miraculo & Spiritûs S. speciali assisten-

sistentia non fuerat factum, propter multa æquivoca in Hebraismo vocabula; ut docet S. Hieron. peritus in hac lingva.

24. *Quos Libros hi Interpretes verterunt in Græcum idioma?*

℞. Probabilius non solum Pentateuchum ut putat D. Hieron. sed etiam alios libros ut docet Iræneus, Epiphan. Euseb. & alii: *Ratio est.* quia desiderium fuit Ptolomei Regis, omnes omnino habuisse Libros Hebræorum, per solum vero Pentateuchum non fieret satis voluntati ejus, ut de se patet. Tum quia Apostoli in citandis Prophetis usi sunt versione Græca, quæ pro tunc alia non fuit, nisi 72. Interpretum. ergo & Prophetias interpretarunt.

25. *Præter istam primam versionem quæ aliæ fuerant.*

℞. Multæ aliæ. *Prima* fuit sub Adriano Imperatore à quodam Aquila, primum Gentili, postea Christiano, demum Judæo.
Secunda Sub Commodo à Theodotio facta, primum Marcionita Hæretico, demum Iudæo.
Tertia Sub Severo Imperatore à Symmacho facta, qui ex Ebionita Hæretico Judæus factus est.
Quarta Anonyma ignoti Auctoris, inventa Ierosolymis sub Imperatore Antonino Caracalla.
Quinta Etiam Anonyma inventa Nicopoli sub Alexandro Severo.
Sexta fuit Origenis.
Septima Luciani Presbyteri & Martyris sub Diocletiano.
Octava Hesychii qui 72. Interptetum Versionem successu temporis depravatam emendavit.

Hæ omnes Versiones fuerant post Nativitatem Christi; sola 72. Interpretum, fuit omnium primissima, & usq; ad Nativitatem Domini fuit Scriptura sub Idiomate Hebraico, partim Chaldaico & Græco.

26.

26. *Quid est vulgata Editio Scripturæ & D. Hieronymi?*

R. Vulgata Editio fuit ante tempora D. Hieron. edita latine ab incognito Auctore, quæ *Itala* dicebatur, à D. Hieron. *Communis*. à Gregorio: *Vetus*. Ab Orosio *Vulgata*. quia illam vulgariter admittebat S. Rom. Ecclesia. Cum aliæ versiones fuerunt ab Hæreticis factæ in latinum, pro suæ Hæresis parte.

S. Hieronymus bis vetus Testamentum in Latinum transtulit, ut scribit Bellarmin. de Verbo DEI *Primò* ex Versione 72. Interpretum. *Secundò* ex Hebræo Textu. Novum vero Testamentum de Græco in Latinum non convertit, sed tantum multos errores, qui in ipso erant emendavit. Opus hoc Versionis incepit. Romæ 184. finivit in Bethleem. Quæ ejus Versio incepit vocari nova editio ad differentiam antiquæ.

Hoc facto, cœpit esse contentio in Ecclesia, quænam ex his duabus editionibus Latinis esset præstantior? S. August. magnificavit antiquam Italam S. Isidorus novam D. Hieronymi; quæ controversia per longum tempus duravit in Ecclesia, nihilominus utraque ad arbitrium Episcoporum legi solebat Fidelibus.

Post tempora S. Gregorii conflata est tertia Editio Latina, quæ neque antiqua, neque nova dicebatur, sed vulgata & communis. Et hanc Oblatrantibus Hæreticis S. Triden Synodus *Sess.* 4. pro Authentica in Ecclesia haberi decrevit. Quæ usque ad præsens sæculum vocatur *Vulgata Editio*.

27. *Quæ necessitas fuit declarandæ & faciendæ Editionis Vulgatæ?*

R. Hæc, quia antiquiores Editiones Latinas depravarunt pro sua parte Hæretici. Tum quia mul-

tæ

tæ aliæ fuerant Versiones Latinæ, ita, ut in singulis Diæcesibus, Regnis, & Provinciis diversa legeretur Editio. Ad servandam igitur unitatem & conformitatem Fidei Catholicæ, præ omnibus Editionibus hanc Vulgatam postremo approbavit Trid. Ses. 4.

28. *Quare hæc declaratio Trident. non placet Hæreticis?*

℟. Ideo quia ex hac vulgata Editione non multum possunt probare suæ Hæresis Dogmata Et quia in illa pro Canonicis Libris, declarati sunt Libri Machabæorum, qui Lutheranis non placent, propter expressum in illis Purgatorium, cujus pœnas nolunt intelligere, ut liberius peccent.

29. *An justis de causis prohibuit Trident. à singulis Fidelibus legi vernaculâ lingvâ Scripturam?*

℟. Justissime, *Ratio est.* quia ex una parte Vernacula Editio vg. lingva Polonica, non est approbata & examinata à Sede Apostolica, an concordet cum Originali suo. Ex altera parte, plures Idiotæ legentes Cantica Canticorum & non intelligentes mysteria in verbis contenta, scandalizarentur aut ad lascivos sermones adhiberent Verbum DEI. Unde his & aliis de causis prohibuit Trident. Ses. 22. Can. 9. ne omnes indiscriminatim legant Scripturam lingvâ Vernaculâ, sed tantum illi quos capaces judicaverit Ordinarius loci.

Latine vero licitum est legere Biblia omnibus etiam Laicis, quia eo ipso, quod callent lingvam Latinam supponuntur esse eruditi. Solam enim prohibuit lectionem Vernaculæ Versionis Tridentina Synodus.

30. *An S. Scriptura Vulgatæ Editionis sit Divina & infallibilis Auctoritatis?*

℟. Affirmative. Tum quia concordat cum originali Hebraico. Tum quia est ab Ecclesia toties revisa, examinata, & pro infallibili declarata. Por-

ro Ecclesia Universalis in Concil. Tridént. congregata errare non potuit propter assistentiam Spiritûs Sancti.

31. *Quomodo salvari possunt Contradictiones in Scriptura occurrentes?*

R. Ex prudenti intelligentia diversi Scripturæ sensûs. Cum enim in uno loco literaliter, in alio mystyce, aut moraliter intelligi debeat, solum apparentes sunt contradictiones non vero reales. Ut docet Orig. in Cap 3. ad Rom.

32. *Quæ sunt Regulæ communes ad discernendum genuinum Scripturæ sensum?*

R. Hæc quinque sequentes

1. Est collatio Scripturæ cum fide & bonis moribus. 2. Est collatio Scripturæ cum loco, tempore & scopo Personæ scribentis. 3. Est collatio Scripturæ cum Scriptura, sive textûs cum alio textu. 4. cum SS. Patribus. 5. Cum Ecclesiæ Judicio, quæ est Supremus Controversiarum Judex.

33. *Quid agendum si neq; sic intelligeretur locus Scripturæ?*

R. Recurrendum ad Traditiones Divinas, Apostolicas, aut Ecclesiasticas.

§ II.

De Hebraico Textu Scripturæ.

34. *Quænam olim apud Judæos fuit dispositio circa Scripturam*

R. Varia & multiplex. Cum enim non omnes simul conscripti fuissent S. Scripturæ Libri, non eodem tempore omnes judicabantur Canonici.

35. *Quid Esdras fecerit circa textum Hebræum Scripturæ*

R. Finita captivitate Babylonica, collegit Libros Bibliorum; & quia tunc Judæi manentes apud Chaldæos per annos 70. & paulo plus, corruptam ha-

bebant

bebant lingvam miscendo sæpius Chaldaica verba; Esdras doctissimus in lege scriba, correxit Scripturam & ad genuinum textum Hebraicæ lingvæ reduxit teste S. Hieronymo.

36. *Quot sunt Libri Canonici Scripturæ apud Judæos?*

℞: Juxta D. Hieron. in Prologo Galeato sunt 22. juxta numerum Alphabeti Hebraici.

37. *In quot Classes apud Judæos dividuntur S. Libri?*

℞. In tres, scilicet: in *Thora, Nebym, & Chethubin,* quam dispositionem hucusque adhuc observant

38. *Quid est Thora & quot continet Libros?*

℞. Thora idem significat ac Latine *Lex*, in qua continentur Libri de lege tractantes, scilicet: Genesis, Exod. Levit. Numer & Deuteron. qui sunt idem, ac Pentateuchus. de quo supra.

39. *Quid est Nebym & quot continet Libros?*

℞. Nebym idem significat ac Propheta, & in hac Classe continentur Libri: Iosue, Judicum; Ruth. 4. Regum, & Prophetarum.

40. *Quid est Chethubin & quot continet Libros?*

℞. Est Hagiographa sive reliqua Scriptura Historica & Doctrinalis. Et in hac Classe continentur Libri: Job. Psalm. Proverb. Ecclesiast. Cantic. Paralipom. Esdræ & Esther. Porro in Textu Hebraico non est tanta distinctio Librorum, sicut apud nos, quia alias essent plures quam 22 Ut de se patet.

ARTICULUS II.

De Traditione.

1. *Quid est Traditi?*

℞. Est Doctrina ab uno alteri communicata in posteros. Et sic sumpta Traditio, convenit tam Divinæ quam etiam Humanæ Traditioni, tam Civili

sive

five profanæ, quàm Theologicæ. Nobis in præsenti sermo sit de Traditione Theologica.

2. *Quid est Traditio Theologica*

℟. Est Fidei vel morum Doctrina non scripta, sed viva voce, quasi de aure in aurem successive tradita. *E*t talis est vg. hæc Doctrina, quod MARIA Christi Domini Mater, etiam post partum sit Virgo; vel quod parvuli ante usum rationis sint baptizandi &c: De his enim in *S*acra Scriptura non habemus Doctrinam expressam, sed ex sola traditione.

3. *Quotuplex est Traditio Sacra sive Theologica?*

℟. Multiplex. *Ratione Auctoris* est triplex. *Divina. Apostolica, & Ecclesiastica.*

4. *Divina* Traditio, est illa Doctrina, quæ est a DEO vel Christo tradita, & nobis communicata. *E*t talis est de materia & forma Sacramentorum &c. *Apostolica.* ab Apostolis tradita Fidelibus, & ab his successive aliis communicata.

Ecclesiastica. Traditio, est consvetudo quædam aut Ritus antiqui in *E*cclesia introducti, qui postea vim legis obtinuerunt. *E*t tale est jejunium *S*abbathinum, Recitatio Breviarii &c.

5. *Ratione Materiæ Traditio est duplex.*

Doctrinalis; quæ ad Fidem & Dogmata credenda spectat, vg. quod sunt 4. *E*vangelia.

Moralis; quæ ad mores pertinet & ad actiones faciendas; vg. quod signum Crucis formandum sit in fronte.

6. Item alia est traditio *Perpetua*, quæ perpetuo usque ad finem mundi observari debet. Alia *Temporalis*, quæ solum ad tempus.

7. Alia *Universalis*; quæ toti *E*cclesiæ servanda traditur. Alia *Particularis*; quæ alicui particulari *E*cclesiæ in Diæcesi, Regno, aut Provincia traditur esse observanda.

8. Alia *Necessaria*, quæ traditur in forma Præ-

cæpti

cæpti. Alia *Libera*: quæ traditur in forma Consilii: ut est traditio de Aspersione Aquæ benedictæ.

9. Item alia est traditio *Legis novæ*. Alia *Legis Mosaicæ*. *Et* Alia *Legis Gratiæ*. In omni enim statu loquebatur DEUS fidelibus suis Verba Doctrinæ Imprimis Adamo, Noe & aliis Patriarchis, postea Moysi demum per Christum Apostolis, quæ traditiones usque ad nostra tempora sunt in memoria.

10. *An admittenda sit Traditio Divina & qualem Auctoritatem habeat?*

℟. I. Affirmativè *Ratio est*: quia plura spectantia ad Fidem non sunt expressa in *S*criptura. Unde in his sola regimur Traditione Divina. Tum quia aliâ viâ neque ipsi Hæretici possunt cognoscere, quinam Libri Scripturæ sint Canonici, & qui contineant Verbum D*E*I, nisi ex antiqua traditione.

℟. II. Traditio D. utpote Regula Fidei, habet tantam Auctoritatem, quantam habet Scriptura. *Ratio est*: quia æqualis infallibilitatis est Verbum D*E*I non scriptum sed traditum, sicuti Scriptura; cum Scriptura non addat majorem fidelitatem Verbo D. nisi quo ad nos. Porro Traditio D. est Verbū D*E*I. non scriptū.

11. *An Traditiones per Ecclesiam mutari aut abrogari possint?*

℟. I. Traditiones Divinæ aut a Christo profectæ, non possunt mutari vel abrogari. *Ratio est*: quia inferior non habet potestatem in legem Superioris. Porro *E*cclesia est inferior ipso DEO, & Christo.

℟. II. Apostolicas vero & *E*cclesiasticas pro diversitate temporis potest immutare vel abrogare *E*cclesia, sicuti defacto mutavit. *Ratio est*: quia has mutando non excedit potestatis suæ limites.

Cæterum *E*cclesia sicuti propter assistentiam Spiritûs S. est optimus Interpres mentis Divinæ, ita Traditiones Divinas in dubiis explicare potest, utpote post Deum Supremus Controversiarum Fidei Judex. § I.

§ I.

De quibusdam scitu dignis ad intelligenda Traditionis Ecclesiasticæ antiqua Capita.

12. In primitiva Ecclesia quando Tyranni Fideles persequebantur vehementer, aliqui Christum negarunt timore pœnæ subeundæ, alii Confessi sunt Fidem Catholicam, sed nondum occisi, sed in exilium dati. De his omnibus in antiquis Ecclesiæ Traditionibus varia nomina habentur; quæ ut intelligantur breviter illa recensebo.

13. *Qui sunt dicti Fortes in Fide?*

℟. Illi omnes qui coram Tyrannis Christum sunt Confessi; sive fuerint occisi sive non.

14. *Quotuplices fuerant Fortes in Fide?*

℟. Triplices. Martyres, Confessores, & Extorres. *Martyres illi*, qui mortem pro Christo sunt passi; aut saltim vulnerati etiam non læthaliter. *Confessores.* dicebantur illi, qui ante Magistratum de Fide quæstionati, Christi Fidem intrepide sunt Confessi. In his enim non voluntas Martyrio sed Martyrium voluntati defuit. Nunc in Ecclesia illi dicuntur Confessores, qui sola vitæ Sanctitate confitentur Christum. *Extorres* dicebantur olim hi: qui erant extra Patriam pro Fide Christi pulsi, aut timore mortis sponte in solitudinem fugiebant.

15. *Qui olim dicebantur Lapsi?*

℟. Illi omnes qui sæviente persecutione fuerant deprehensi aliquomodo Fidem Christi negasse.

16. *Quotuplices fuerant Lapsi?*

℟. Quadruplices prout sequuntur.

Sacrificati, qui aliquomodo vel Idolis Sacrificia immolabant, vel de immolatis gustaverant.

Thurificati, qui thus Idolis timore mortis obtulerunt.
Libellatici. qui vel privatim Fidem negabant, vel Fidem internè retinentes publice profiteri non audebant. Hi ideo sic vocabantur, quia ad redimendam vexam, *Libros* securitatis à Magistratu pecunia emebant ne amplius probarentur ad Idola de fide.
Traditores illi sunt dicti; qui tempore Diocletiani metu tormentorum, ut se alienos à Fide Catholica ostenderent, tradebant infidelibus ad comburendum Scripturæ Libros, aut Cathalogum Fidelium, vel Sacra Vasa.

17. *Qui dicebantur Pænitentes post lapsum?*

R. Hi omnes qui aliquo modo directe vel indirecte à Fide Christi metu persecutionis deficientes, cordis dolore tacti ad pænitendum Ecclesiæ potestati seipsos subjecerunt.

18. *Quotuplices erant Pænitentes post Lapsum?*

R. Quadruplices, juxta quadruplicem Pænitentiæ gradum, quorum 1. fuit Fletus. 2. Auditio, 3. Prostratio, 4. Consistentia.
Flentes illi dicebantur, quibus non licebat intra Ecclesiam cum Fidelibus ingredi, sed præ foribus stare, ac cum fletibus limen Ecclesiæ rigare, ad ingredientium genua procumbere, ac illorum pro sui crimine preces emendicare,
Audientes admittebantur quidem intra fores Ecclesiæ ad audiendum Verbum DEI; sed illis non fuit licitum Sacrificio Missæ interesse.
Prostrati non tantum admittebantur ad audiendum Verbum DEI, sed procumbendo ad genua Episcopi benedictionem accipiebant, Orationibus aderant, non tamen Sacrificio Missæ.
Consistentes fuerant in ultimo gradu pænitentiæ. Et his licitum erat omnibus Divinis officiis interesse,

etiam Missæ Sacrificio. Illorum tamen pœna in hoc sita fuit, quia Eucharistiam sumere illis non licebat. Quæ pœnæ etiam cessante persecutione fuerant in praxi Ecclesiæ pro criminibus gravioribus assignandæ.

19 *Quid significabat Exomologesis?*

℟. Confessionem publicam suorum gravium peccatorum, quam publice Pœnitentes in fine suæ pœnitentiæ coram Diacono vel Sacerdote faciebant, detestando in facie Ecclesiæ sua delicta. Quæ non erat Sacramentalis, neque Diaconus dabat absolutionem taliter Confitenti, sed tantum imponebat ei manus, & Eucharistia ei conferebatur. Ut patet ex Concil. Carthagin. IV. Can. 76.

20. *Quid denotant Libelli Pacifici?*

℟. Illos Libros quos ad Martyrium designati, solebant dare lapsis hominibus, ut post illorum Martyrium, ac Christi Confessionem, vigore talis Libri ac meriti passionis suæ Episcopi, cum lapsis à Fide publicè pœnitentibus, partem rigorosæ pœnitentiæ indulgerent.

§ II.

De Traditionibus Iudæorum.

21. *An fuerunt etiam apud Judæos Traditiones?*

℟. Affirmativè. Plura enim observabant, quæ non erant in Scriptura expressa, ut illis exprobrabat Christus Math 15. Quarum aliquæ fuerant laudabiles, aliquæ superstitiosæ inutiles & vanæ, & has reprehendebat IESUS loc. cit.

22. *Quotuplicem Judæi agnoscunt Legem?*

℟. Duplicem. Unam Scriptam à Moyse & Prophetis. Alteram Oralem sive Traditionem oretenus à DEO ad Moysen, ab hoc ad Iosue, postea ad Seniores, tandem ad Esdram, & successive ad Posteros descendentem.

23. *Quotuplex est Lex Oralis sive Traditio?*

℞. Quintuplex est apud Judæos, scilicet Mischna, Gemara, Talmud, Massora & Kabala.

24. *Quid est Mischna?*

℞. Est lex oralis, sive Traditio collecta & scripto mandata à Rabbino Iehuda Judæorum doctissimo, qui convocatis Viris suo tempore sapientissimis, rogavit ut quidquid de antiqua orali lege audiverint, in medium proferrent; quorum relationes in unum volumen collegit, quod vocatur Mischna sive lex secunda, vel aliter *Zohar*. Hæc *Mischna* putatur à Catholicis DD. facta Anno post Christum circiter 400. Judæi verò longè antiquius illam putant scriptam, sed dicunt fuisse occultam, usque ad hæc tempora anni 400. Quod autem dicitur de *Mischna*, hoc intelligi debet & de *Zohar* cum unum idemq; sit volumen.

25. *Quid est Gemara?*

℞. Est quædam expositio & veluti complementũ Mischnæ. Cujus Auctor fuit Rabbinus *Ase Porro Gemara* latine sonat: complementum.

26. *Quid est Talmud?*

℞. Est Volumen ex Mischna & Gemara conflatum, cum explicationibus & additionibus plurimis. Et est duplex: *Jerosolymitanum & Babylonicum*. Primum est Jerosolymis conflatum a Rabbino *Iohanna* ex Mischna & Gemara cum novis explicationibus.

Babylonicum vero fuit a Rabbino *Ase* in Babylonia Egypti ex pluribus Sapientum Judæorum in Mischnam interpretationibus incæptum, & post obitum *Ase* a Rabbino *Jese* completum. Quo autem tempore utrumq; Talmud sit conscriptum non concordant ipsi etiam Judæi.

Nota 1 tamen, quod Talmud Babylonicum est adhuc hodie *Corpus juris*, ad cujus normam reguntur Judæi.

Nota II. quod utrumq; hoc Talmud, ita per excessum de Christo blasphemat, ut meritò præcipua ejus puncta horret describere animus. Dicit enim de Christo I. Quod fuerit de adultera & polluta natus. II. Dicitur: Magus fuisse & Idololatra &c. III. Ob sua scelera suspensus. &c.

Quod Talmud juste comburi mandavit. *Gregorius IV Innocent. IV. Iulius III. Paulus IV. Clemens VIII* & alii *SS.* Pontifices post factum examen.

27. *Quid est Massora?*

℞. *E*st critica Hæbræorum Doctrina in S. Scripturæ Literas, voces, versus, accentus & puncta vocalia, ut sine omni corruptione salva persistat in æternum Scriptura. Dicitur a voce Hæbræa Massora, quod idem significat ac *Traditio.* Hodie tamen potius corrumpitur sensus & voces Scripturæ per *Massoram*, quam a corruptione vindicatur.

28. *Quid est Kabala?*

℞. *E*st Symbolica Theologia, in qua non modo Literæ ac nomina sunt signa rerum, sed res etiam rerum.

29. *Per quid differt Kabala Iudæorum à Talmud?*

℞. Per hoc quod *Talmud* tractat de moribus & Cæremoniis. *Kabala* vero de speculationibus & Mysticis. Unde ita differt ab altera, sicuti apud nos Theologia Moralis, a Speculativa & Mystica.

30: *Quotuplex est Kabala?*

℞. Triplex. *Prima* est Mystica & Arcana S. Scripturæ expositio non scripta sed tradita sapientioribus solum, non vero indiscriminatim omnibus. *E*t hæc est laudabilis, qua usi sunt tam Græci, quam Latini *E*xpositores S. Scripturæ. *Secunda* est recentiorum Judæorum *E*xpositio, quæ tota in literis, vocibus, punctis, accentibus, variisq; literarum permutationibus, figuris &c. occupatur; ut inde Mysticos S. Scri-

pturæ

pturæ sensus eliciat. Et hac utuntur vel potius abutuntur moderni Judæi, estq; propria Judæorum Hujus secundæ Judæorum Kabalæ sunt tres species, scilicet. *Gametria Notarica & Themura.*

Gametria. est illa, per quam explicant Kabalistæ Judæi voces Scripturæ, per transpositionem Literarum, sive per Anagrammata. sic Exod: 23. *Præcedet te Melachi* Kabalistæ exponunt *Michael* quia in literis hujus vocis *Melachi* invenitur *Michael.*

Notarica sic a notando dicta: est illa, per quam Kabalistæ ita explicant voces, ut singulæ literæ alicujus vocis, totidem alia significent verba, easdem initiales habentia literas. Sic illud Psal 3. *Multi insurgunt adversum me.* Per Ly *multi* intelligunt Kabalistæ Romanos, Babylonios, Jonienses & Medos; quia vox Hæbraica significans *multi* componitur ex quatuor istis literis R. B. I M.

Themura est illa per quam una eademque dictio, retento eodem literarum numero, in alium transmutatur, per diversam literarum compositionem Et hæc non minus, imo plus quam Gametria & Notarica, corrumpit sensum Scripturæ.

Tertia tandem est species Kabalæ ut sic in communi sumpta, qua Idololatræ & magi utuntur. Vocatur *Practica*, & est idem ac Astrologia judiciaria, vel Magia nigra, quæ sine ope Dæmonis suam demonstrationem non habet.

3. *Præter istas species, daturne adhuc alia Kabala?*

℟. Dantur & plures, quarum longam seriem explicare, non permittit exigua hujusce Libelli pagina. Cum enim orientalis Populus maxime symbolicis utebatur locutionibus, plura etiam loca S. Scripturæ per Kabalam sunt conscripta. Ut patet. Apocal. 13. Ubi Ioannes prædicens futuram Bestiam in Ecclesia DEI, non expressit ejus nomen, nisi per numerum

rum dicens: *Et numeri ejus 666.* Quis enim Novatorum Hæreticorum literaliter intellexisset hunc textum? vel Catholicorum Mystice, vel Anagogice? Unde

Alia est Kabala in literis, alia in numeris, alia in Figuris. Plura de his videri possunt apud Ioan. Revelinum & alios.

§ III.

De Sectis Iudæorum.

32. *Ex quibus olim componebatur Iudæorum Populus?*

℟. Ex triplici genere. Aliqui enim descendebant ex stirpe Abraham, aliqui vero fuerant Indigenæ, qui circumcisione suscepta, ad Judæorum Populum & Religionem pertinebant. Et hi vulgo dicebantur *Proselyti* juxta Zanolinum Disp. 2.

33. *Fuerantne apud Iudæos antiquitus Sectæ?*

R. Fuerant & quidem multæ. Imo & Schismata, ratione Templi in monte Garizim.

PHARISÆI.

34. *Quid erant Pharisæi?*

℟. Illi dicti fuerant a Verbo *Pharas* quod idem significat ac *separavit.* vel *sejunxit.* Erant enim homines quasi spirituales Personæ sejunctæ à communi plebe moribus & habitu quasi monachali.

35. *Quo tempore hæc Pharisæorum Secta Ortum habuit?*

℟. Tempore Joannis Hircani Filii Simonis Machabæi ante Christum natum circiter 140. annis, vel paulò plus, quando & Scriptura & Prophetæ cessarunt.

36. *Quæ illorum vita & mores?*

℟. Vestibus inusitatis induebantur. Sanctiores se esse cæteris putabant. Philacteria in fronte gestabant, tanquam memores Legis D. Fimbrias longas portabant, in quibus aculeos inserendo pedes offendebant.

Tradi-

Traditiones Patrum mordicus defendebant, & plus quam Legem DEI obſervabant. Decimas etiam de rebus minutiſſimis reddebant. Jejunabant bis in Hebdomada Die Lunæ & die Jovis. In Cœtibus & Conventibus longas preces faciebant, propter vanam gloriam.

37. *Quæ Pharisæorum Dogmata?*

℞. 1 Impiorum animas docebant æternis cruciatibus torqueri. Piorum verò ex unò in aliud Corpus migrare credebant II. Aſtronomiæ addicti erant. 3. Omnia Fato & Aſtris tribuebant.

SADUCÆI.

38. *Quid erant Saducæi?*

℞. Erant alterius Sectæ homines Hebræi: Dicti à Sadoco Antigoni Diſcipulo.

39. *Quo tempore illorum Secta Ortum habuit?*

℞. Illo plane quo & Phariſæorum, licet paulò prius ante Phariſæos, cum quibus ſemper fuit diſcordia. Nam licet Saducæi, utpote priores placerent Senioribus & Sacerdotibus; Recentiores tamen Phariſæi propter Sanctimoniam externam, mulierculaтum demulcebant corda.

40. *Ex qua occaſione Orta eſt hæc Secta?*

℞. Ex hac. Illo tempore Antigonus Sochæus fuit Legis peritus plane uniciſſimus, habuitq; inter alios Diſcipulos Sadocum & Baithoſum; quibus cum Traditiones Patrum exponebat, indignum ac injuſtum hi putantes Traditionibus obtemperaſſe, Sectam Saducæorum incæperunt.

41. *Quare autem potius à Sadaco nòn verò Baithoſo ſumtſit hæc Secta ſuam denominationem?*

℞. Ratio eſt: quia illorum ſequaces putabant Baithoſum fuiſſe ſpurium. Ita *Zanolini*, in Seminario Patavino lingvæ Hebraicæ & aliorum Orientalium Profeſſor.

42. Hæc

42. Hæc verò Saducæorum Secta, promiscue solet appellari apud Judæos Baithosæorum, Epicureorum, Cuthæorum, Karæorum &c.

43. *Quæ Saducæorum vita & mores?*

℞. Maximam inter se Justitiam vindicativam exercebant. Et ideo Superioribus placebant.

44. *Quæ illorum Dogmata?*

℞. Hæc sequentia 1. Solum Magistrum DEUM putabant. 2. In Libero arbitrio hominis situm esse bene vel male vivere. 3. Resurrectionem Carnis, & animæ immortalitatem non admittebant. 4. Solum Pentateuchum sive quinque Libros Moysis pro verbo DEI agnoscebant.

SAMARITANI.

45. *Quinam fuerant Samaritani?*

℞. Illi homines qui facto Schismate Templi Jerosolymitani, alteri Ecclesiæ in monte Garizim fundatæ nomen dederunt. Dicti à Samaria sive Samaritano Populo vel Syriaco.

Quo tempore hoc Schisma Ortum habuit?

R. Tempore Alexandri Magni.

46. *Qua occasione Captum?*

R. Hac. Manasses Summus Pontifex Templi Jerosolymitani, accepit uxorem Sarabellæ Syriæ Præfecti Gentilis Filiam, ob quod fuit à Synagoga Officio suo pulsus. Unde Pater Uxoris ejus Sarabella facultate obtenta ab Alexandro M. extruxit illi Templum in monte Garizim, ubi Summum Pontificatum agebat. Totaque plane Syria ad illud Templum confluebat.

47. *Quæ inimicitia inter Samaritanos & Judæos?*

R. Fuit perpetua. Nam erant ut Schismatici anathematizati à Pontificibus Jerosolymitanis cum summo odio, ita ut neque licitum esse Judæo quantumcunque sicienti aquæ potum recipere à Samaritano.

48. *In quo conveniebant Samaritani cum Saducæis?*

R. In hoc, quod ab utrisque Traditiones majorum rejiciebantur.

HESSÆI.

49. *Quinam fuerant Hessæi?*

R. Hebræi, Viri religiosissimi, qui spreto mundano luxu, vere monasticam vitam ducebant contemplationi vacando. Et hi dedisse normam Monasticæ vitæ referuntur a multis.

50. *Quo tempore illorum Secta ortum habuit?*

R. Temporibus afflictissimis, dum Antiochus Epiphanes persequebatur Judæos, hi enim Viri recedentes in speluncas, taciti & ignoti per aliquod tempus manebant, donec reddita pace sub Hircano, illorum mentio & nomen clarere cæpit.

51. *Quotuplices erant Hessæi?*

R. Duplices. Theoretici, qui soli Contemplationi vacabant. *Et Practici*, qui ultra Spiritum devotionis Pastores & agricolas agebant.

52. *Quænam Hessæorum vita & mores?*

R. 1 Omnia ipsis erant Communia, 2. Vestibus albis induebantur. 3. Uxores non ducebant, putantes nullam mulierē viro suo fidem servare posse. 4. Amorem inter se perpetuo habebant. 5. Paupertatem voluntariam observabant, uno Procuratore constituto. 6. Senioribus reverentiam exhibebant. 7. Improbos ex cætu suo expulsos, fame paulatim perire sinebant. 8. Blasphemos statim morti tradebant. 9. Nemo illos otiosos, aut clare loquentes audivit, 10. Ante Solis Ortum semper surgebant nullum miscendo profanum sermonem. 11. Ad horam quintam singuli opera manualia exercebant. 12. Lineis præcincti, non tamen in Templo sacra faciebant. 13. Nullis utebantur Ministris. 14. Vino abstinebant, sola aqua contenti &c.

Horum neque Christus Dominus reprehendit mores, & vitam, eo quod in nullo fuit suspecta. Illos in magno honore habuit Herodes Antipas.

53. *Quæ Dogmata illorum erant Fidei?*

R. Nulla mala, sed quantum ad essentialia conveniebant cum Communi Ecclesia in omnibus; senioribus & Pontificibus subjecti. Habebant tamen suas privatas leges.

54 *Quomodo ad suam Sectam Tyrones recipiebant?*

R. Hoc modo. Per integrum annum extra Cænobium alebant eos, vestibus albis indutos, & securim manibus gestantes; Annô expletô in medium Cætus adducti lotionem illos facere docebant. Tandem duobûs sequentibûs Annîs, illorum moribus probatis & expletis, Sectæ illorum adscribebantur, jure jurando DEO fidem, hominibus Charitatem: Senioribus obedientiam, promittentes. Ita Zarolini Disp. 2.

SCRIBÆ.

55. *Quid nomine Scribarum intelligitur?*

R. Duplicis Classis olim apud Judæos fuerant Scribæ. *Politici* sive Civiles qui erant Notarii publici rerum memorabilium; aut in Magistratibus aliquando privati Scriptores. Alii erant Scribæ *Ecclesiastici* & hi erant Critici S. Scripturæ, Publici Professores, Doctores, Legis interpretes & Expositores. Et de his in præsenti est sermo.

56. *Unde Scribæ Originem habent?*

R. Non concordant tam Hebraici, quam Latini Authores. Aliqui dicunt quod a Moyse fuerint constituti, qui legem populo interpretabatur; Cujus Officii Successores Scribas instituit. Aliî verius ab Esdra, docent incepisse Scribas, qui corruptum S. Scripturæ textum in Captivit. Babyl. corrigerent, sicuti ipse fecit.

57. An

57. *An Scribæ faciebant aliquam Sectam?*

R. Negative. Nam Scribarum nomen potius denotat publicum Officium docendi & legem interpretandi. Unde ad hoc munus sæpius promovebantur Pharisæi, Saducæi & Hessæi.

58. *Quænam erat Scribarum Auctoritas?*

R. Tanta erat apud Hebræos, quanta Magorum apud Chaldæos. In judiciis enim maximi ponderis erat eorum sententia. Nam in jure etiam Divino cum Principibus Sacerdotum sedebant.

59. *Quibus vestibus utebantur Scribæ?*

R. Erant illorum vestes Dalmaticæ juxta consvetudinem Presbyterorum apud Christi Fideles. Pallium eorum quatuor angulos habebat, in quibus globuli punica mala referentes pendebant. Ut describit Epiphanius Hæresi 15.

PROSELYTI.

60. *Qui erant apud Judæos Proselyti?*

R. Illi homines qui ex alienis adscribebantur Populo Hebræorum, eandem cum ipsis Religionem colentes, ac privilegiis gaudentes.

61. *Quomodo dividebantur Proseltyi?*

R. Trifariam. Aliqui enim dicebantur Proselyti *Justitiæ.* Alii Proseliti *Inquilini.* Et alii *Mercenarii.*

62. *Qui erant Proselyti Justitiæ?*

R. Illi qui sponte nullo impellente negotio Judaicæ Religioni nomen dabant. Et hi omnibus aderant Sacris Judæorum, ac si de stirpe & sangvine forent Abraham.

63. *Quomodo in numerum Judæorum recipiebantur?*

R. Hoc modo. A Senioribus Judæorum interrogatus Proselytus, qua mente ad Religionem aspiraret? postea gravioribus Legis mandatis ob oculos positis, circumcidebatur, & sangvine circum-

cisionis

cisionis aspergebatur. Tandem vulnus obductum stanti in aqua a tribus Viris multa præcepta Legis recitabantur.

64. Fæminæ autem Proselytæ àquæ immergebantur a mulieribus Hebræis usque ad collum, Senioribus Legem recitantibus. Quo peracto, ac Sacrificiis oblatis adscribebantur numero Judæorum.

65. Hodie *Proselyti* Mares abluuntur & circumciduntur. Fæminæ vero tantum abluuntur, omissis aliis Ceremoniis. Ut notat *Zanolini* Disp. 2.

66. *Quinam erant Proselyti Inquilini?*

R. Indigenæ Judæorum ex Gentibus, qui tamen non fuerant circumcisi neque abluti, neque ad esum Agni Paschalis admissi, nulli Sacrificio aderant, exceptis holocaustis, quæ illis licitum erat offerre. His licitum erat inter Judæos habitare in omni Civitate & loco Palestinæ, non tamen Jerosolymis.

67. *Quinam erant Proselyti Mercenarii?*

Illi qui erant Judæis commixti ad faciendas artes mechanicas, cum adjectis certis conditionibus & Legibus. Hi erant adhuc inferiores Proselytis Inquilinis, in contemptu apud Judæos, tanquam extranei & Gentiles.

NAZIRÆI.

68. *Qui erant Naziræi apud Judæos?*

R. Naziræus idem significat ac *separatus*; & erant illi, qui sub certis Legibus vivebant, ut liberius Religionem servarent.

69. *Quæ illorum erat ratio vivendi?*

R Non tondebant Capita, vinum & siceram non bibebant, neque licitun eis erat ad cadavera mortuorum accedere.

70. *Quod si aliquando Naziræus pollueretur* expiabatur hoc modo: Die septimo post pollutionem Capite raso, Octavo vero die duos pullos columba-

rum

rum aut turtures Sacerdoti offerebat.

71. *Quæ erat Naziræorum vestis?*

R. Indumentum erat hirsutum è pilis constans. Quæ vestis erat Prophetis propria. Unde de Elia dicitur, quod erat Vir pilosus. Joannes vero Baptista legitur habuisse vestem de pilis Camelinis. Math. 3

72. *Quomodo dividebantur Naziræi?*

R. Duplices erant, *Votivi & Nativi.* Primi erant illi, qui sponte & prævio voluntatis voto se DEO dicabant. *Nativi* qui a DEO separabantur ab utero Matris, sicuti Samson & Ioannes Baptista.

73. Item alii erant *Ad Tempus*, qui ex Constitutione Rabbinorum spatio 30. dierum, sive per unum mensem non tondebant Capita, ut fecit Absolon. Alii *In Perpetuum* Leges Naziræorum servabant.

74. *Quodnam erat Naziræorum votum?*

R. Juxta *Philonem* Lib. de Sacrificiis; maximum & Principale erat hoc. quod se totos ad *DEI* servitium dabant. Tres votivas etiam victimas offerebant statutîs temporibûs. scilicet: Agnum, Agnam & Arietem. Cætera vota sunt superiùs enumerata. Num. 6.

75. *An idem sunt Naziræi ac Nazaræi?*

R. Negative. *Ratio est*: Quia Nazaræi, vocabantur ab Urbe Nazareth, sicuti Jerosolymitani ab Jerosolyma. Tum quia hi fuerant Conditores *Sectæ*, longe tamen diversæ. Zanolini Disp. 2.

76. *Fuitne aliqua Nazaræorum Secta?*

R. Fuit; qui Legem Christi cum Lege Moysis confundebant. Ac utramque simul observari docebant. Contra quos Actor. 15. celebratum fuit Concilium ab Apostolis.

RECHABITÆ.

77. *Qui fuerant Rechabitæ & unde dicti?*

R. Re-

R. Rechabitæ sunt ita dicti a Jonadab Filio *Rechab* socero Moysis. Unde non sunt proprie de stirpe Judæorum.

78. *Quæ Origo Rechabitarum?*

R. Jonadas *Rechab* filius videndo pronam in malum voluntatem hominum, dedit quasdam illis Regulas qui ejus sequebantur Sectam ut illos a curis sæcularibus amoveret.

79. *Quæ vivendi Rechabitarum Regulæ?*

R. Hæ sequentes. 1. Ne Agros colerent 2. Ne Vineas plantarent. 3. Ne Vinum biberent. 4 Ne Domos ædificarent, sed in Tabernaculis habitarent, De his plura narrat Jerem. Cap. 35. ut legenti constat.

GAULONITÆ.

80. *Quæ hujus Sectæ Dogmata?*

R. Hæc Secta potius habuit contumaciam sæcularium rerum, quam de Fide. Dicta enim est a suo Auctore Juda Gaulonite, qui in Civitate Gamala facta conjuratione, cum Sadoch Pharisæo, mordicitus defendebat libertatem Populi Hebræorum; ac detorquendo verba S. Scripturæ in suam sententiam docebat; Non licere Populo DEI dare tributum Cæsari Gentili,

81. *Quæ mala secuta sunt ex hac Secta?*

R. Magni tumultus Populi, ita ut Romani cum exercitu ad tribuenda Vectigalia rebellizantes compellere debuissent, non sine occisione multorum & ipsius Auctoris Judæ.

82. *Quo tempore hæc Secta Ortum habuit?*

R. Circiter Nativitatem Christi sub Augusto Octaviano Cæsare; jubente describi universum Orbem, ac tributum singulis solvere. De quo Lucæ 1.

83. *Qui erat Surculus hujus Sectæ?*

R. Post interitum Judæ Gaulonitis, semper fuerant

rant ejus tumultuantes sequaces, usque ad ultimam vastationem Jerosolymæ a Tyto. Qui apud Josephum vocantur Zelotæ. Juxta Isaacum Casaubonum, Galilæi eo, quia Judas erat ex Galilæa Oriundus.

84. *Occasione* hujus Sectæ tam Christus D. quam ejus Discipuli, è Galilæa oriundi, fuerant apud Hærodem & Principes Sacerdotum suspecti, quasi prohibuissent dare tributum Cæsari.

HERODIANI.

85. *Unde sunt dicti Herodiani, & quæ illorum Origo?*

R̸. Juxta Epiphanium & Tertulianum, dicti sunt ab Herode Antipatri Filio, quem pro Messia deprædicabant. Vel ut alii docent inde dicti, quia erant Herodis aulici & adulatores.

KARAIMITÆ.

86. *Quo tempore hæc Secta Ortum habuit?*

R. Incertum est. Origo tamen Karaimitarum colligitur ex inde esse posterior Nativitate & morte Christi; quia de illa neque Josephus Flavius, neque Philo mentionem faciunt; ergo signum est quod illorum temporibus nondum fuerat.

87. *Quæ Dogmata Karaimitarum?*

R. Illa quæ sunt circa Cerimonias Talmudistarum. 1. Manducant uno die lacticinia & Carnem. 2. Bos quilibet occisus est mundus, apud Karaimitas vacca verò illa sola immunda, quæ inventa est cum fætu &c.

SABSYCEWY
sive
CONTRATALMUDISTÆ

88. *Unde hæc Secta Originem trahit?*

R. A

R. A quodam Judæo *Sabſycevy* vocato, in Græcia oriundo, qui nomen huic Sectæ dedit circa annum 1662. à Turcis vulgo dictus *Miamit ſpindi.*

89. *Quo ſucceſſu incipit Sectam ſuam?*

℞. Prius captatâ ſibi famâ per doctrinam Kabalam, Meſſiam ſe eſſe divulgabat, quaſi Jeroſolymam brevi Judæis redditurus. Mox navem cum Hebræis aſcendens venit Conſtantinopolim, & quia hæc ejus Societas de tumultù futuro ſuſpecta apud Turcas erat, juſſus eſt ante Cæſarem Turcarum ſtatui; ubi de ejus miraculis facta inquiſitione, timore perterritus, nihil ſe ſcire faſſus eſt, ac ut ſeductor morti adjudicatus, & niſi pileum Turcicum vulgo *Zawoy* accepiſſet, (quod erat ſignum ſuſceptæ Machometicæ Religionis) procul dubio periiſſet. Hæc ſcribit *Maſe Togwe* Judæus medicus Imperatoris Turcarum protunc præſens.

90. *Qualis exitus hujus Sabſycevy?*

℞. Varii varia narrant. *Talmudiſtæ* dicunt illum fuiſſe à Turcis in Aſiam miſſum, ubi alienus eſſet à conſortio Judæorum, & ibi interiiſſe. *Contra Talmudiſtæ* putant illum in conſpectu Cæſaris Angelum ſtatuiſſe; ipſe verò *Sabſycevy.* in Paradiſum raptus erat, qui multoties ſuis ſequacibus apparuit tanquam Meſſias & Chriſtus, ſive Unctus, Contra-Talmudiſtæ putant fuiſſe unctum ab Angelo Michaele.

91. *Quæ ejus fuerant Dogmata?*

℞. Præter id quia ſe Meſſiam jactabat eſſe. 1. Docebat ſuos ſequaces Kabalam. & ex illa de Sephirotis. 2. Quod Lex Moyſis & Talmud non debet ſtricte obſervari; quaſi ipſe de hoc, mere alleviaſſet eis Moyſaicæ Legis jugum. &c.

92. Ejus ſequaces Anno 1756. apparuerunt in

Podolia & Russia, quos calumniantes Talmudistæ de Adamitarum promiscuo consortio accusabant: & ex Synagoga ejiciebant, donec ista causa devolveretur ad Judiciū Illustr. Nicolai Dembowski Episcopi Camenecensis qui facta diligenti Inquisitione, meliores adjudicavit Contra Talmudistas illis, qui Talmud mordicitus defendebant; ut videre est in Processu Typis Leopoli dato Annô 1758.

93. *Quæ controversia hujus Sectæ cum Talmudistis?*

R. Principalis hæc; quia Contra-Talmudistæ non observant scrupulose Talmud Rabbini Jehudæ, sed potius Zohar Simeonis Filii Juhaiu, & magis fundantur in Kabala sive speculativa doctrina Fidei, quam in morali sive Talmud.

94. *Quæ Contra-Talmudistarum Dogmata Fidei?*

R. Varia non in omnibus solida, sed in pluribus dubia. 1. Agnoscunt jam venisse Messiam, sed dubitant multi ex illis, quinam ille fuerit. 2. Possibilitatem Incarnationis agnoscunt. 3. Mysterium S. Trinitatis deducunt ex Zohar, 4. Scripturam sine Glossa volunt intelligere, & per Talmud non bene esse explicatam, & alia hujusmodi credunt, quæ sunt satis proxima ad Fidem Catholicam.

ARTICULUS III.
De Ecclesia Christi.

1. *Quid est Ecclesia in Communi?*

R. Est Cætus convocatorum sive Fidelium. Nam *Ecclesia est* Nomen Græcum idem significans ac Latine *Convocatio.*

2. *Quotuplex fuit Ecclesia?*

R. Juxta triplicem statum Legis naturæ, scriptæ, & Gratiæ, est triplex; in omni enim statu DE-

US

US habuit suos fideles convocatos per gratiam in agnitionem sui Creatoris.

3. *Quotuplex est Ecclesia Christi sive Legis gratiæ?*

R. Triplex. Triumphans, Patiens, & Militans, Nobis in præsenti de Militante sermo erit. *Triumphans* est Cætus Beatorum. *Patiens* est Cætus Fidelium Justorum defunctorum in Purgatorio degentium. *Et* hæc aliter vocatur *Purgans*. *Militans* est Fidelium in terris sub Christi vexillo ac obedientia ejus Vicarii Militantium.

4. *Quotuplex est Ecclesia Christi Militans?*

R. Duplex. *Universalis*, quæ complectitur omnes omnino Fideles totius mundi. Et *Particularis*, quæ complectitur Fideles unius duntaxat Regni & Provinciæ. Sic dicitur Ecclesia Orientalis aut Gallicana, quæ sunt partes Universalis Ecclesiæ.

5. *Quomodo dividitur Ecclesia à Novatoribus Hæreticis?*

R. A Calvinistis & Lutheranis, alia est Ecclesia *Visibilis*. in qua tam Electi, quàm reprobi continentur. Et alia *Invisibilis*, in qua soli vere Fideles & Sancti inveniuntur. De quo paulo inferius.

6. *Quæ & quot sunt Notæ Christi veræ Ecclesiæ?*

R. Licet non conveniant in numéro omnes Catholici, tamen communior sententia est, quod sint 4. Scilicet ut sit: *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica*, ad quas aliæ reducuntur. *Ratio* habetur in Symbolo Concil. Constantino.

7. *Quot à Lutheranis & Calvinistis numerantur Notæ?*

℟. Lutherus Lib. de Concil. & Eccl, scribit

esse 7. Calvinus cum suis duas tantum, nempe: 1. Prædicationem sinceram Verbi DEI. 2. Legitimum usum Sacramentorum. Ambo verò nullam veram tangunt Notam Eccl.

8. *Quid sunt Notæ veræ Ecclesiæ?*

R. Sunt quidam Characteres ac proprietates morales, ex quibus evidentia morali, clarè patet aliquem Cœtum credentem in Christum veram constituere Ecclesiam.

9. *Quæ & quot requiruntur Conditiones ad veras Notas Ecclesiæ Christi?*

R. Hæ 4. 1. Ut sint notiores ipsâ Ecclesiâ. *Ratio est.* quia ignotum per æque ignotum non bene probatur. 2. Ut sint proportionatæ omnibus hominibus, etiam rudibus. 3. Ut illæ Notæ nobis innotescant per D. Revelationem. 4. Ut soli & veræ Ecclesiæ conveniant.

10. *An Ecclesia Christi debeat esse Visibilis?*

R. Affirmativè. *Ratio* ex illo Math. 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et Cap. Ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, ergo nunquam deficiet Eccl. Christi ac ejus externa Fidei professio.

11. *An Ecclesia Christi Visibilis sit perpetua?*

R. Affirmativè *Ratio* ex illo Math. 16, *Superius allata hic notetur. Superioris verò ex illo* Math. 16. *Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus.* &c.

12. *An Ecclesia sit infallibilis in rebus Fidei?*

R. Affirmativè. *Ratio*: est ex illo 1. ad Timoth. Cap. 3. Ubi *Ecclesia* dicitur: *Columna & firmamentum Veritatis.*

13. *In Controversiis Fidei quisnam sit dicendus Supremus Judex?*

R. 1.

℟. 1. Lutherani & Calvinistæ dicunt S. Scripturam sive literaliter & nude sumptam, sive per Spiritum privatum intellectam, esse Judicem Controversiarum Fidei.

℟. 2. Angli Hæretici volunt Principes sæculares esse Judicem supremum Controversiarum Fidei.

℟. 3. Cum Catholicis: Judex supremus controversiarum, neque est Scriptura sola, quia in multis obscura. Neque cum Spiritu privato Hæreticorum, quia hic est mendax. Neque Principes sæculares, quia errare facilè possunt, sicuti multi errarunt in negotio fidei. Sed est Romana Ecclesia cum suo Capite & Pastore sumpta.

14. *Quid est Romana Ecclesia?*

℟. Est Cætus Fidelium ubique terrarum existentium, qui sub uno Pastore universali Romano Pontifice, profitentur Fidem Catholicam.

15. *Quinam sunt extra veram Christi Ecclesiã?*

℟. Isti sequentes. Infideles non baptizati, Catechumeni, Hæretici publici, Schismatici, Excommunicati non tolerati sive privatim denunciati. Ita communiter apud Bellarminum DD.

16. *Quinam sunt intra Ecclesiam?*

℟. 1. Omnes Fideles non tantum prædestinati sed etiam reprobi. Non tantum perfecti sed etiam imperfecti, imo etiam magni peccatores, tam occulti quam manifesti, sunt membra Christi Ecclesiæ.

℟. 2. Etiam Infideles occulti qui carent Fide interna, si Fidem Christianam exterius profitentur, & in communione Sacramentorum veris Fidelibus commiscentur, cum exteriori subjectione Pastoribus Ecclesiæ, sunt de Ecclesia tanquam ejus membra licet mortua & arida. Ita communiter DD.

ARTI-

ARTICULUS IV.
De Conciliis Generalibus.

1. *Quid est Concilium?*

R. Est Prælatorum Ecclesiæ Congregatio ad Fidei controversias defendendas, vel Fidelium mores reformandos à legitimo Capite convocata.

2. *Quotuplex est Concilium?*

R. Triplex. Provinciale, Nationale & Generale. *Provinciale* est illud, cui intersunt unius Provinciæ Episcopi.

Nationale, cui intersunt Archi-Episcopi & Episcopi unius Regni vel Nationis.

Generale est: ad quod convocantur totius Orbis Christiani Episcopi & alii Prælati.

3. *Quotuplex est Concilium Generale?*

R. Duplex. Æcumenicum, & Generale tantum. Primum est illud, quod ab Universali Ecclesia & Summo Pontifice est pro legitimo judicatum. Secundum vero est, quod pro tali non habetur.

4. *Quænam fuerant Concilia Generalia non Æcumenica?*

R. Hæc sequentia. *Mediolanense* Annô 354. Ariminense A. 359 in quo per fraudẽ damnata fuit Nicæna Fides. *Ephesinum* II. A. 439. in quo confirmata fuit Eutychis Hæresis. *Constantinopolitana* duo Concilia. Unum A. 739. Alterum A. 755. & alia plura.

5. *Unde Conciliorum Origo?*

R. Ab ipso Christo D. qui Math. 16. legitur, convocasse in unum Apostolos, quæstionemq; illis proposuisse hanc: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Unde Concilia recté deducuntur esse de Jure D.

6. *Ad quem de Jure spectat convocare Concilia Generalia?*

R. Ad

℞. Ad solum Romanum Pontificem, tanquam legitimum Vicarium Christi, & Successorem Petri Apostoli, cui dictum est à Christo D. *Pasce Oves meas*.

7. *Quænam Personæ sunt ad Concilium vocandæ de Jure?*

℞. Soli Episcopi. *Ratio est*: quia hi soli habēt utpote Ecclesiarum Pastores votum decisivum. Ut patet ex formula subscribendi Concilii, quæ est talis: *Ego Episcopus definiens subscripsi &c.*

8. *Quo motivo convocantur Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum?*

℞. *Cardinales*, qui non sunt Episcopi convocantur ex consvetudine antiqua, usu recepta & approbata. *Abbates* verò & *Generales* ex privilegio. *Ratio est*: quia Abbates & Generales debent Concilio Generali ita repræsentare suos subditos exemptos à Jurisdictione Episcopi, sicuti suos Diæcesanos repræsentant Episcopi.

9. *Cujus sit præsidere Concilio Generali?*

℞. Ad solum Romanum Pontificem per se vel suos Legatos. *Ratio est*: quia ille solus est Supremum Caput Ecclesiæ in Spiritualibus & Fidei Dogmatibus. Hæretici Novatores dicunt pertinere ad Imperatorem, vel aliquem ab eo missum quasi Concilia essent de Imperio quo ad bona temporalia.

10. *Quænam sit Auctoritas Concilii Generalis Æcumenici?*

℞. Est infallibilis in decidendis rebus Fidei. *Ratio est*: quia tali Concilio Christus D. promisit assistentiam Spiritus S. Ioan. 4. & 16. ut legenti constat.

§ I.

De Sacris Apostolorum Conciliis.

11. *Quid est Apostolicum Concilium?*

℞. Est illud quod Apostoli post Ascensionem Christi celebrarunt variis in locis præsidente Petro Apostolo tanquam Vicario Christi.

12. *Quot fuerant Concilia Apostolorum?*

℞. Octo, inferius explicanda.

13. *Quæ illa, quo tempore, & loco sunt celebrata?*

℞. *Primum* fuit Jerosolymis de eligendo Mathia loco Judæ Proditoris. Annô Christi 34.
Secundum fuit eodem in loco ac Anno pro eligendis 7. Diaconis ad sedandum murmur Græcorum.
Tertium pariter fuit Jerosolymis pro definienda Petri & Joannis missione ad Samaritas Annô 35.
Quartum fuit pro Fidei Symbolo ante dispersionem edendo A. 37. Ubi verò celebratum sit, incertum est
Quintum fuit Jerosolymis celebratum, pro definienda quæstione orta Antiochiæ de circumcisione legalibusquè servandis. Annô 51.
Sextum fuit Mileti à Paulo coactum, pro hortandis Ecclesiæ Ephesinæ Senioribus, ad vigilem curam. Anno 58. *Et* hoc Concilium fuit Provinciale ab uno Apostolo factum.
Septimum fuit Jerosolymis pro tollenda Gentilismi suspicione, de Paulo à Judæis concepta, ut patet Act 21 v. 18. celebratum Anno 58.
Octavum fuit Antiochiæ, de sedandis controversiis ad Fidem spectantibus. Anno 57. In hoc Concilio 9. Canones ediderunt Apostoli, cujus Originale per extensum licet inventum fuerit à Pamphilo Martyre in Bibliotheca Origenis, multi tamen eruditi

ruditi Viri Apocryphum reputant; ut videre est apud Anatum Lib. 5. Sect. 2. Art. 8.

14. *Qui erant hi novem Canones Antiocheni Apostolorum Concilii?*

℟. Hi sequentes I. Canon statuit: Ut credentes in D. JESUM qui tunc dicebantur Discipuli, dicerentur deinceps Christiani. Ut habetur Act. Cap. 11.

II. Ne ille qui semel est baptizatus, Judaico more circumcideretur.

III. Statuit: Ut omni Nationi ad Ecclesiam pateret aditus, nec ullus excluderetur à Religione Christiana.

IV. Erat de vitanda avaritia & quæstibus iniquis à Viris Ecclesiasticis.

V. Erat de vitio gulæ coercendo, de abstinendo à juramento, & de ludorum theatralium curiositate vitanda.

VI. Erat de scurilitate vitanda, Gentiumquè moribus fugiendis.

VII. Præceptum Jerosolymitani Concilii de abstinentia à Sanguine & suffocato confirmat.

VIII. Canon statuit: Ne decipiantur Salvati ob Idola, sed pingant ex opposito Divinam humanamquè veri DEI ac Christi Salvatoris effigiem, ipsiusq; servorum, ne errent in Idolis neq; fiant similes Judæis.

IX. Deniq, erat de non admittendo à Judæis perperam usitato ciborum delectu.

§ II.

De Conciliis Ecclesiæ Æcumenicis.

15. *Quæ & quot fuerant Æcumenica Concilia?*

℟. Quo ad numerũ nõ cõveniunt eruditi, alii plura

alii

alii verò pauciora assignando. Nos illa tantum enumerabimus, quæ sunt ab universali Ecclesia pro Æcumenicis approbata.

16 *Quotuplicia fuerant Concilia Æcumenica?*

℞. Ratione loci duplicia.

Orientalia scilicet quæ in Oriente. Et *Occidentalia* quæ in occidente sunt celebrata.

17. *Quæ fuerant Orientalia?*

℞. Hæc VIII. sequentia. *Nicænum* I. *Constantinopolitana* IV. *Ephesinum* I. *Chalcedonense & Nicænum* II.

18. *Quæ & quot fuerant Occidentalia?*

℞. Hæc XI. sequentia. *Lateranensia* V. *Lugdunensia* II. *Viennense* I. *Constantiense Florentinum* I. & *Tridentinum* I.

19. *Quæ & quo Anno ac in quo negotio fuerant Orientalia Concilia Æcumenica?*

R. *Nicænum* I. fuit Anno 325. sub Sylvestro Papa & Imperatore Constantino Magno, pro Filii DEI Divinitate tuenda contra Arium, determinando Festi Paschalis die contra Quartodecimanos, & sedando Meletii Schismate contra Meletium.

Constantinopolitanum I. Anno 381. sub Damaso I. Papa, pro Spiritûs S. Divinitate, contra Macedonium & Macedonianos astruenda.

Ephesinum I. Anno 431. sub Cælestino I. Papa, pro una in Christo Persona contra Nestorium.

Chalcedonense Anno 451. sub S. Leone Magno Papa, contra Eutichem & Dioscorum, pro duabus in Christo naturis.

Constantinopolitanum II. Anno 553. sub Vigilio Papa, pro celebri de tribus Capitulis decidenda lite, & damnanda erronea Origenis doctrina.

Constantinopolitanum III. Anno 681. Sub Agathone

thone Papa, pro duplici in Christo voluntate, contra Monothelitas.

Nicænum II. Anno 787 sub Adriano I. Papa. pro restituendo Sacrarum Imaginum cultu contra Iconomachos.

Constantinopolitanum IV. Anno 869. sub Adriano II. Papa, contra Photium Patriarcham Constantinopolitanum fraudulenter intrusum, pro restituendo Ignatio perperàm & injuste detruso.

20. *Quæ & quo anno ac in quo negotio fuerant celebrata Occidentalia Concilia Æcumenica?*

Lateranense I. Anno 1122. Sub Callisto II. Papa pro tollenda Sacerdotii & Imperii discordia, ex usurpatis Beneficiorum investituris orta; & pro ineundo Sacro Jerosolymitano vel Hispanico in Saracenos bello.

Lateranense II. Anno 1139. Sub Innocentio II. Papa, contra Schisma Petri Leonis Antipapæ, Hæreticosq; Petrobusianos & Arnaldistas, & pro restauranda collapsa Ecclesiæ disciplina.

Lateranense III. Anno 1179. Sub Alexandro III. Papa, pro reformanda Ecclesiæ disciplina, præsertim circa electionem Summi Pontificis, damnandiq; Catharorum, Valdensium, & Albigensium hæresibus.

Lateranense IV. Anno 1215. Sub Innocentio III Papa, pro recuperanda Terra Sancta, restauranda Ecclesiæ disciplina, damnandisq; præsertim, Albigensium & Almarici Doctoris hæresibus, & Joachimi Abbatis erroribus.

Lugdunense I. Anno 1245. sub Innocentio IV. Papa, contra Fridericum II imperatorem, & pro decernenda in Turcas Cruciatorum expeditione.

Lugdunense II, Anno 1274. sub Gregorio X. Pa-

pa

pa, pro ineunda Græcorum cum Latinis unione; mittendo Christianis contra Turcas in Syria pugnantibus subsidio; reformanda morum disciplina; & præscribendo præsertim Romani Pontificis celeriter eligendi modo.

Viennense Anno 1311. sub Clemente V. Papa pro extingvẽdis & damnãdis Tẽplariis, Dulcinistis, Begvardis atque Beguinis, decernendoq; pro Terra Sancta subsidio, & reformadis fidelium moribus.

Constantiense Anno 1414. sub Ioanne XXII. Papa pro tollendo eodem non extincto, sed facto trium Pontificum Schismate; damnandisq, tunc grassantibus Vicleffitarum & Hussitarum hæresibus.

Florentinum. 1438. Sub Eugenio IV. Papa, pro damnandis Græcorum erroribus: & uniendis iisdem cum Ecclesia Latina Græcis.

Lateranense V. Anno 1512. sub Julio II. & Leone X. contra Conciliabulum Pisanum, & pro reformandis Ecclesiæ moribus, Christianis Principibus uniendis, & promovenda in Turcas expeditione Sancta.

Tridentinum Anno 1545. sub Paulo III. Julio III & Pio IV. ad damnandas Lutheri, Calvini, ac sequacium Novatorum hæreses; reformandosquè Cleri ac Populi mores.

His 11. Conciliis, adduntur adhuc alia duo *Pisanum* Anno 1409. pro tollendo Gregorii XII. & Benedicti XIII. de Papatu contendentium Schismate.

Basiliense Anno 1431. sub Martino V. ad reformandos Fidelium mores, & compenscendas Bohemorum seditiones & hæreses.

§ III.

§ III.

De Privilegiis Gallicanæ Ecclesiæ.

21. *Quid sunt Privilegia Gallicanæ Ecclesiæ?*

℞. Sunt quædam privatæ Leges, quæ Gallos eximunt à Lege communi. Sic vg. juxta Concil. Neocæsar. Cap. 11. & in Lateran. IV. statuitur neminem in Episcopum elegi posse, nisi post 30 ætatis annum: Galliæ tamen Regi contra hoc jus commune concessum est à Leone X. ut possit ad Episcopatum nominare Personam habentem 27. Annos.

22. *Per quid different Libertates Gallicanæ Ecclesiæ ab ipsius Privilegiis?*

℞. Per hoc: quia libertates consistunt in antiqui Juris communis usu. Privilegia vero sunt exemptiones ab eodem Jure communi.

23. *Quid est Concordatum Gallicanum?*

℞. Est celebris illa Conventio Bononiæ facta inter Leonem X. & Franciscum I. Anno 1615. & in Lateranensi Concilio confirmata pro finiendis altercationibus occasione Sanctionis Pragmaticæ motis.

24. *Quæ causa fuit hujus Concordati?*

℞. Hæc: quia Sanctionem Pragmaticam abolere enixe postulavit Romana Curia, è contra Gallica Natio executioni mandare curavit. Unde facta est in hoc concordato Gallicano Bononiæ convocatio, ubi retentis quibusdam punctis Sanctionis Pragmaticæ, cætera sunt abrogata, aliqua verò temperata.

ARTICULUS V.

De Summo Pontifice, sive Sede Apostolica.

1. *An Petrus acceperit à Christo primatum & Jurisdictionem in universa Ecclesia?* ℞.

℟. Affirmativè. Nam Math. 16. dictum est Petro; *Tibi dabo claves Regni Cælorum. Quodcunq; ligaveris erit ligatum.* Tum quia Joan. 21. dixit Christus Petro *Pasce Oves meas.*

2. *An iste Primatus & Jurisdictio conveniat etiam aliis Petri Successoribus legitime electis?*

℟. Affirmativè *Ratio apart est:* quia quamvis DEUS uni duntaxat Evæ dixerit: *In dolore paries*; adhuc tamen idem Decretum refunditur in alias mulieres tanquam ei succedentes: ergo etiam, quamvis soli Petro Christus dixerit *Pasce Oves meas.* adhuc tamen idem Privilegium habent etiam alii ejus Successores.

3. *Quo Jure & qualem potestatem sive Jurisdictionem habet Papa in omnes Fideles?*

℟. Jure Divino habet Jurisdictionem Spiritualem. *Ratio est:* quia eandem habet Jurisdictionem quilibet Papa, quam habuit Petrus, cum sit æque Vicarius Christi in Spiritualibus. Porro Petrus nemini dubium est, quod habuerit Jurisdictionem Spiritualem Jure D.

4. *Quam habet Jurisdictionem Papa in bona temporalia?*

℟. Non habet potestatem directe sed indirecte. *Ratio est:* quia Vicarius Christi, qua Vicarius, non est Princeps Politicus & Civilis, sed Spiritualis. Unde ejus potestas intantum extenditur ad bona temporalia, inquantum hæc aliquando sunt connexa cum Spiritualibus.

5. *An Papa loquens ex Cathedra aliquando errare possit, aut defacto erraverit?*

℟. Negative. *Ratio est:* quia sic loquens in Dogmatibus Fidei, representat Personam Christi, cujus in hac Militanti Ecclesia vices gerit, adeoq; singulari

gulari Providentia habet assistentiam Spiritus S. specialem.

6. *Estne ad Salutem necessaria Communio cum Sede Apostolica?*

℞. Affirmative. *Ratio est:* ex Verbis Christi dicentis in Evang. *Qui non est mecum, contra me est.*

7. *An Concilium Generale sit supra Papam?*

℞. Negative *Ratio est:* quia Papa est Supremum Caput Ecclesiæ utpote Vicarius Christi; ergo est supra omnia membra Ecclesiæ in unum ad Concil. Generale congregata.

8. *An Papa possit se ipsum subjicere sententiæ coactivæ Conciliorum?*

℞. Negativè. Suprema enim Sedes à nemine judicatur per coàctionem. *Ratio ulterior est:* quia cogi non potest nisi inferior a Superiore; ut de se patet.

§ I.

De Eminentissimo Senatu Papæ, sive de S. Cardinalium Collegio.

9. *Unde sunt dicti Cardinales?*

℞. Juxta Florentinum *à Cardine.* Sicuti enim in Cardine quiescit & vertitur ostium, sic in Cardinalibus eorumque Consiliis regitur & volvitur Universalis Ecclesiæ status.

10. *Quo tempore cæpit Cardinalium Nomen & Officium?*

℞. I Non concordant Auctores. Aliqui docent illos cæpisse a *S.* Gregorio. Alii à *S.* Sylvestro vel a S. Marcello. Nonnulli apud Anatum lib. 6. Art. 15. volunt illorum initium a S. Pontiano.

℞. 2. Juxta Eugenium IV. Epist. ad Cantuars Archi-Episc. Cardinalium Officium cæpit ex institutione

tutione S. Petri Apostoli, Nomen vero inditum est in Concil: Romæ Anno 324. sub Sylvestro Papa, in quo Can. 6. præcipitur: ut Diaconi non sint plures per Parochiarum examen nisi duo, & Cardinales Urbis Romæ septem.

11. *Quotuplices olim erant Cardinales?*

℟. Duplices. Urbis Romæ & hi erant 7. juxta Concil. Rom. Alii *Regionarii* erant instituti a S. Fabiano Papa, & hi erant 14, qui præessent singuli binis Regionibus.

12. *Quod erat Officium Cardinalium Regionis?*

℟. Illud nempe ut pauperum in iis Regionibus degentium curam haberent, illisque elemosynas Ecclesiæ fideliter erogarent. De numero istorum fuit B. Laurentius M. Levita sive Diaconus.

13. *Quot sunt Classes nunc Cardinalium?*

℟. Tres Diaconi Presbyteri, & Episcopi.

Diaconi instituti sunt ut Pauperum curam haberent.

Presbyteri instituti sunt propter administranda Sacramenta Fidelibus; & quia successu temporis, ita crevit Fidelium numerus, ut in una Parochia plures deberent adesse Presbyteri, hinc ille qui Parochus Ecclesiæ fuerat, quique aliis Presbyteris præesset, Cardinalis Presbyter est institutus.

Episcopi Cardinales, sunt instituti circa annum 1057. paulò ante tempora S. Petri Damiani Cardinalis & Ostiensis Episcopi: Illo enim tempore sunt designati 7. Urbis viciniores Episcopi. Horum munus est assistere *Papæ*, ac ejus munus in hebdomadis singulis supplere.

14. *Quot olim erant Cardinales?*

℟. Non idem Numerus semper fuit sed pro temporum varietate juxta placitum Papæ augebatur.

Sub

Sub Bonifacio VIII. erant 20. Translata Sede in Avenionem erant 30. Et ne ultra 34. in posterum augerentur, definitum est in Concil. Constantiensi Sess. 40. Attamen sub Leone X. visi sunt Cardinales 65. Sub Paulo IV. 70. Sub Pio IV. usq; 76. numerati fuêre.

Tandem à Sixto V. Annô 1585. speciali Constitutione decretum fuit, ut ab hinc essent Cardinales 70. repræsentantes 70. Seniores Israel adjuvantes in Judicio Moysen; de quibus habetur Num. 11. v. 16.

15. *Quot modo solent esse Cardinales?*

℟. Juxta Const. Sixti V. solum sunt 70. videlicet Diaconi 14. Presbyteri 50. Episcopi verò 6.

16. *Quæ sunt Cardinalium Prærogativæ?*

℟. Hæ sequentes.

I. Quod Papam eligant de solo Cardinalium Collegio. Juxta Decretum Concilii Romæ celebrati A. 769. sub Stephano IV.

II. Quod soli Cardinales eligant Papam, exclusis Clero, Imperatore & populo. Juxta Concil. Lateran. III. sub Alexandro III. A. 1179.

III. Post Papam præcedunt omnes alios Patriarchas & Prælatos Ecclesiæ. Ex Decreto Eugenii. IV.

IV. Utuntur pileo rubro ex Concess. Innoc. IV. A. 1245. Paulus vero II. A: 1464. concessit eis pannum coccinei coloris, quo equos vel mulos ornarent suos, dum equitant.

V. Habent Titulum *Eminentissimi* ex speciali Decreto Urbani VIII. A. 1630. Quem titulum habet etiam Magnus Ord. S. Joannis Jerosolymitani Magister, & tres Imperii Electores ex Concess. ejusdem Urbani.

17. *Quis creare potest Cardinales?*

℟. Solus Papa, Putant tamen aliqui cum Jacobatio, Concil: Generale in casu necessitatis posse creare unum vel alterum Cardinalem.

18. *An Cardinalatus sit aliqua Consecratio Ord: Sacramenti?*

℟. Negativè: Est enim sola dignitas, & praeeminentia in Hierarchia Ecclesiastica.

19. *Quod est Officium Cardinalium?*

℟. Juvare in Consiliis Papam, illumque eligere, antiquitus habebant praeter haec alia charitatis erga pauperes officia. Ut supra dictum est.

20. *An Cardinales post suam Creationem habebant statim vocem consultivam in Collegio Sacro?*

℟. Negativè, sed usque illis Papa aperiat os ad consulendum.

21. *Quomodo Papa aperit os Cardinalium Neocreatorum?*

℟. Hoc modo: In primo Consistorio Papa inhibet novis Cardinalibus, ne quid in Consiliis dandis praesumant. In secundo Consistorio, Papa jubet novos Cardinales exire, donec antiqui de aperiendo illorum ore decidant quod si consentiant, vocantur novi Cardinales, jubenturquè sedere suis in locis. Ad quos postea stantes praemisso Papa sermone, his verbis aperit os eorum: *Aperimus Vobis os tam in Collationibus, quam in Consiliis atque in Electione Summi Pontificis, & in omnibus Actibus, tam in Consistorio, quàm extra, qui ad Cardinales spectant, & quos soliti sunt exercere: In Nomine Patris & Filii & Spiritus S. &c:*

22. *An habeat jus eligendi Papam Cardinalis cui nondum apertum sit os?*

℟. Affirmativè, & Ratio habetur ex praejudi-

cato

cato facto. Anno 1363. Cardinalis Cluniacensis, qui interfuit electioni Urbani V. licet ei os nondum fuerit apertum. Ut videre est apud Anatum Lib. 6. Art. 13.

23: *Quid est Conclave Cardinalium?*

R. Est locus, quó congregati Cardinales die 10. post obitum Papæ ejus Successorem clausi eligunt. Ex Const. Gregorii X. qui post Clementis IV. obitum, discordantibus per duos annos & Menses 9. Electoribus Cardinalibus, electus fuit in Papam, non obstante quod protunc fuit simplex Archidiaconus Leodiensis. De quo lepidè Joannes Cadinalis Portuensis fertur dixisse hos versus.

Papatûs munus tulit Archidiaconus unus
Quem Patrem Patrum, fecit discordia Fratrum.

24. *Quæ Ceremoniæ post obitum Papæ?*

R. Cardinalis Subcamerarius facta trina interrogatione *Papa dormis?* nullum responsum audiens, frangit annulum Piscatoris, & ab hinc proclamatur Sedes vacans. Tandem post dies 10. descendunt Cardinales ad electionem novi Successoris Papæ.

25. *Quo ritu eligitur Papa?*

R. Hoc modo: juxta Constit. Gregorii X. in Concil. Lugdunen. II. Sess. 5. decima die post obitum Papæ, ingrediuntur conclave Cardinales Romæ protunc existentes non expectando alios absentes. Clauduntur verò ita, ut à nemine Literas sub excommunicatione recipiant. Per tres dies habent consveta fercula. Quod si non eligunt intra tres dies; unum habent ferculum. Post alios tres dies; solô vinô cum aqua & pane vesci debent.
Sed quia durum videbatur Electoribus, tam lon-

gam famem sustinere, hinc Clemens VI. Annô 1351. concessit eis unum ferculum, & unum famulum ad serviendum.

26. *Quot vota habere debet legitimè electus Papa?*

℟. Juxta Constit. Clementis V. Annô 1314. duas partes votorum, ita ut si erunt Electores 15. habere debet vota 10. Hæc autem vota dantur in scripto & ponuntur in Calice. Et iste modus Electionis vocatur *Scrutinium*.

27. *Suntne alii modi Electionis Papæ, quam per Scrutinium?*

℟. Sunt adhuc duo. *Per accessum* dum viva voce aliquis proclamatur Papa, à Cardinalium in duplo majori parte, post factum aliquoties Scrutinium. *Et per Adorationem* quando Cardinalium duæ partes non expectato Scrutinio aliquem salutant Papam, Sic enim electus est Gregorius XIII. Sixtus V. Urbanus VII. Paulus IV. Pius V. & alii plures.

§ II.

De variis Congregationibus Cardinalium.

28. *Quæ & quot sunt Congregationes Cardinaliū?*

℟. Sunt duodecim sequentes, omissis aliis minoris negotii.

I. Sancti Officii seu inquisitionis, à Paulo III. erecta.

II. Signaturæ Gratiæ, à Pio IV. erecta, cui Papa cum Cardinalibus & multis Prælatis interest.

III. Signatura justitiæ, cui intersunt cum Cardinalibus Prælati.

IV. De propaganda Fide, à Gregorio XV. instituta A. 1622.

V, Est

V. Est illa, quæ *de Concilio* dicitur, explicans Concil. Trident.

VI De Episcopis & Regularibus, in causis eorum die Veneris occupatur.

VII. Sacrorum Rituum, de Canonizatione SS, & Ceremoniis.

VIII. De Indice Librorum prohibitorum.

IX. De Episcoporum examine, in *Italia* promovendorum.

X. *De rebus & causis Consistorialibus*, quæ judicat illas causas, remitti solitas nomine Papæ ad Cardinales; ut nominationes ad Episcopatus & Abbatias, aliaque similia.

XI *De Immunitatibus Ecclesiasticis*, Congregatio instituta ab Urbano VIII.

XII. *De Indulgentiis*. huic Congregationi solent interesse quinque aut sex Cardinales. cum uno vel duobus Prælatis.

Sunt & aliæ nonnullæ minus præcipuæ, ad politicum & temporalem statum spectantes, præter Tribunal *Apostolicæ Cameræ* cui interesse solent Cameræ Clerici, cum Camerario Cardinale Præside.



PARS

PARS II.

DE SACRAMENTO PÆNITENTIÆ.

SECTIO I.

De Qualitate Confessarii.



On est par meis viribus, omnes & singulas difficultates describere, quæ in Sacro Tribunali Confessariis accidere possunt; attamen curavi, ut saltim principales quæ sæpius practicari solent, habeant in promptu Neo-Confessarii, facillima & brevi methodo explicatas. Quas si omnes memoriâ tenebunt, tuta conscientia Judicis Officium absolvere poterunt. Præsertim quia in hac parte habent quasdam difficultates de Restitutione conscriptas, quæ in casibus à Populo Regni Poloniæ practicabilius obvenire solent, de quibus exteri Casuistæ sive ignorantes Statum Reipublicæ Polonæ, aut quia scribentes juxta mores suæ Patriæ, plura omiserunt, vel solum in generali proposuerunt. Hic vero in speciali aliqua magis scitu digna inveniet Confessarius.

ARTICULUS I.
De *Quidditate & Officio Cōfessarii*

1. *Quid est Confessarius?*

℟. Est Sacerdos habens potestatem absolvendi Fideles à peccatis in foro Sacramentali.

2. *An quilibet Sacerdos est Confessarius?*

℟. Non, sed qui habet potestatem Jurisdictionis ultra potestatem Ordinis: nisi sit pænitens in articulo mortis, & alius non habeatur Sacerdos.

3. *Quam Personam gerere debet Confessarius?*

℟. Judicis, Medici & Doctoris. Ut *Doctor* est: debet ignorantem edocere. Ut *Medicus*: debet Conscientiæ & animæ pænitentis mederi, dando illi salubria remedia contra vulnera peccatorum. Ut autem *Judex* est: tenetur discernere gravitatem delicti, ac pro ejus satisfactione congruam asignare pænitentiam.

4. *Quot Personæ in hoc Sacro Tribunali concurrunt?*

℟. Quasi tres. *Prima* est: Confessarius per modum Judicis Sententiantis. *Secunda & Tertia* Persona est ipse Pænitens, qui repræsentat personam Rei & Testis, imo & Actoris, quia seipsum accusat, testimonium præbet suæ conscientiæ, & pænam asignatam subire non recusat.

5. *Quod est Officium Confessarii?*

℟. Multiplex: nam ut Judex Spiritualis est: debet de numero & circumstantiis peccatorum inquirere; inter lepram & lepram discernere, pænitentē disponere, ac dispositū injuncta salutari pænitentia absolvere. Ut dictum pauló supra num. 3.

Quæ omnia omnino requirunt in Confessario

suffi:jen-

sufficientem scientiam ac prudentiam cum discretione Spiritus, ut non æqualiter cum omnibus pænitentibus procedat, sed attenta unius cujusq, conscientiâ examinet, aut bene examinatam præsumat. Ut dicetur inferius.

6. *Quæ requiruntur ut validè Confessarius administret Sacramentum Pænitentiæ?*

℞. Hæc sequentia.

I. Ut sit Sacerdos approbatus ab Ordinario Loci.

II. Ut habeat intentionem actualem vel saltim virtualem absolvendi bene dispositos.

III. Ut habeat materiam & formam debitam.

7. *Quæ requiruntur ad licitè administrandum Sacramentum Pænitentiæ?*

℞. Hæc sequentia.

I. Ut in peccato mortali non excipiat Confessionem nisi facta Confessione, aut Contritione extra Sacramentali.

II. Ut habeat scientiam ac prudentiam sufficientem.

III. Ut sit probæ vitæ.

IV. Ut sciat omnes suas obligationes, & secretum Sigilli servare.

8. *Quomodo peccat Confessarius in mortali Confessiones excipiens?*

℞. Juxta communem sententiam, peccat mortaliter, quia gravem Sacramentali ministerio infert injuriam.

9. *Quot peccata committit si plurium audiat Confessiones ipse existens in mortali?*

℞. Non desunt aliqui DD. qui cum *Bonacina* docent Confessarium in mortali absolventem tot numero peccata mortalia committere, quot Pænitentes absolvit. *Ratio* horum est, quia plura numero

mero Judicia Sacramentalia exercet.

Communior tamen ac verior sententia est *Marchantii*, *Henriq*; & aliorum docens: unum duntaxat committere peccatum, si una vice Confessarius se exposuerit ad audiendas Confessiones, quamvis centum Pœnitentes successivè absolvat. Quod si pluribus vicibus inter se moraliter distinctis sederet pro Tribunali, plura etiam committeret peccata. *Ratio* est. quia sicuti Judicium non multiplicatur ad numerum judicandorum, sed ad multiplicationem sessionum Judicis, ita neq; peccata illicitè Judicantis multiplicari debent. Sive enim Judex plures sive pauciores judicet, per unam tamen sessionem dicitur unum habere actum sui Officii.

10. *Ad quid tenentur duo Sacerdotes existentes in mortali si velint sibi invicem confiteri?*

℟. Ille qui primo loco alterius excipit Confessionem, tenetur prius præmittere contritionem perfectam, quià alias administraret Sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali, ille autem qui prius confitetur, sufficit si attritionem cum Confessione Sacramentali eliciat.

11. *Quotuplex est Potestas Sacerdotis?*

℟. Dictum est superius quod sit duplex: Ordinis & Jurisdictionis. pag. 120.

12. *Quotuplex est Potestas Jurisdictionis?*

℟. Duplex *Ordinaria & Delegata?*

Prima est, quæ alicui competit ratione sui Officii, uti est Parochi in Parochianos:

Delegata verò, quæ habetur vi concessionis factæ ab illo qui habet ordinariam Jurisdictionem. Hanc habent ab Episcopo Regulares non Curati in pœnitentes sæculares.

13. *Qui*

13. *Qui habet Jurisdictionem Ordinariam?*

℞. Sequentes I. *Papa* in universam Ecclesiam II. Nuncii Apostolici intra terminum suæ Nunciaturæ. III. Episcopus & ejus Vicarius in suam Diœcesim. IV. Parochus in suam Parochiam. V. *Superiores* in suos subditos, Generalis in Ordinem. Provincialis in Provinciam. Gvardianus in Conventûs sui familiam.

14. *Potestne Parochus dare potestatem Jurisdictionis alteri ab Episcopo non approbato in suos Parochianos?*

℞. Videtur quod sic. *Ratio est*: quia habet potestatem ordinariam, quæ potest delegari; maximè si præsumatur esse sufficiens, cui sit delegatio. Nam ordinarie potestas Jurisdictionis delegata; habetur ab habente potestatē ordinariam intra terminum suæ potestatis ordinariæ. Contraria tamen est verior sententia. *Ratio* est: quia Parochus non potest Extraneos de idoneitate examinare, adeoq; neq; approbare in ordine ad Confessiones excipiendas, aliàs cæco modo suos Parochianos Judicio subjecisset minùs digno, de cujus capacitate non est certus.

15. *Quando amittitur utraq; Jurisdictio?*

℞. In his sequentibus casibus. I. Si Sacerdos privatur officio, cui est per se annexa Jurisdictio. II. Dum expirat tempus Jurisdictionis concessæ. III. Dum suspenditur ab officio, aut excommunicatur, nisi sit talis Censura occulta. IV. Quando peccatum prius non reservatum à Superiore reservatur.

16. *Validènè absolveret Confessarius non habens Jurisdictionem?*

℞. Invalidè juxta Trid. Sess. 14 Cap. 7 nisi pœnitens sit in articulo mortis, & alius commode

dè haberi non posset, qui haberet potestatem. In tali enim casu quilibet Sacerdos est Ordinarius Confessarius.

17. *Quid intelligitur per articulum mortis?*

℟. Illud tempus quo mors certò ac proximè instat & est inevitabilis.

18. *Quid comprehenditur sub articulo mortis?*

℟. Juxta plures DD. comprehenditur etiam periculum mortis; quando scilicet non instat mors, timetur tamen prudenter ex frequentatis casibus. Ut fit in longa navigatione, prælio &c. *In* quibus etiam casibus absente Confessario approbato, quilibet Sacerdos absolvere poterit.

ARTICULUS II.
De Approbatione Confessarii

1. *Quid est Approbatio Confessarii?*

℟. *E*st authentica declaratio, seu testimonium de idoneitate *S*acerdotis in ordine ad excipiendas Confessiones.

2. *Per quid differt Approbatio à Jurisdictione?*

℟. Per hoc: quia per Approbationem Sacerdos idoneus judicatur, per Jurisdictionem veró judex *S*piritualis constituitur. Tum quia potest esse aliquis idoneus, non tamèn habere Jurisdictionem, & potestatem supra judicandos in foro Sacramentali. Ex quo patet hæc duo esse distincta.

3. *Quotuplex est Approbatio?*

℟. Duplex *Scripta*, & *Verbalis*. Prima scriptô *S*ecunda Verbis conceditur.

*I*tem alia est *Tacita* & alia *Expressa*. Prima est illa, quæ ipso facto vel facti conniventia conceditur, vel per dissimulationem, vel quia cura-

tum

tum datur Beneficium *Expressa* verò datur per verba aut scriptum authenticum.

4. *Absq; Approbatione habetne Sacerdos potestatem absolvendi Fideles à peccatis?*

R. Habet potestatem Ordinis, non vero Jurisdictionis; seu constituitur quidem Judex, sed nondum habet judicandos subditos, nisi illi subjiciantur per Approbationem continentem in se jurisdictionem in illos.

5. *Quare ad Corpus Christi Physicum ultra potestatem Ordinis non datur Approbatio; sicuti in Corpus Mysticum scilicet in Fideles absolvendos?*

R. Quia Potestas in Fideles est potestas Judicialis, quæ petit forum & subditos judicandos, & ideo propter duas rationes requirit Approbationem. 1mo Ut Confessarius examinetur. 2do Ut se non immisceat in judicandos illos, qui habent Ordinarium suum Judicem cum præjudicio illius, nempe Episcopi vel Parochi. Cæterum potestas in Corpus Christi potest exerceri sive præjudicio alterius.

6. *An tenetur Episcopus omnino? approbare Clericũ quem idoneum in Examine invenit?*

R. Tenetur sub peccato; quia injuriam infert ei. qui se alias frustraneè examini subjecisset. Si tamen ei denegaret Jurisdictionem, invalidè absolveret.

7. *An Clericos Regulares Exemptos inventos per Examen idoneos potest Episcopus approbare ad aliquod certum tempus?*

R. Juxta Constit. Clementis X. *Superna* non potest, sed qui idonei inventi sunt absq; limitatione approbari debent. Ut constat legenti prædictam Const. § 5. Nisi in contrarium recentior ostendatur Constitutio.

8. An

8. *An hujusmodi Approbatio Regularium potest pro arbitrio revocari ab Episcopo?*

R. Non potest, nisi nova causa revocandi quæ ipsas concerneret Confessiones, intervenerit. Ut patet ex citata Const. Clem X.

9. Nota, quod Religiosi qui in aliqua Diæcesi approbati fuerint per examen, non indigent alia approbatione, dum ex alia Diæcesi revertuntur iterum ad mansionem ejusdem Diæcesis, in qua prius fuerant approbati. Videatur *Reiffenst*:

10. *An Regulares itinerantes per aliquam Diæcesim in qua non sunt approbati possunt audire Confessiones?*

R. *Possunt*, dummodo jam sint approbati in aliqua Diæcesi ad excipiendas Confessiones, & non sit Episcopus in illo Oppido in quo itinerantes excipiunt Confessiones, quia ad illum deberent recurrere pro Approbatione. Ita apud *Reiffenst* & *Dianam* plurimi Doctores. *Ratio est*: ex communi praxi; nam tales Regulares itinerantes possunt audire Confessionem *Parochorum* in quos non habent Jurisdictionem, cur non etiam aliorum Laicorum sæcularium? maximè non contradicentibus Parochis. Tum quià in his habetur tacitus consensus Ordinariorum Loci, quia jam sunt semel in examine inventi idonei. Porro nemo in Officio suo fit deterior; & maximè Regulares. qui sunt alieni à curis sæcularibus, habentq; quotidiana intra Claustra exercitia.

11. *An Regulares exempti semel in aliqua Diæcesi approbati, possint excipere Confessiones in locis ejusdem Diæcesis, in quibus non habent Monasteria, ubi Parochi positive contradicunt?*

R. Affirmativè ita *La Croix*. & deducitur ex

Const.

Const. Clem. X. *Superna. Ratio est* quia quo ad approbationem non dependent à *Parocho* sed ab Episcopo, à quo sunt legitimè approbati.

12. Secùs vero dicendum est de *Parochis* qui in aliena *Parochia* nequeunt audire Confessiones contradicente positivè propriô *Parochô*. *Ratio* dispa-ritatis est, quia Parochi non acquirunt Jurisdi-ctionem in alienos subditos, nempe in aliena *Parochia* existentes, nisi per expressum vel saltim per tacitum consensum alterius Parochi, Regulares vero per approbationem Episcopi obtinent Jurisdi-ctiones in omnes Diæcesanos.

13. *Utrum potest Episcopus suspendere totam Communitatem Regularium ab audiendis Confessionibus?*

R. Non potest inconsulta Sede Apostolica, prout expressè statuit Clemens X. in Constit. quæ incipit *Superna* § 9..

14. *An Regulares possunt licitè audire Paschalem Confessionem non obtentâ licentiâ Parochi?*

R. Affirmativè: ita declarat Clemens X. in Const. *Superna* Quia sola Eucharistia Paschalis est sub præcepto suscipienda a proprio *Parocho* non vero Confessio; & ideo Communicare populum non licet Regularibus, non verò audire Confessionem.

15. Debent tamen abstinere propter evitandas rixas, si Parochi positivè contradicant, aut saltem tenentur certum facere *Parochum* de facta *Parochianorum* Confessione.

16. *An Parochus veniens cum suis subditis ad aliquam* Solemnitatem *in Ecclesia alterius Diæcesis possit illos audire confessionem?*

R. Non potest, quia licet habeat sibi subditos *Parochianos* supra quos vi Beneficii aut Approbationis obtinuerit jurisdictionem, non tamen habet

locum

locum Jurisdictionis suæ exercendæ sibi de Jure in aliena Diæcesi concessum.

17. Cæterum accedentes ex altera Diæcesi ad aliquam Ecclesiam alterius Diæcesis possunt absolvi a peccatis per Sacerdotem illius Ecclesiæ. *Ratio* est, quia eo ipso quod venerint ad ejus Jurisdictionis Tribunal, fiunt pro hoc casu subditi ejus.

18. Ex quo patet quod ad plenam Jurisdictionem Confessarii non sufficit ut sit approbatus ab Episcopo & habeat Jurisdictionem sibi concessam ab illo in Diæcesanos, sed ulterius requiritur locus competens exercendæ jurisdictionis, nempe intra limites illius Diæcesis.

19. Solent plerumq; tacita saltim adesse Ordinariorum licentia ut Parochi in confinibus unius Diæcesis adjuvare possint Parochos alterius Diæcesis, & è contra, ut maxime practicatur in Germania.

ARTICULUS III.

De Scientia & Prudētia Cōfessarii.

1. *An Confessarius debeat esse homo scienteficus?*

R. Affirmative. *Ratio* est: ex Verbis Christi. quia: *Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foveam cadent.* Math. 15.

2. *Quotuplex est Scientia?*

R. Triplex *Eminens, Mediocris, & Sufficiens. Primam* habet, qui subtiles & difficiles quæstiones discernere novit, & sine librorum revolutione prompte respondet. *Mediocrem* habet, qui cum revolutione librorum scit etiam in difficilibus veritatem invenire. *Sufficientem* habet qui per se sufficit ad ea explicanda quæ sunt sui officii.

3. *Qua-*

3. *Qualem ex his omnino debet habere Confessarius?*

R. Saltem sufficientem, ne se ipsum & suos pænitentes exponat periculo errandi in materia gravi.

4. *Quæ scire debet in particulari Confessarius?*

R. Hæc sequentia. I. Debet scire quænam peccata communiter ex genere suo sunt mortalia & quæ venialia pag. 76.

II. Quæ Regulæ communes sint pro distinctione numerica & specifica peccatorum, de quibus vide pag. 78.

III. Quænam Circumstantiæ mutantes speciem & quæ aggravantes. De quibus supra pag. 82.

IV. Quæ Regulæ communes quibus quis excusari possit a peccato mortali vel præcepto. vide pag. 79.

V. Debet scire Casus reservatos. De quibus infra.

VI. Actus Fidei, Spei, & Charitatis. Vide pag. 93.

VII. Articulos Fidei maxime necessarios necessitate medii, ut suos pænitentes plerumq; ignorantes edoceat. De quibus pag. 2.

VIII. Debet scire administrare Sacramentum pænitentiæ validè, licitè, & fructuosè De quo p. 116.

Verbo debet scire omnia illa quæ spectant ad ipsum Confessarium, Pænitentem, & peccata.

5. *Quomodo peccat Confessarius sine Scientia horum præsumens audire Confessiones?*

R. Peccat mortaliter si notabiliter in his deficiat. Ut docent communiter DD. Si tamen sit dubius de sua scientia sufficienti debet se conformare judicio sui Superioris aut alicujus docti Theologi.

Tenetur tamen per lectionem Librorum in dies proficere, quia alias nollet suo officio sponte satisfacere.

6. *Nota;*

6. *Nota:* quòd licet Confessarius scire debeat quidnam ex natura sua sit peccatum mortale & quid veniale; non tamen requiritur, ut de omnibus quæ audit à pænitente judicet, an sint hinc & nunc peccata mortalia aut venialia, sed sufficit si gravitatem peccatorum discernat secundùm Judicium practicum: neq; se ipsum torquere debet, utrum veniale non judicet pro mortali, sed attenta malitia peccatorum absolvat suspendendo Judicium pro natura ipsorum; *Sacerdos enim non debet judicare Pænitentem Scientiâ Divinâ, sed Authoritate Divina absolvere.* Cum in his diversitas opinionum inter DD. sæpè occurrat.

7. *Quid faciendum Confessario si aliquem errorem in Confessionali committat?*

℟. Si sit error circa substantialia, tenetur illum etiam cum gravi suo incommodo corrigere, petendo prius à Pænitente licentiam loquendi cum ipso de re ad salutem necessaria.

Si verò sit error circa accidentalia, probabiliter relinquendus est Pænitens in bona Fide.

Si positivè erraverit in præjudicium tertii dicendo vg. Pænitenti non esse faciendam restitutionem dum fieri deberet, & è contra, tenebitur illum corrigere, quià est occasio illati damni tertio, cui etiam de propriis, si potest obligabitur restituere.

8. Errores autem qui ex oblivione naturali occurrere solent. Vel quià oblitus est de specie peccati interrogare, vel quia non bene intellexit peccatum & postea interrogare per oblivionem omisit, non sunt cum gravi incommodo corrigendi, sed pænitens relinquendus est in bona Fide.

9. Optimè tamen faciunt Confessarii qui suos Pænitentes excitant ad Actus Contritionis eliciendos

endos de omnibus suis peccatis etiam oblitis; quod etiam extra Sacramentum justi faciunt

10. Si quis absolveret Pænitentem ab aliquo casu reservato non habens Jurisdictionem absolvendi ab illo. Juxta *Portel.* 1. *Kercha* tenetur Pænitentem admonere modo supra Num. 7. dicto. Vel si Pænitens inscius ad Confessionem veniret, Confessarius obtentâ à Superioribus reservantibus licentiâ interroget illum an doleat etiam de peccatis in antecedenti Confessione confessis, & cupiat ab illis absolvi, si qua ratione sit necessarium? Si dicat: quod sic, absolvendus erit nihil dicendo de prioris Confessionis defectu, quia protunc jam habebitur iterata Confessio, si verò nihil horum poterit efficere ad nihil obligabitur Confessarius.

11. Ubi *Nota*; quod dum Pænitens male absolvitur à casu reservato, re cognita tenebitur reconfiteri sola reservata coram habente Jurisdictionem, quia non reservata jam fuerant validè absoluta. Quod si Confessarius nullam habuerit Jurisdictionem absolvendi, tunc iteranda foret tota Confessio, quia protunc absolutio fuit nulla.

12. *Quænam Prudentia est necessaria Confessario?*

℟. Illa quam habere debet quilibet Judex in faciendo debito Judicio. Agitur enim plus quam de terrena Substantia in hoc Sacro Tribunali, quia de salute immortalis animæ ipsius Pænitentis.

13. Communis est quidem Virtus Prudentiæ omnibus humanis actibus, sed Confessioni specialissima, quia si Confessarius in aliquo deficiet, sibi soli nocebit; deficiens vero in Confessione sibimet & Pænitenti est ruinæ occasio.

14. *Circa quæ generaliter Prudentia Confessarii debet esse sollicita?*

℟. Circa seipsum, Pænitentem & circumstantes alios.

15. *Quid circa se ipsũ prudenter gerere debeat Confessarius?*

℞. Hæc sequentia.

I. Ut sit in gratia, ne alios judicans solus æternæ damnationis sit obnoxius.

II. Ut antequam Confessiones excipiat prius invocando gratiam Spiritûs S. Intentionem faciat absolvendi omnes quoscunq; ritè dispositos invenerit, & hæc una intẽtio sufficiet pro omnibus audiẽdis.

III. Ut in materia libidinosa non sit in interrogationibus nimis curiosus, ne sibimet ipsi laqueum injiciat tentationis, & ex inde pollutionis.

IV. Ut sit in Confessionali prudenter dispositus, ne inficiatur a Pænitẽte morbo aliquo cõtagioso.

16. *In quibus Prudentia Confessario est necessaria circa Pœnitentes?*

℞. In his præcipuè

I. Ut sit cautus in inquisitione peccatorũ, ne ignorantes peccare doceat. Unde si Puella negat se habuisse cogitationes immundas, de actibus non est interroganda; quia ubi non est dispositio ad actum, nec ipse actus præsumitur adesse; cogitatio autem est quædam dispositio ad actum luxuriæ naturaliter præcedens.

II. Ut non æqualiter cum omni Pænitente procedat, sed juxta uniuscujusq; Conscientiam remedia salutis suggerat. Scrupulosis moderatè relaxando viam ne in ulteriores scrupulos aberrent, demonstrando hoc & illud non esse ita periculosum, uti scrupulosus errando, existimat, quod tamen prudentissime faciendum, ne nimis habenas rigoris laxando plus justo evadat Pænitens licentiosus.

Si vero Pænitens sit desperatæ ac timoratæ Conscientiæ; ostendendum erit ei quod misericordia DEI superexaltat Judicium; consolando illum

ne in desperationem incidat.

Si tandem erit licentiosæ vitæ, non attendens ad malitiam peccati, nec adeo bene contritus, tunc prudens Confessarius evaginabit lingvæ gladium, ostendendo ei strictum Judicium, pænam inferni, &c. Heu quàm innumeri pro uno duntaxat peccato, simili illius numerosis sceleribus æternum patiuntur ignem! Unde prudens Confessarius debet in promptu habere verba incentiva timoris, & spei, veniæ obtinendæ, juxta exigentiam Status & Conditionis ipsius Pænitentis.

III. Debet etiam Confessarius juvare aliquando Pænitentem suggerendo ipsius memoriæ aliqua peccata si illa non commiserit, hoc tamen munus obire debet maxime in Confessione plebejorum, ad medicum enim pertinet interrogare de causa & principio ac pluralitate morbi.

Ubi *Nota* quòd sicut omnes Pænitentes non sunt ejusdem Officii & Conditionis, ita pariter non sunt omnes interrogandi iisdem interrogationibus; sed prudens Confessarius pensatis circumstantiis sui Pænitentis adducat ei in memoriam illa peccata in quibus suspicatur ejus periclitari animam, sunt enim quædam Officia & Status in quibus vix poterit deesse certum ac determinatum aliquod peccatum. Uti in Magnatibus: oppressio subditorum, ac violatio Festorum & Jejuniorum. In Patribus-Familias: detentio solutionis debitæ. In fæminis: oblocutiones & superstitio. In mercatoribus: fraus & mendacium. In militibus: homicidia, furta, & fastidium devotionis. In Rusticis: violatio Festorum & ebrietas. In Judicibus: corruptio. In Servis: Infidelitas, falsum testimonium &c: Verbo unusquisq; Officialis sicuti habet propria munera, ita & ipsorum defectus.

IV. Dum

IV. Dum Confessarius interrogat Pœnitentem de numero & circumstantiis peccatorum, non debebit illum objurgare intra Confessionem, ne subticeat ulteriora peccata, tum ob timorem, tum propter oblivionem, sed finita usq; Confessione det ipsi salutis monita.

V. Melius faciet si de circumstantiis peccatorum interrogabit Pœnitentem finita Confessione; si tamen oblivisci timet, post factam interrogationem subministret ei verbum ulterioris peccati, vg. si dixerit se commisisse carnale peccatum, non est statim interrogandus *cum quali Persona* sed usq; dum incipiet confiteri subsequens delictum vg. impuræ locutionis aut osculorum, tunc facta interrogatione de circumstantiis prioris peccati, subministrabit illi delictum impuræ locutionis. Sæpe enim Pœnitentes ita sunt præparati ad Confessiones, ut mixta interrogatione non possunt ad finē præ conturbatione pervenire.

VI. Dum audit aliqua gravissima peccata nullum det signum indignationis aut minarum, hæc enim deterrent Pœnitentem ab ulteriori Confessione, sed peccata mente audiat, & audiendo seriem peccatorum attente consideret, ut possit finita Confessione de eorum circumstantiis informari.

VII. Quotiescunq, loquitur ad Pœnitentem sive intra Confessionem sive jam finitâ, utatur semper Confessarius verbis honestis & Paternis, ne odiosum reddat Pœnitenti Sacramentum. Etsi in seipso zelum senserit (uti solent scrupulosi Confessarii ac Juniores Sacerdotes) recordetur quod homo coram homine confitetur, qui etiam multis circumdatus est infirmitatibus. Unde si quid Christianæ Charitatis habet; de offensa DEI, cum Pœnitente doleat, & de ruina animæ Pœnitentis sui condoleat.

VIII. Ultra-

VIII. Ultra necessitatem non debet esse molestus Pænitenti, longius quam expedit in Confessione illum tenendo; neq: valde brevis, sed juxta exigentiam uniuscujusq: Conscientiæ morabitur prout opportunum judicabit. Non enim ita indigent examine scrupulosi, sicuti laxæ vitæ homines, aut illi qui sæpe solent confiteri, sicuti illi qui semel per annum

IX. Antequam incipiat audire Confessionem non attendat curiose in faciem Pænitentis sive sit Fæmina sive Vir, quia hæc possunt esse occasio majoris pudoris in Pænitente, si quæ gravia habebit peccata absolvenda.

X. Si est ordinarius alicujus Pænitentis Confessarius, & scit saltim in confuso quando fecerit Confessionem non est necesse interrogare in principio Confessionis. *Quando nam confessus est.* Nam ideo interrogatur Pænitens de priori Confessione, ut cognoscatur melius ejus conscientia, utrum modico tempore in plura inciderit peccata, quodsi aliunde sciatur, superflua videtur interrogatio.

17. *Quæ Prudentia Confessario est necessaria circa Personas circumstantes?*

℟. Hæc quæ ad strictum secretum omnimode servandum est necessaria.

I. Unde Confessarius dum audit Pænitentem, debet alios removere modicum, ne audiant ipsius peccata.

II. Si quem ex circumstantibus suspicatur audisse aliena peccata, debet ipsum intra Confessionem admonere de servando secreto sub peccato mortali, & restitutione famæ.

III. Solus autem Sacerdos quantum fieri potest cum silentio, submissa intelligibili tamen voce loquatur

quatur monita salutis, & interrogationes faciat.

IV Caveat aliquod monstrare signum admirationis: uti est motio capitis, & alia, Hæc enim circumstantibus suspicionem de Pænitente pariunt.

V. Dum in magno concursu suscipit Confessiones, solum DEUM præ oculis habere debet, qui æqualiter omnium creavit ac redemit animas, & ideo non debet plebeos repellere, & Nobiles ac Nobilium Fæminas audire, DEI enim locum tenet, qui non est acceptator Personarum. Tum quia Nobiles plures habent modos Confessionis faciendæ quam vulgus,

18. Tota summa Prudentiæ ac perfecti Confessarii his duobus versibus continetur.

Confessor debet esse, dulcis, affabilis, atq; benignus.
Prudens, discretus, pius atq; suavis.

ARTICULUS IV.

De Conscientia quatenus est Regula Actuum humanorum.

1. *Quid est Conscientia?*

℟. Est actus intellectus practici judicantis aliquid, hic & nunc agendum esse, vel omitti debere. Unde qui agit aliquid contra tale dictamen rationis, dicitur agere contra conscientiam.

2. Et sciendum est, quod semper est gravius peccatum, quoties in ejus fieri habet peccator Cõscientiam dictantem aliter debere hic & nunc fieri, quod idem est ac reluctantem. *Ratio* est: quia protunc peccator agit contra Conscientiam, a qua retrahitur a malo.

3. *Quotuplex est Conscientia?*

℟. Solet communiter assignari quintuplex, scilicet: *Recta, Erronea, Dubia, Probabilis, & Scrupulosa.*

4. *Quare dicitur Recta aut Erronea &c.?*

℟. Quia Judicium intellectus seu Conscientia aliquando recte, aliquando erroneè aut scrupulosé judicat hoc esse tale & tale; & ideo si recte judicat? erit recta, si erroneè? erronea, & sic de cæteris.

5. *Quid est Conscientia Recta?*

℟. Est dictamen verum Intellectûs dictans absq; ulla formidine de opposito, quod faciendum est, esse bonum vel malum.

6. *Quomodo obligat Conscientia Recta hominem ut illam sequatur?*

℟. Obligat sub peccato, nisi aliquid proponat faciendum aut omittendum sub consilio. Quia sicuti non obligamur sub peccato ad implenda omnia consilia, ita pariter non tenemur sub peccato sequi Conscientiam illa nobis proponentem.

7. *Quid est Conscientia Erronea?*

℟. Est illa quæ dictat aliquid faciendum vel non faciendum, quod revera tale non est, absquè fundamento probabili.

8. *Quotuplex est Conscientia Errônea?*

℟. Duplex *Vincibilis* & *Invincibilis.* Prima est: cujus error moraliter loquendo vitari potuit & debuit, & ideo culpabilis est. *Invincibilis* est è contra: cujus error adhibita diligentia morali vitari non potuit, & ideo ad culpam non imputatur.

9. *Quomodò obligat utraq; hæc Conscientia?*

℟. Invincibilis obligat positivè sub peccato ut illam sequamur. Juxta illud ad Rom. 14. *omne quod non est ex Fide* (id est ex dictamine Conscientiæ) *peccatum est.* Conscientia erronea vincibilis obligat negativè, ne videlicet contra eam operemur; non debemus tamen illam sequi, sed adhibita diligetia deponenda est. Ita communiter DD.

10.

10. Ad hoc ut quis contra Conscientiam agendo peccet, necessarium est ut actio ejus sit libera. Unde si quis in carcere vg. constitutus, existimet se peccare Missam non audiendo, non ideo peccat. *Ratio est:* quia ad omne peccatum requiritur libertas.

11 *Quomodo Conscientia vincibiliter Erronea sit deponenda?*

℟. Investigando diligentius veritatem, attente considerando in quo se falli suspicatur. Tum etiam adhibendo Consilium prudentioris. In quo casu si prudentior consuleret false, & errans innixus ejus Consilio operaretur, non peccaret; quia pro tunc haberet Conscientiam invincibiliter erroneam.

12. *Quid est Conscientia Dubia?*

℟. Est illa quæ neutri parti determinatum præstat assensum, sed anceps manet inter utramq;.

Dubium vero in præsenti sumitur pro eo, quãdo intellectus inter duas partes oppositas hæret suspensus, neutri determinatum præbendo assensum,

13. *Quotuplex est Conscientia Dubia?*

℟. Multiplex juxta multiplex Dubium, quod in actibus humanis obvenire solet. Et recensetur:

I. Conscientia Dubia alia est Dubia *Negative* per suspensionem omnis actus circa utramq; partem, alia Dubia *Positive* per actum scilicet positivum, quando judicat rem vere vel dubiam vel incertam de veritate & falsitate.

II. Item alia est Dubia *Speculative* & alia *Practice.* 1mo modo tunc est dubia, si dubitat nude & præcise de veritate aliqua. vg. an si Adam non peccasset, Christus venisset? *Practice* vero: si dubitat de actione ejusq; honestate in particulari hic & nũc exercẽda.

III. Dubia *Practice* alia est *Generaliter* dubia, si

dubitat

dubitat de actione generaliter sũpta vg. nõ licet laborare leviter in die Festo. Alia est dubia practicè *Particulariter* si dubitat de hac in singulari actione vg. an licet secare ligna in die Festo. Et hæc propriè est practicè Dubia, & tale Dubiũ vocatur *practice practicum.*

14. *Quomodò obligat Conscientia practice Dubia?*

℞. Obligat sub peccato. *Ratio* est: quia cum tali conscientia operans manifeste seipsum exponit periculo peccandi adeoq; peccat.

15. *Quomodo sit intelligendum illud commune dictum.* In dubiis tutior est pars eligenda?

℞. Si sermo sit de peccato, intelligi de dubio practico, non speculativo. Sicuti etiam & illud aliud dictum intelligi debet: *In Dubio melior est pars possidentis*: *Ratio* est: quia Regula nostrarum actionum non est speculativa quæ consistit in sola veritate objecti, sed practica quæ omnium circumstantiarum qualitatem & conditionem perpendit. Unde si quis dubitet, an res quam possidet sit sua? tunc cum tali dubio speculativo poterit practice judicare sibi licitum illam retinere. Juxta Regulam supra allatam.

Alii dictum illud explicant de dubio pure negativo, ut videre est apud R*eiffenst*. 2. 4.

16. *Quid faciendum si quis dubitat an actio aliqua sit peccatum?*

℞. Si talis videt quod omittendo illam nullo modo peccabit; tunc perseverante tali dubio tenebitur hanc actionem omittere, quia se alias periculo sponte exponeret. Quodsi dubius sit an ipsa actio sit peccatum. an potius ejus omissio; tunc adhibitâ diligentiâ & consilio doctiorum deponat prudenter dubium, & faciat id ad quod

determi-

determinabitur à dictamine rationis. Si tamen hoc facto pro neutra parte poſſit deponere dubium, eligat illam partem in qua minus mali ipſi apparet, quia hæc tutior erit in illo caſu, juxta illam Regulam. *Ex duobus malis minus eſt eligendum.*

17. *Quid eſt Conſcientia probabilis?*

℟. Eſt Judicium practicum Intellectus quo quis ex gravi licet non penitus certo fundamento adhæret uni parti determinatæ, ſed cum formidine de oppoſito.

18. *Nota*: quod Conſcientia probabilis ſequitur ad opinionem probabilem, & ideo neceſſarium eſt ſcire quidnam ſit opinio probabilis.

19 *Quid eſt Opinio Probabilis?*

℟. Eſt illa quæ gravi nititur fundamento, licet non penitus certo; ſimulq; nullam contra ſe habet rationem convincentem. Ita communius DD.

20. *Quotuplex eſt Opinio Probabilis?*

℟. Duplex: Una *Probabilitate Intrinſeca* quæ ſcilicet habetur ex ratione vel natura Rei, aut ejus cauſis vel circumſtantiis. Alia *Probabilitate Extrinſeca* quæ habetur ab Auctoritate ſive gravitate & Prudentia Authorum illam tenentium.

21. Utraq; Opinio, alia eſt Probabilis *Tenuiter* de cujus probabilitate merito dubitatur, eo quia vel habet leve fundamentum intrinſecum, vel *pauci* ſunt qui illam ſequuntur. Alia è contra eſt *Graviter* probabilis propter oppoſitam rationem.

22. Opinio ſive Propoſitio alia eſt *Probabilis circa honeſtatem actûs.* Et alia *circa materiam ſeu valorem actûs.* Prima eſt illa per quam quæritur, utrum Actio illa ſit licita vel illicita, vg. utrum die Feſto ſit licita pictura. *Secunda eſt.* In qua quæritur de valore actus, vg. Utrum aqua roſacea ſit ſufficiens ad baptizandum.

23 *An sit licitum se conformare Conscientiæ verè Probabili?*

R. Affirmativè, *Ratio* est: quia ad hoc ut quis licite operetur, sufficit ut Regulam rectæ rationis sequatur; talis autem est Conscientia verè probabilis

24. Imo potest Confessarius sequi opinionem minus probabilem etiam relicta magis probabili: *Ratio* est: quia taliter operans non temere sed prudenter operatur.

25. Hoc tamen debet intellgi cum aliqua restrictione I. Ut non sequatur opinionem probabilem tenuiter, quia hæc Propositio damnata est ab Innocentio XI. quæ est Ordine 3. II. Ut non sequatur minus probabilem quo ad substantiam actûs. *Ratio* est, quia valor actûs non sumitur ab opinione & Judicio Doctorum quantumvis prudētum, sed vel ex natura sua intrinseca, vel ex Ordinatione aut institutione extrinseca alterius.

26. Quamvis autem circa honestatem Actûs possit Confessarius sequi sententiam minus probabilem relicta probabiliori, non tamen id semper aut frequenter faciat, quia estò plura liceant, non tamen omnia expediunt juxta Apost. 1. ad Corint. 6. Unde Prudens Confessarius hanc sequi debet sententiam, in qua minus peccandi esse periculum judicabit.

27. *Quid est Conscientia Scrupulosa?*

R. Est illa quæ importat inanem apprehensionem ex frivolis ortam rationibus, qua quis suspicatur aliquid esse peccatum quod non est.

Porro scrupulosa Conscientia dicitur talis à Scrupulo, sicuti Dubia à Dubio suam trahit originem Unde ad meliorem hujus rei notitiam.

28. *Quid est scrupulus?*

R. Est

℞. Est inanis apprehensio, & hinc ortus timor & anxietas alicubi, esse peccatum ubi revera non est.

29. *Quæ sunt indicia scrupulosæ Conscientiæ?*

℞. Hæc sequentia.

I. Pertinacia Judicii; scrupulosus enim homo neq; Prudentum neq; Confessarii sui facile acquiescit Consilio.

II. Ex levi apparentia frequens mutatio Judicii.

III. Perturbatè agere.

IV. Habere reflexiones infinitarum plane circumstantiarum.

V. Timere in omnibus peccatum.

In particulari vero potest unusquisq; cognoscere se esse scrupulosum in his duobus signis. I. Quando per aliquod Judicium experietur nimiùm angi, & turbari. 2do. Si aliàs expertus sit jam in similibus talia apprehendisse sine fundamento.

30. *Quæ est origo Conscientiæ scrupulosæ?*

℞. Potissimum ex his capitibus procedit:

I. Origo scrupulorum est ignorantia, qui enim sunt ignorantes, quibusvis facile moventur ac decipiuntur.

II. Cerebri & imaginationis debilitas.

III. Complexio frigida & melancholica.

IV. Immoderatus & indiscretus fervor.

V. Nimius timor servilis.

VI. Conversatio cum Scrupulosis.

VII. Tentatio Diabolica. Conscientia enim Scrupulosa est sæpius periculosa.

VIII. Potest esse aliquando & permissio DEI, qui superbiam nostram in fornace Scrupulorum purgat, aut nostram fidelitatem per tales anxietates, ut Pater misericordiæ probat,

31. *An licitum sit operari contra Conscientiam Scrupulosam?*

℞. Non tantum licitum sed aliquando debere reluctari Conscientiæ Scrupulosæ. *Ratio* est: quia talis Conscientia nititur sæpe frivolis rationibus, adeoq; ejus Judicium est imperfectum & imprudens. Unde Scrupulosus in hoc conari debet, ut in sua anxietate deponat proprium Judicium, & sequatur doctrinam Prudentis Confessarii.

32. *Quæ differentia inter Scrupulosum Pænitentem & Timoratum?*

℞. Cum Marchantio inter alia discrimina hoc esse speciale. Quia timorati sunt quieti in mente, Scrupulosi vero inconstantes: sunt solliciti sine perturbatione, pænitent de peccatis cum spe obtinendæ veniæ, è contra Scrupulosi perturbantur frequenter, ac in desperationem sunt proclives. Timorati fugiunt peccata ob amorem DEI, illi vero ob timorem gehennæ, Timorati facile pertinaciam deponunt, illi vero difficilè. Timorati nituntur in graviori fundamento quo ad suum Judicium, Scrupulosi vero fundantur in frivola sua imaginatione.

33. Unde Prudens Confessarius attentis his signis facile devenire poterit in cognitionem statûs Conscientiæ sui Pænitentis.

ARTICULUS V.
De quibusdam Regulis Confessariū dirigentibus.

1. Licet sit impossibile describere omnes Regulas singulorum casuum qui in Confessione obvenire possunt, tamen diligens ac studiosus Confessarius

fessarius saltem generales Regulas in promptu habere debet, quibus particulares difficultates hic & nunc in Sacro Tribunali occurrentes quietare ac resolvere posset; conformiter ad Conscientiam uniuscujusq; Pænitentis. Unde pro informatione Novellorum Sacerdotum nonnullas scitu necessarias appono Regulas.

2. I. Quoties Pænitens confitetur se peccasse actu reclamante Conscientiâ rectâ, debet ipsi præ oculos Sacerdos proponere specialem malitiam commisisse, eó quòd non obtemperaverit gratiæ Spiritûs Sancti, qui in tali casu illuminavit dictamen rationis, arguens Pænitentem de peccato. In tali tamen casu sciendum est: quod Pænitens non committit aliquod distinctum peccatum contra Conscientiam, aliud ab illo quod est contra præceptum, sed idem est peccatum contra præceptum cum aggravante malitia. *Ratio* est: quia Conscientia non habet vim ratione sui, sed ratione Legis quam applicat.

3. Unde licet tales circumstantias teneatur Confessarius in Pænitente reprehendere, non tamen sub peccato tenetur de illis interrogare secundùm probabilem sententiam, quia sunt purè aggravantes. Nihilominus utilissimum erit tam Pænitenti quam Confessario, si etiam de his interrogabit. Pænitenti quidem, quia informabitur à Confessario quid in posterum acturus sit circa similia, Confessario vero, quia plenum habebit Judicium.

4. II. Si Pænitens confitebitur sola peccata dubia quod idem est ac dicere, si habebit Conscientiam dubiam, non est ei danda absolutio, quia peccata sola dubia, non sunt materia absolutionis Sacramentalis; sed in tali casu interrogandus est juxta statum & conditionem suam de peccatis

saltim

saltim venialibus & obviis; quodsi & in his dubiam habebit Conscientiam, interrogandus est de Articulis Fidei, in quibus si deficiat erit instruendus & reprehendus ut culpabilis, & sic una cùm tali peccato absolventur & peccata dubia.

5. III Quando Pænitens habebit in aliquo peccato Conscientiam Erroneam putans aliquam actionem esse sibi licitam quæ ex genere suo est mortalis, tunc Confessarius ut Doctor, debet ipsum instruere ne peccet. Maxime si sit ignorantia vincibilis, quia hæc non excusat à peccato; sed quia ignorantia quæ in uno est vincibilis, in alio potest esse invincibilis, hinc ad prudentiam spectabit Confessarii advertere ad qualitatem Personæ, & alias ejus circumstantias, ut possit cognoscere in quali ignorantia existat Pænitens.

Licet autem esset in Pænitente ignorantia invincibilis, adesset tamen spes profectûs ex instructione danda, debet Confessarius ex munere suo admonere Pænitentem hoc & illud esse illicitum: *Ratio* est: quia quilibet Confessarius tenetur docere errantem. Ut docet Sanchez *Reiffens* &c.

Quando autem Pænitens esset constitutus in ignorantia invincibili, & nulla esset spes futuræ emendationis ex instructione Confessarii, nec Pænitentem à peccato recessurum, non tenetur eum Confessarius admonere, *Ratio* est: quia talis monitio esset inutilis, imo nociva Pænitenti, unde talis relinquendus est in bona Fide; melius enim est, ut peccet materialiter cum ignorantia, quâ formaliter cum scientia.

Quodsi Pænitens aliquod patiatur dubium, illiusquè resolutionem petat, tenebitur ei Confessarius veritatem aperire, licet procerto sciat Pænitentem suis monitis non obtemperare, eo quod

in illo

illo peccato sit jam graviter inhabituatus. Ita Sanchez. *Ratio est*: quia Pænitens eo ipso quod dubitet, jam supponitur habere in conscientia remorsum peccati, ita ut amplius non sit in bona Fide, unde taciturnitas Confessarii fuisset ejus erroris approbatio.

Non desunt tamen qui oppositum docent, uti est La Croix, Tambur; Dicastillo & alii, si nimirum veritas aperta Pænitenti, ejusq; cognitio sit gravius obfutura, in tali enim casu prædicti Authores putant melius fecisse Confessarium, si ad propositionem dubii dissimulet se quasi non audisse, aut oblitus esset respondere; vel etiam Pænitenti dicendo: non jam opus esse ut illud sciat. Quorū hæc ratio est: quia in talibus circumstantiis veritatem positive operire, est idem ac gladium Pænitenti porrigere, quô seipsum lethaliter sauciaret. Primæ sententiæ meo videri in praxi standum esse. Quia in tali casu & Pænitens in suo dubio perseveraret, & Confessarius non bene satisfecisset suo Officio ut de se patet.

7. IV. Si tandem Pænitens erit probabilis Conscientiæ circa honestatem alicujus actus. vg. si videbitur ei licitum esse secare modice ligna ad culinam die Festo, tunc Confessarius licet esset contraria probabilitate præventus, tenetur tamen proprium deponere Judicium & conformare seipsum Opinioni Pænitentis. Quod observari debet generaliter etiam in aliis similibus casibus. Ita Sanchez Reiffen. & alii DD. *Ratio* est: quia gravitas aut levitas peccati Pænitentis non mensuratur dictamine Confessarii, sed *Pænitentis* cui imputatur ad culpam.

8. V. Cum Scrupulosis ita Confessarius procedere debet. Imprimis admoneat illos, ut non

 plus

plus sapiant quam oportet, sed suum Judicium subjiciant Confessarii Judicio dirigendum, ac efficacibus rationibus monstret illis, quod de eorum salute ita est sollicitus ac de propria. Dicat Scrupuloso: quod si tibi male consulam, tuum peccatum mihi soli imputabitur ad ruinam. Nam si Confessarius ante omnia plenam Fidem suæ doctrinæ non obtinebit, certè vix juvare poterit Scrupulosum.

9. Postea cognoscat originem Scrupulorum in Pænitente, quam cognitam eliminare studeat in successivis Confessionibus, & ideo obligare poterit Pænitentem, ut sæpius coram ipso confiteatur, paucis tamen est alloquendus verbis, ne scrupulus scrupulo inducatur; nam in multi colloquio non deerit talibus materia Scrupulorum.

10. Si vero sit talis Scrupulosus, qui suæ conscientiæ curam habet, uti sunt Viri Prudentiores, Confessarius tale ei consilium præbeat juxta Vasquez disp. 67. Cap. 2. ut scilicet nil putet mortale, nisi illud quod manifestè & absq; ulla formidine videatur ipsi tale.

11. Major adest difficultas Confessario cum illis Scrupulosis, qui nimium sunt solliciti circa peccata præterita, de futuris autem parum curant. Pro talibus præcipuum remedium solet esse frequentatio ad Confessionem, ut cautiores efficiantur in cavendis futuris peccatis; nam per frequentem Confessionem sæpius agnoscendo peccata commissa, debebunt firmius habere propositum futura amplius non committere. Licet tamen tales non evadunt statim cauti in evitandis futuris peccatis non est tamen cum illis ita severe agendum, sicuti cum illis, qui non sunt Scrupulosi. Interim Confessarius attentè invigilet, ne tales prætextu

Scrupu-

Scrupulorum evitandorum nimiam sibi licentiam usurpent, & aliquando pro Scrupulis vera & manifeste rectæ conscientiæ dictamina contemnant, magnas trabes pro festucis reputando. Unde in his scrupulis curandis Confessarius magnam debet adhibere curam una cum prudentia, ac discretione spiritûs ipsius Pænitentis.

12. VI. Si Pænitens taceret aliquod peccátum quod Confessarius scit ab illo esse commissum, vel quia Complex facti est illud confessus; vel ipse Sacerdos vidit peccantem. Tunc in tali casu si taceret solum illud peccatum, interrogandus est, (caute tamen) maxime si illud resciat ex Confessione Complicis, alioquin frangeretur sigillum Confessionis: si negaret illud se commisisse, ordinariè danda est ei absolutio. Ita Diana, Toletus, &c: *Ratio est*: quia in foro Sacramentorũ Pænitens stat pro se & contra se, adeoq; est illi credendum.

13. VII. Si Pænitens confiteatur aliquod peccatum mortale in prioribus Confessionibus occultatum. Interrogandus est à Confessario, 1*mo*. A quot annis hoc peccatum reticuerit? 2*do*. Quot Confessiones & Communiones cum tali peccato fecerit? 3*tio*: Utrum in omnibus Confessionibus recordabatur ejusdem? Tandem admoneat illum ut reconfiteatur omnia illa peccata præsertim gravia illarum Confessionum in quibus scienter hoc delictum occultavit; cum omnes ille Confessiones fuerint sacrilegæ. In quorum commemoratione juvare debebit per interrogationes Pænitentem si opus aderit.

14. VIII. *S*i *P*ænitens sit constitutus in proxima occasione peccandi; ante omnia Confessarius admoneat eum, ut ipsam quam primum poterit

relinquat, si potest. Quodsi noluerit aut in sæpius repetitis Confessionibus promiserit & tamen nõ fecerit, non est absolvendus. *Ratio est*: quia talis non supponitur esse ritè dispositus & contritus, nec habere firmum propositum emendandi, cum affectus ad proximam occasionem peccandi, sit virtualiter ipsa volitio peccati. Pro quo:

15. *Nota* I. Quod occasio peccandi est duplex *Proxima* & *Remota*: ima est illa: in qua constitutus moraliter non potest cavere peccatum. Ut si vg, *Petrus* cum Helena in eadem domo maneat. *Remota* verò est illa: per quam homo moraliter non cogitur ad peccatum. Primam tenetur Pænitens fugere sub mortali; quia: *qui amat periculum in illo peribit.* Eccl. 3. *Remotam* verò non tenetur, quia aliàs omnes deberemus exire in Eremum, aut Monachi fieri, ad fugiendas innumeras occasiones peccandi.

16. *Nota* II. Quod licet sub mortali unusquisq, teneatur removere occasionem proximam peccandi, propter rationem superius citatam, non tamen indispensabiliter omnes, sed tantum ille qui potest; si vero sit in tali occasione constitutus, quã sine scandalo, infamia, aut gravi damno non potest removere & fugere, aut quia non est in ejus potestate alienare illam Personam, quæ Pænitenti est occasio proxima ad peccandum, tunc ad hanc legem hujusmodi Pænitens non tenetur, sed à Confessario admonendus erit, ut habeat firmum propositum, quàm primum aderit commoditas se talem occasionem deserturum; & si est occasio proxima ad peccatum luxuriæ, promittat Confessario se specialiter evitaturum colloquia, familiaritates, loca privata, munuscula, aliasq; peccati illecebras, faciendo aliquo modo ex occasione proxima remotam.

17.

17. Quod si in repetitis Confessionibus hæc omnia adimplere promittat, & nihil horum in effectu adimpleat, non est absolvendus; nec de facili tali credendum est, etiamsi promittat firmum propositum se jam ab hinc emendandi, & à suis præteritis peccatis desistendi; quia talis eo ipso quod in præcedentibus Confessionibus simile propositum fecerit, & tamen in iisdem fæcibus sordescit; signum est quod etiam in moderna Confessione mẽtietur Spiritui Sancto.

18. Sunt etiam aliqui Pænitentes consvetudinarii, aut in proxima occasione constituti, qui non ideo confitentur ut resurgant à peccatis, sed ne videantur cæteris suis familiaribus indevoti, & hi nullum possunt habere verum propositum amplius non peccandi.

19. IX. Si Pænitens sit recidivus & consvetudinarius, magnâ Prudentiâ ac discretionẽ circa ipsum adhibeat Confessarius. Nam talis relapsus non semper est verum signum falsæ Pænitentiæ, sed potius fragilitatis humanæ.

20. Unde si Recidivus post ultimam Confessionem saltim paululum sese emendaverit, nec tot peccata quot ordinarie solitus fuerat, commisit, & aliquem conatum ad se emendandum adhibuit, debet absolvi, & admoneri, ut in firmo proposito perseveret.

21. Quodsi augeat numerum peccatorum, aut saltim ita longo tempore sua peccata continuet aliquoties se vincendo, & iterum relabendo, ac numerum augendo, tunc Confessario duo extrema erunt vitanda. *1mo.* Ne per nimiam severitatem sit potius occasio ruinæ Spiritualis & desperationis Pænitentis, quàm salutis. *2do.* Ne è contra per nimiam clementiam potius foveat peccata,

quàm

quàm minuat: Unde Prudens ac discretus Confessarius hujusmodi Recidivum, & gravioribus motivis deterreat à relapsu, & dulcioribus verbis erigat mentem in fiduciam D. Bonitatis prout Spiritus S. dabit eloqui illi.

22. Si tamen ista remedia post sæpius repetitas Confessiones nihil proficiant, & ipse Pænitens semper in eodem numero peccatorum aut majori accedat, nullumq; serium conatum adhibeat quo tentationibus peccandi resistat, tunc absolutio ei ad tempus denegetur, ne Confessarius Pænitentem in suis peccatis videatur fovere. Hoc tamen rarò faciat, & potius Confessarius omnem lapidem moveat, antequam relapso absolutionem deneget. Agitur enim in tam gravissima causa de periculo desperatæ salutis.

23. *Quæ sunt Remedia Consvetudinariis seu Recidivis à Confessario præscribenda?*

℞. Sunt plurima, quorum aliqua sunt Generalia, nempe in omni mala consvetudine adhibenda; aliqua verò sunt particularia in consvetudine tali & tali; vg. Peccati luxuriæ proponenda.

24. *Generalia Remedia sunt danda Recidivo sequentia:* 1. Humiliter ac frequenter cum plena in DEUM fiducia petere auxilium ejus. 2. Frequenter confiteri, & quidem uni & determinato Confessario. 3. Devote communicare. 4. Attente legere de gravitate peccati ac pœnis infernalibus atrocissimis. 5. Confugere ad preces B. V. Mariæ tanquam universale refugium peccatorum. 6. Fugere occasiones peccandi, videlicet Personas, aut objecta inductiva ad illud peccatum, cujus habet consvetudinem. 7. Tandem cum D. Bernardo poterit Confessarius svadere Recidivo, ut triduo abstineat à familiari sibi vitio in honorem SS.

Trinita-

Trinitatis. Quod si fecerit? iterum persvadeat: ut quinq; diebus abstineat in honorem 5. Vulnerum Christi Crucifixi: & sic deinceps donec totus habitus vitiosus auferatur.

25. Particularia remedia Recidivo danda præsertim quo ad peccatum luxuriæ quod est communissimum, ultra Remedia Generalia superius enumerata proponenda sunt sequentia. 1. Ut caveat aspicere Personas cum quibus solet peccare & colloquia cum illis habere. 2. Ut abstineat à calidis & lautioribus esculis. 3. Ut faciat aliquam carnis mortificationem. 4. Ut mane surgendo faciat firmum propositum hac die illud peccatum non committendi, habeatq; illud propositum de die in omni occasione firmiter inhærens memoriæ. 5. Poterit etiam Confessarius præter motiva supernaturalia adducere alia naturalia, demonstrando; quantum habitus luxuriæ obsit sanitati, quomodo abbreviat vitam: sæpe enim homines malæ conscientiæ magis timent mala corporis, quam animæ, & plus curant ne moriantur, quàm ne pereant in æternum. 7. Si Recidivus est adhuc liber consulendum est illi, ut potius nubat, quàm DEUM ita gravissime offendat. 7. Si ebrietas sit causa pravæ consvetudinis, ante omnia prius eliminari debet, quia sublatâ causâ tolletur effectus,

Alia remedia singulis peccatis applicanda Prudentis Confessarii relinquo arbitrio.

X, Si Pænitens erit Puer de quo Confessarius potest prudenter dubitare an sit recte dispositus, & utrum habeat usum rationis sufficientem ad Confessionem Sacramentalem peccatorum? debet in illo considerare sequentia.

I. An habet reverentiam Sacramenti, & utrũ intra Confessionem pueriles manibus aut oculis non faciat gestus.

II. Si ad interrogata affirmativa, respondit affirmative, & ad negativa negative vg. Si interrogetur, utrum dæmonia invocabat? respondet *invocabam*. Et iterum; non maledicebas verbis pessimis? si respondet: Non. Vel si de eodem peccato interrogabitur semel affirmative; & iterum negative, & ad utrumq; respondet modo interrogationis affirmativo & negativo. Signum est quod non habeat adhuc debitum usum rationis. Et tali danda est simplex benedictio, & si aliquali naturalitate pollet, poterit in augmentum gratiæ Eucharistiam sumere.

26. Sed in his bene considerari debet ætas, & aliæ circumstantiæ Pueri, nam licet possit habere usum rationis, quia tamen male est instructus à Matre, ideo conformat se dictis Confessarii, unde talis instrui debet à Confessario, maxime si est ejus Parochus, ad quem sub conscientia pertinet de jure.

27. *Quonam anno Pueri habent usum rationis?*

℟. Non potest pro omnibus certum ac determinatum tempus asignari, siquidem hæc res plerumq; dependet à naturali complexione & meliori educatione. Unde licet septimus Annus communius assignetur pro usu rationis in Pueris: videmus tamen experientiâ contrarium, nam Pueri Nobilium honestæ educationis solent habere, usum rationis circa sextum annum, & plebeæ conditionis vix octavo aut nono anno.

28. Unde universaliter protunc habetur in Pueris usus rationis, quando jam habent pudorem naturalem ex aliquo inhonesto facto, etiamsi hic & nunc non repræhendantur, quia pro tunc jam sciunt discernere inter bonum & malum, adeoq; jam supponuntur noscere hunc actum esse licitum, illum vero illicitum, sive talis illorum scientia proveniat

veniat ex naturali instinctu, sive etiam ex promulgatione præcepti id prohibentis.

29. *Nota* quod Pueris quàm primum potest fieri, post acceptum usum rationis, debet inculcari actus charitatis DEI & Fidei; ut pro tunc tanquam rationales creaturæ se convertant ad Creatorem per amorem & fiduciam in ipsum.

ARTICULUS VI.
De aliis Regulis practicis, præsertim circa Maleficiatos, Confessarium dirigentibus.

1. *Quid faciendum Confessario cum Pænitente Maleficiato?*

℟. Cognito maleficio poterit facere exorcismum & uti illis remediis, quæ solent applicare communiter Exorcistæ. Sed quia plerumq; in his falluntur & ipsi Maleficiati, & simul Confessarii ac Exorcistæ, qui facile credunt dictis Maleficiatorum, ideo sciendum est:

2. Signa Maleficiati esse sequentia. I. Si ægrotus magis horret cibos in occulto benedictos, quã alios. II. Si in præsentia Eucharistiæ aut reliquiarum vehementer horreat. III. Si laboret siti, aut fame, & tamen neq; bibere, neq; manducare potest, neq; ipsi medicinæ aliquid prosunt, quæ in similibus prodesse solebant. IV. Si ex ore ejusdem exeant quasi infernales fætores sulphuris, picis &c. V. Si ex ventre ejus procedant insoliti clamores ranarum &c. VI. Si in vomitu ejiciantur ranæ, vermes, aut alia similia.

3. Circa Infantes Maleficiatos hæc sunt signa

sequentia

sequentia. I. Quando per aliquot dies non manducant neq; lac sugunt nulla alia interveniente causa. II. Si sæpius contremiscunt & insomnes ducunt noctes, absq; ulla causa naturali per expertos cognita. III. Quando oculos habent pavidos neq; Sacerdotem intueri possunt. IV. Dum continuo lac sugunt si sint infantes, aut comedunt nunquam tamen satiantur, imo quotidie macilentiores apparent, non obstante quod nutrix sana existat. V. Si repente absq; causa naturali pallescunt amissa faciei & totius corporis complexione. Hoc enim solet fieri ideó, quia Sagæ Sangvinem de corpore illorum sugunt.

Remedia debent hæc adhiberi, nempe: ante cubitum aspergendi sunt aquâ benedictâ & signo Crucis ac aliis reliquiis muniri debent. Ab infantibus enim faciliús maleficia expelli possunt, eó quod illorum anima adhuc remanet innocens.

4. Circa Conjungatos hæc sunt sequentia maleficii signa: I. Si Maritus Uxorem absentem satis diligit, præsentem veró odio habet. II. Cum Vir Uxori, nec vicissim appropinquare potest ad copulam Maritalem habendam, tunc signum est quod aliquod Sagæ corpus intermedium existat. III. Dum natura licet sit satis robusta & tamen debilitatur, quando Maritalis attentatur copula. IV. Si Uxor sit capax, pro illo tamen tempore dum tentatur copula, subito ita constringitur ut penetrari nequeat. V. Si Maritus sit capax ad coeundum cum aliis, non vero cum Uxore propria, etiamsi ipsam diligat.

5. *Quid faciendum Confessario si àliqui accedant ad Confessionem quasi obsessi à Dæmone?*

Antequam ad quæsitum respondeam inferius numero 8.

Sciendû

Sciendum est I. Potestatem exorcizandi quam Confessarius vi ordinis habet posse exerceri dupliciter. *Solemniter* cum certo scilicet apparatu corā hominibus in loco publico. Et non *Solemniter* sive *Privatim*, sine his solemnitatibus per simplicem invocationem Nominis JESU.

Sciendum II. Quadruplex esse Præceptum, quibus à Confessario obsessæ Personæ adjuvari solent, nempe; *Commune*, *Probativum*, *Lenitivum*, & *Expulsivum*.

Primum est per quod Dæmon ad aliquid agēdum vel omittendum constringitur.

Probativum est, per quod aliquid Dæmoni Confessarius præcipit agere vel loqui, ut exinde in notitiam deveniat, num quis vere vel ficte sit obsessus.

Lenitivum est, per quod Confessarius adstringit Diabolum, ut lenius procedat cum obsesso.

Expulsivum est, per quod Confessarius absolute expellit Dæmonem.

6. *Signa* verè obsessi etsi plurima ab Auctoribus enumerari solent, hæc tamen sunt magis secura ac certa ex Rèiffens. I. Si obsessus noscatur ante rudis & illiteratus, postea disputet subtiliter & præsertim variis lingvis quas nunquam scivit. II. Si intelligat verba lingvis ignotis prolata. III. Si verè occulta, aut remota intra brevissimum tempus annuntiet. IV. Si ante fuit debilis, nunc supra modum evadit fortis. V. Si aliquis tumor aut insolitum signum corporis ad jussum Confessarii in Nomine JESU evanescat, & iterum jubente appareat. VI. Si certo sciatur per aliquot dies nihil manducasse & bibisse, & tamen robustus appareat. VII. Si nulla alia præcedente causa velit sibi mortem inferre, ita ut se cruen-

ter saxis collidat, in ignem mittat, nec tamen malum sequatur. VIII. Si seipsum aliquo instrumento lædat, & mox sine ullo remedio sanetur IX. Si Sacramenta, Reliquias, Sacerdotes contra suam voluntatem odio habeat. X. Si elevetur in aera, vel absens ad jussum Confessarii illico se sistat.

Sunt etiam alia plurima signa, in quibus & recensitis oportet esse Sacerdotem omni ex parte cautum, ne in illis simulata malitia interveniat, præsertim in mulierculis, quibus de facili non est credendum.

Si enim alterius lingvæ proferat quasi obsessus plurima verba, non ideò statim credendum est, maxime si illa Confessarius non intelligit, utrum benè vel male sint prolata; sed adhiberi debent alii in hac lingva periti.

Sunt enim pleriq; Complexionis melancholicæ, uti sunt Hypocondrici, excessum habentes in atrabile, ut refert Candidus Brognoti tom. 2. diff. 4. qui mirabiles actiones exercere solent, velut maleficiati aut obsessi mirabilia loquentes.

7. Habitô itaq; efficacissimô signô veræ obsessionis, procedat ad expulsionem, si tamen velit exorcizare publicè & solemniter, prius omninò licentiam ab Ordinario obtineat, & si est Regularis à suo Superiore facultatem habeat, aliàs & seipsum & Sacramentum Exorcistatûs exponeret ludibrii periculo.

8 Quantum tamen ad Confessionem obsessi pertinet de qua in præsenti sermo; audacter Confessarius plenus Fide Dæmoni imperet præceptô Lenitivô ne ipsum ad Confessionem faciendam impediat, quâ auditâ poterit si velit ulterius ad Exorcismum Particularem aut Solemnem procedere servatis tamen servandis.

9,

9. Sive autem Solemniter sive Privatim obsessum velit exorcizare, hæc ipsi ulterius observanda sunt. I. Ut ante omnia sit plenus Fide & fiducia in DEUM in cujus potestate Dæmoni imperat, nihil hæsitando. II. Præparet animam suam in oratione & Jejunio juxta doctrinam Christi. III. Nihil quærat ex Dæmone quantumvis bona, quæ non pertinent ad liberationem obsessi. IV. Non multū cum Diabolo discurrat, nec ad illius dicta spontanea multum attendat. V. Si promitit se egressurum hoc vel illo tempore, non credat, sed ulterius juxta authenticum Rituale cum ipso procedat. VI. Ad quæsita ejus nihil respondeat, & ad ridicula ejus facta vel dicta, minima levitate risûs feratur Exorcista, imo circumstantes ad orationem alliciat. VII. Semper imperativè ad Dæmonem loquatur, verbis etiam utendo (si ei videbitur) contumeliosis & indignatione plenis. VIII Dum malus Spiritus exorcizmo debilitatus apparebit jam exiisse de corpore, non propterea quiescat prudens Exorcista, sed ulterius urgentius contra ipsum insurgat; quià ideo Dæmon exire aliquando se simulat, ut interrupto exorcizmo vires suas congreget, prout sæpius experientiâ comprobatum est.

10. *Quæ media applicare debet Confessarius obsesso recenter liberato?*

℟. Hæc sequentia: I. Talem esse instruendum, ut continuet in fortissima Fide & fiducia erga DEUM, ita ut si aliquando strepitus aut clamores audiat, non facile credat se denuo obsessum fore. II. Juxta factum D. Bernardi, juvat, ut exorcismus calamô & atramentô benedictô scriptus suspendatur in collo liberati, his verbis: *In Nomine Domini nostri JESU Christi præcipio tibi Dæmon, ne*

hanc

hanc creaturam DEI ingrediaris in posterum. III. Juvat etiam ut taliter liberatus secum ferat Reliquias. IV. Ut ducat vitam abhinc piam. V. Ut frequenter invocet Nomen JESU.

Si potest fieri commode, recenter liberatus sit per aliquot dies cum suo Exorcista, ut in difficultatibus & tentationibus Sathanæ adjuvari possit.

11. *Quid faciendum Confessario cum Pœnitente si confiteatur se tenere Dæmonem in Annulo, nummo, aut alia re inclusum, à quo liberari nequit, etiamsi sæpius illa projiciat aut frangat?*

℟. Cognita veritate rei debet sequentia observare. I. Admonendus est Pænitens, ut præter dolorosam contritionem & Confessionem peccatorum suorum eliciat ferventem detestationem, ac execrationem omnis pacti Diabolici. II. Firmandus est, ut ab hinc nihil timeat minas Diaboli, qui sub diversis figuris poterit ipsi apparere. III. Absq; ullo timore jubeat Confessarius sibi tradi inclusum Dæmonem, habens firmam fidem illum à se non discessurum donec finiatur res. In qua etiam fide corroborandus est & ipse Pænitens. IV. Tandem post discessum Pænitentis, Confessarius invocato Nomine SS. Trinitatis, sedens cum stola quasi pro Tribunali, illam rem in qua Dæmon includitur ante se ponat, formans sequens præceptum expulsivum.

Ego N. Minister Christi & Ecclesiæ tibi maledicto Dæmoni præcipio in Virtute SS. Trinitatis, & in Nomine Domini Nostri JESU Christi ne in tuó decessu, vel minimum mihi, aut aliis nocumentum ullum inferre præsumas, neq; excites strepitum, vel post te fætorem relinquas. Eadem Authoritate & Potestate In Nomine Domini Nostri JESU Christi tibi præcipio, ut totaliter recedas, & fugias: nec

in

in posterum ullam habeas potestatem revertendi ad creaturam illam, nec illam ullo modo molestandi ac vexandi. Fuge ergo & recede spiritus immunde & apostatice, sic enim impero tibi In Nomine Patris & Fili & Spiritus S. Amen.

Poterit Exorcista ad ultimum præceptum illum *Fuge ergo &c.* in opprobrium Dæmoni vas illud confringere & pedibus conculcare, ac fragmenta ejus si sint combustibilia igne benedicto comburere ad id tempestive præparato. Hæc Ubaldus Stoiber part. 2. q. 9. n. 186.

12. *Quid faciendum Confessario cum Pœnitente si confiteatur se esse subscriptum Diabolo ad certum tempus quod jam proxime expirat?*

℟. Ante omnia cautissime procedat cum talibus Personis, ne ipsum & Sacramentum Pænitentiæ turpis lucri gratia illudant sperantes ab ipso se aliquid recepturas. Deinde attendat si non sunt sagæ quæ jussu Dæmonis solent absq; ulla verecundia modo turpissimo peccata luxuriæ confiteri, ut ipsum Confessarium ex inde tentationibus repleant.

Quodsi nulla deceptionis signa appareant cum talibus hoc modo procedat. I. Disponat Pænitentem ad dolorosam Confessionem omnium suorum peccatorum. II. Detestetur pactum cum Diabolo, illudq; per merita Christi annullet cum plena fiducia, non obstante, quod illi Dæmon non reddat cyrographum. III. Renovet professionem Fidei. IV Muniatur SS. Reliquiis. V. Oret frequenter, ac muniatur sæpius signo Crucis, cum aspersione aquæ benedictæ. VI. Admoneatur ut fortiter resistat tentationibus Diaboli, neq; timeat horribiles aspectus ejus. VII. Confirmetur in fiducia erga DEUM, quia tales solent desperare se jam impossibile

ſibile ſalvos fieri. VIII. Dum imminet tempus determinatum ſubſcriptionis, huic Confeſsarius vel alter Sacerdos aſsiſtat perſonaliter, ſvadendo ante hoc tempus adhuc Confesſionem & Communionem faciendam eſſe.

13. *Quid faciendum Confeſſario in Confeſſione Magarum vel Sagarum?*

R. Hæc debet obſervare ſequentia, I. Interrogandi ſunt tales: *1mo.* A quo tempore in hunc ſtatū devenerint? *2do.* Quoties intra hoc tempus confeſsi & Communicati sacrilegè fuerint? *3tio.* An Hoſtias non tractaverint male, ut ad ſuperſtitioſas res adhiberent? *4to.* An alios in hac arte inſtruxerint? *5to.* An aliis nullum grave damnum vitæ, famæ, aut fortunæ intulerint? quodſi ſic, quoties quo ad ſingula contigerit? *6to.* An abjurando DEUM vel negando Articulos Fidei ipſum Dæmonem non adoraverint, & quoties? *7mo.* An cum ipſo Diabolo, vel cum aliis ejusdem vel diverſi ſexus conjugatis vel ſolutis vitia carnis exercuerint? *8vo.* An Res Sacras non profanaverint ſuperſtitioſe abutendo illis? *9no.* Quoties horrendas blaſphemias in DEUM & Sanctos protulerint? *10mo.* An se Diabolo ſubſcripſerint atramento vel proprio Sangvine; & utrum ab illo cyrographum receperint? ſi illud oſtendant? *S*acerdos delaceret & in igne benedicto comburat.

II. Finitâ Confesſione repetat cum talibus Confeſſarius doloroſam deteſtationem ſuorum peccatorum cum efficaci propoſito. Item renuntiationem Diabolo & affectui ejusdem. Poterit etiam cum illis facere renovationem Profesſionis Fidei,

III. Moneat ipsos per talem renuntiationem & Confesſionem omnia jam pacta Diaboli ſolvi, & ſubſcriptionem Diabolo datam pænitus ceſsare, etiamſi

amsi Cyrographū sibi datum amplius non redderet.

IV. Si intra Confessionem prædictæ Personæ fateantur aliquos infantes in nomine Diaboli, aut alio quovis modo invalide baptizasse, obliget illas Confessarius, ut sibi id extra *Sacramentum* Pænitentiæ manifestent, ut talibus in remedio salutis summè necessario subvenire possit. Sæpius enim Sagæ sunt Obstetrices.

V. Si dicant Hostiam in aliqua terræ parte servasse, Confessarius hanc rem DEO commendet, quià in loco humido supponitur species Panis jam corrupta esse, præsertim à longo tempore.

VI. Taliter veró confessis, detur absolutio ab omnibus censuris & peccatis; & quia tales Personas solet Dæmon infestari, muniantur Reliquiis, imo potest scribi Exorcismus calamô & atramentô benedictis, & apponi collo earum. Exorcismus vero potest esse talis:

Ego N: ut Minister Christi & Ecclesiæ in Nomine Domini Nostri JESU Christi præcipio vobis Dæmonibus, ne imposterum sive per vosmetipsos, sive per alias maleficas Personas introductas huic creaturæ DEI N.*quomodocūq; nocere aut molesti esse præsumatis.*

Plura de Sagis in casu extraordinario videri possunt apud Layman l. 3. tract. 6. cap. 3.

14. *Quid faciendum Confessario si vocetur ut spectra diabolica vel magica expellat à Domibus quas infestant?*

℟. Debet imprimis attendere ad omnes circumstantias loci, temporis, Personarum &c. accurate examinando an sint vera spectra? vel potius vanus timor aut aliqua fraus humana?

II. Cognita re quod sint spectra Diabolica; ante omnia Patremsamilias ac congregatos domesti-

cos efficacibus verbis ad firmam fidem ac fiduciam in DEUM, nec non ad contritionem de peccatis suis adhortetur

III. Postea indutus super pelliceô & stolâ accepta, Cruce, & Candelis benedictis accensis, acceptâ aquâ benedictâ simul cum habitatoribus processionaliter accedat ad portam domûs, ibiq; Litanias *de Omnibus* SS. inchoet, quas circumeundo continuat, & in loco principaliter infestato coram exposita Crucifixi Imagine finiat, monendo domesticos ne in fide dubitent; ad hæc enim fides magna requiritur.

IV. His peractis tanquam Judex à DEO destinatus sedens, voce gravi præceptum probativum contra Dæmonem pronuntiet dicendo:

In virtute SS. Trinitatis, & in Nomine Domini Nostri JESU Christi præcipio vobis Dæmones ut si habeatis aliquam potestatem in hanc domum, detis mihi sine ulla læsione signum evidens præsentiæ vestræ, causando aliquem tumultum, aut rumorem, quem prius me absente causare consveverastis.

Quodsi nullus tumultus, aut aliud signum præsentiæ habeatur, rectè infertur, aut ibi nullum fuisse spectrum, aut jam evanuisse, aut esse animam damnatam, vel in purgatiorio existentem.

Ultimò, genuflexis cæteris & firma fide ac fiducia in DEUM orantibus, ipse Confessarius sedens pro Tribunali ad expulsionem procedat, faciendo exorcismum ex aliquo Rituali acceptum.

Hoc ipsum faciat si anima damnata foret, est enim ejusdem conditionis cum Spiritu malo.

15. *Quid faciendum, si adhibitis omnibus modis adhuc dubitetur an sit spiritus bonus vel malus?*

℟. Ex Armamentario Spirit. p. 2. c. ult. q. 7. practicandus est modus P. Joann. Godi. Ille enim

vocatus

vocatus in similem domum, cum Sociis Officium Defunctorum recitavit. Postea strepitu exurgente adjuravit spectrum in Virtute SS. Trinitatis, & Nominis JESU: ut non recedat de loco priusquã ad ea de quib9 interrogaverit veraciter respondeat.

Quæsivit autem I. An esset Spiritus bonus vel malus? Poterit etiam pro majori securitate (si dicat se esse Spiritum bonum) peti, ut secum Nomen JESU honoret & devote invocet. II. Instet: Quis esset? quid velit? quibus cognitis illam animam dimisit, & pro illa quæ petebat facienda curavit.

16. *Quid faciendum Confessario cum illis, qui proponunt in Confessionali varias sibi revelationes factas, aut in extases se raptos?*

℟. I. Talis Confessarius non solum debet seipsum informare in Tgeologia morali, & speculativa, sed præcipue in mystica, quam haurire poterit in libris S. Teresiæ, ex Tractatu D. Cardinalis Bonaventuræ de discretione Spirituum. Imò debet legere etiam libros Medicorum, quinam effectus provenire possunt à natura, & qui non?

II. Non debet esse facilis ad credendum.

III. Non facile applaudat tali Pænitenti, laudando illum, aut miretur quasi Sanctum, quinimo moderate increpet, tentando illum, num aliqua in ipso lateat superbia.

17. Circa Revelationes advertat. I. An materia revelata nihil contineat contra fidem? II. An Pænitens revelationes passus, sit vitæ devotæ, humilis, & abnegans seipsum? III. An supra suum statum pusillanimitatis revelat difficilia? IV. An non sit nimis Melancholicus? V. An revelata tendant ad Majorem DEI Gloriam?

Plura videantur ex P. Adalberto Reiffenst. p. 2

cap. 1. circa Revelationes Sanctæ Tereſſiæ.

18. Circa verò Extaſes hæc ſunt notanda.

Extaſis est. Alienatio Potentiæ immaginativæ ab aliis rebus cum fixa detentione in certa alicujus objecti conſideratione.

Hæc dividitur in *Supernaturalem Dæmoniacam* & *Naturalem*, quas diſcernere eſt difficillimum.

Supernaturalis provenit à DEO, & à Sancto Dyonifio deſcribitur, quod ſit quædam: *Voluptuoſa elevatio devotæ animæ ſupra ſe deſerto exteriori homine ad ſupernaturalem Divinì amoris fontem.*

Dæmoniaca tunc habetur: dum vel Diabolus immediate, vel ejus ope Magi mentes hominum à ſenſibus externis alienant, figendo potentiam immaginativam ad certum objectum à Diabolo præſentatum. In quo Caſu Dæmon vel externos ſenſus modo inſenſibili ligat, vel impedit ne in illos ſpiritus animales defluant ad officia ſenſuum neceſſarii.

Signa diſcernendi Extaſim Supernaturalem à Dæmoniaca licet plura à Matthæucio in ſua practica tit. 3. cap. 3. Art. 1. n. 12. ſint aſſignata, illud tamen præ cæteris eſſe videtur certius: Si nempe homo extaticus ſit præditus heroicis virtutibus, neq; poſt extaſim glorietur, ſed magis humilietur & doleat, quod ab aliis audiatur ſe paſsum fore extaſim quam celare voluit. Alia ſigna ut eſt frequentiſſima extaſis, aut elevatio à terra non adeo efficaciter probant extaſim eſse Diabolicam, aut Supernaturalem. Quia plures leguntur Viri devoti frequentiſſime extaſim habuiſse, & tamen hæc fuit ſupernaturalis etiamſi non fuerint à terra elevati.

Naturalis Extaſis oritur ex valde intenſa & immoderata conſideratione objecti nimium dilecti

aut

aut satis terrifici per quam confluunt in cerebrum omnes spiritus animales, vel saltem potiores, qui sunt in sensibus externis & potentia locomotivâ ita, ut prædictæ potentiæ, evacuatæ quasi mortuæ videantur, donec à cerebro denuo ad illas spiritus animales revertantur.

Et hæc extasis teste Paulo Zachia possit versari etiam de rebus cælestibus, ante per intensam meditationem phantasiæ repræsentatis. Etsi fuerint copiosi spiritus melancholici collecti in cerebrum debile, longiori tempore durabit extasis naturalis, quæ postea disponet in Apoplexiam aut Catalepsim.

19. Porro *Sciendum est* quòd plures sunt morbi, qui habent quandam similitudinem cum extasi naturali: uti sunt: *Catalepsis* qua homo destituitur omni sensu. *Cares* qui est somnus profundissimus: sicuti etiam *Coma somnolentum*; cum hac differentia, quod primus somnus procedat à frigido, secundus vero ab humido, & ideo diversis nominibus appellentur. *Coma vigil* quæ est propensio ad somnum, ubi tali morbo laborantes etsi facile dormiant, de facili tamen iterum excitantur. *Suffocatio uteri*: est morbus Fæminis familiaris, qui si magnus? mulieres tanquam mortuæ apparent, transacto tamen, proximè audita referunt.

ARTICULUS VII.

De *Regulis Confessarii circa Ægrotos & Captivos morti destinatos.*

1. *Quid observandum Confessario circa Pænitentes Ægrotos?*

℟. Ante omnia invocato DEI auxilio, faciat sibi

sibi firmum propositum nihil aliud quærere nisi salutem proximi. II. Eadem promptitudine adire studeat pauperes ac divites, III. Ante ingressum, interroget domesticos, de conditione morbi, moribus infirmi, ut possit ei condolentiam magis familiarem facere. IV. Ingressus cubiculum dicat: *Pax huic domui*; aspergatq; infirmum aquâ lustrali. V. Verbis condolentibus ac placidis captet sibi benevolentiam ægroti. VI. Patienter ferat discursus infirmi de suo morbo etiamsi narrati prolongentur, & ex ipsis remediis corporis inefficacibus, prudenter ac discrete inclinet discursum ad præstanda remedia animæ. VII. Caveat Confessarius cum infirmo, & præsertim Fæmina, clausa januâ & absentibus omnibus loqui, sed apertâ januâ quantum fieri potest Confessionem excipiat. VIII. Si infirmus renuat confiteri alliciat eum efficacibus verbis. Si amici verentur admonere infirmum de periculo mortis, ipsemet Confessarius discretè ac suaviter id ei innuere non omittat, ne in spem futuræ sanitatis differat Confessionem.

2. *Quid observandum Confessario circa Moribundum?*

℟. Omnia illa præcedenter dicta; & ultra hæc debet monere Confessarius Moribundum ut abjectis sæcularibus negotiis, quæ de facili compensari possunt, omnem curam adhibeat circa salutem suam. II. Admonendus est, ut si adhuc aliquod peccatum sit omissum in præcedenti Confessione, aut de novo commissum confiteatur & viaticum desideret. III. Datô Viaticô, ut aliquo titulo Indulgentiam plenariam obtineat. IV. Datâ Cruce ad manus aut ante oculos positâ, dicat cum infirmo actus jaculatorios breves. V. Informetur ut semper habeat in ore vel mente Nomen JESU & MA-

RIÆ.

RIÆ VI. Si videatur jam amisisse sensus, alloquatur eum ex superiori parte capitis ad cerebrum.

Nota I. Quòd Moribundus potest absolvi ab omibus casibus reservatis & censuris, etiam â simplici Sacerdote, si alius in promptu non habeatur.

Nota II. Quod dum inferior absolveret à casibus reservatis Moribundum, debet sub mortali tria ei imponere onera, antequam illum absolvat. 1. Ut si convaluerit præsentet se Superiori habenti potestatem à reservatis absolvere. 2. Ut habeat promissionem de stando mandatis Ecclesiæ. 3. Si satisfactio alicui debeat fieri, debet ei satisfacere prius, vel cautionem juratam dare.

Nota III. Quòd absolutus à reservatis quæ non habent annexam censuram, licet convaluerit, non tenebitur tamen se præsentare Superiori. Ut docet Navarrus & alii.

Nota VI. Quod Moribundus destitutus usu lingvæ si pectus pulset, aut suspirans in Cælum oculos levet vel aliud signum doloris ostendat debet absolvi. Quodsi dubium sit, utrum ista signa fuerint orta ex vi contritionis, vel potius ex mærore & angustia mortis, danda est absolutio sub conditione, ne exponatur nullitati Sacramentalis absolutio .Ita DD. communiter.

Si vero nullum signum dederit, adfuisset tamen unus, vel alter testis, aserens petitam fuisse ab eo Confessionem & habuisse signa contritionis, dũ adhuc utebatur sensibus, debet absolute absolvi.

Cæterum si nec signa nec testes signorum habuisset Confessarius, absolvet Moribundum sub conditione, si hic Christianè se hactenus gesserit, nempe ut bonus Christianus frequentando Sacramenta.

Nota V, Quodsi Moribundo vg. lethaliter vulnerato

nerato peremptoriè esset necessarius, & Confessarius & medicus, debet prius Confessarius unum vel alterum peccatum audire & absolvere, tandem cedere Medico ad medicinam applicandam, si autē supervixerit, confiteatur iterum integrè, & iterato absolvatur.

Nota VI. Quod in evidenti periculo existentes vg. bello aut naufragio possùnt absolvi, audito iterum uno vel altero peccato. Quodsi neq; hoc possunt exprimere propter imminens periculum, sufficit ex ipsis signum doloris vg. tunsio pectoris, in quo casu possunt simul absolvi plures per hanc formam: *Ego vos absolvo à peccatis vestris* &c. Ita DD.

Nota Quòd Mulieres prægnantes, quæ octavo mense expertæ sunt periculosos partus, aut quæ primo pariunt, debent absolvi sicuti alii moribundi, quia sunt in evidenti periculo constitutæ.

3. *An Viaticum potest dari non jejuno?*

℞. Affirmativè juxta communem sententiam, maxime si infirmus non possit sine incommodo absq; cibo vel potu expectare mediâ horâ, vel si longe distet & periculose ægrotet.

4. *Unde dicitur Viaticum?*

℞. A via æternitatis quam ingressurus est infirmus, est enim salutare pabulum animarum Moribundi refocillans, & augmento gratiæ corroborans.

9. *Potestne in eodem morbo pluries dari Viaticum?*

℞. Potest & quidem post sex aut octo dies. Ita Henriq; & alii apud La Croix

6. *An potest dari Viaticum deliranti propter vg. febrim malignam?*

℞. Posse dari, si nullum adsit periculum irreverentiæ

verentiæ Sacramenti, præsertim si ante delirium fecerit confesfionem.

7. *Quid observandum Confessario cum Ægroto cõtagioso?*

℞. Acceptis remediis, quæ solent applicari contra pestem; brevibus verbis excitet illum ad dolorosam Confesfionem. II. Sive in actuali confesfione, sive post, non valde applicet propinq; faciem ad os infirmi. III. Collocet se in tali loco ad Ægrotum ut exhalationes ex lecto & ore infirmi potius cum aura recedant à Confessario, non vero accedant ne inficiatur. Cætera observabit, sicuti cum aliis infirmis.

8. *Quid faciendum Confessario cum illis Ægrotis qui proximo suo injuriam nolunt dimittere?*

℞. Talibus proponat exemplum Christi qui pro inimicis suis oravit in patibulo Crucis. Exemplum Sanctorum uti S. Gvalberii. II. Deinde reflectat infirmum, quomodo in precibus vindictam petit à DEO, dicendo *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Ac si diceret: quod sicut ego nolo debitori meo dimittere, ita & tu Domine non dimittas mihi:. Dicat: quid periculosius est hac malitiâ, præsertim illi qui multis peccatis obnoxius, brevi sistendus est tremendo DEI Judicio. Quodsi nihil horum animũ ægroti emolliat; ad genua ipsius provolutus Confessarius ostensa imagine Crucifixi adjuret ipsum, ut si non amore adversarii, saltim amore Crucifixi Redemptoris dimittat offensam, misereatur animæ propriæ cui magis quam adversario nocebit si non dimittet.

9. *Quid faciendum cum illis infirmis qui sunt adeo multum pudici: ut suspicio habeatur, ne aliquod sabticeant peccatum?*

℟. Talibus debet mansvetîs verbîs discretus & prudens Confessarius facere ad seipsum confidentiam. II. Debet illos monere, quod teneantur ad strictè servandum secretum etiam post mortem eorum. III. Monstret aliqua exempla de damnatis pluribus, qui post mortē peccata sua toti mundo exposuerunt, quæ inani pudore conticuerunt IV. Fateatur Confessarius se esse longe majorem peccatorem, qui graviora forsitan cōmisit peccata. Quæ media etiam cum sanis Pænitentibus observanda erunt Confessario in similibus circumstantiis constituto.

10 *Quid observandum est Confessario cum Captivis ad mortem necdum condemnatis?*

℟. Omissis pluribus perplexitatibus hæc debet observare. I. Imprimis ingressus Carcerem, debet sibi reconciliare amorem & confidentiam; qui modus debet esse Confessariis communissimus. II. Excitet Captivum ad virtutem Pænitentiæ & resignationis in D. Voluntatem. III. Non suscipiat onus in se impetrandi remissionem supplicii; quia reus facile posset contra ipsum concipere odium, non secuto effectu, ut bene notat cum aliis Lochner, vel quia non ita se seriò disponeret, ad Pænitentiam, si haberet spem futuræ veniæ. IV. Ordinarie non est inducendus ad Confessionem reus, nisi prius in torturis, aut judicialiter sit sua crimina confessus, quia potuisset coram Confessario suum crimen tacere, ut illum haberet pro Patrono. Nisi sit infirmus graviter vel aliud immineat periculum.

Nota Quodsi reus confiteatur suum crimen in Confessione quod non vult coram Judice confiteri, eò quod non possit in foro contentioso plenè probari, non propter id deneganda est ei absolutio,

juxta

juxta Cardenas Pichler & alios, nō obſtante cōtraria ſententia D. Thomæ & plurium DD. *Ratio eſt*: quia talis captivus per ſpontaneam Confeſſionem contra ſeipſum Judici arma præberet. Secùs dicendum; ſi illud crimen in foro contentioſo, non tantum ſemiplenè, verum etiam probaliſſime probaretur.

Non debet tamen Confeſſarius reum in hac edocere ſententia, nec poſitive ad negandum in ſimilibus circumſtantiis incitet. Hoc enim vergeret in damnum publici boni & juſtitiæ vindicativæ.

11. *Quid obſervandum eſt circa captivos morti deſtinatos?*

℞. Ultra jam dicta debet ulterius obſervare ſequentia. I. Non debet ſvadere fugam etiamſi ſciret ex Confeſſione illum innocentem. II. Si ſciviſſet ex Confeſſione Sacramentali eſſe innocentem, ſed tantum falſis teſtibus, vel vi tormentorum eſſe convictum, non propterea deberet adire Judicem, ſed hanc rem DEO commendare. *Ratio eſt*. quia Judex ex una parte nihil ad perſvaſionem faceret, cum ipſe judicaverit ſecundum allegata & probata; ex altera parte daretur occaſio aliis captivis etiam nocentibus ſua crimina reticendi in Confeſſione. III. Si reus aliquem ex malitia in Judicio ſive vi tormentorum proclamavit complicem criminis, inducatur à Confeſſario ad revocationem ſub nullitate abſolutionis, quia eſt grave præjudicium alteri. IV. Si confiteatur captivus bona fortunæ proximo ablata extare alicubi, invigilet Confeſſarius, ut reſtituantur Dominis ſuis. V. Poſt completam Confeſſionem abſolvat eum ab omnibus peccatis, & cenſuris, etiam in Bulla Cænæ, vel aliàs *Papæ* reſervatis. VI. Injungat reo ſatisfactionem, levem tamen, quam cū ipſo melius ſi perſolvat, cum talis habeat conturbatam mentem

propter imminentem mortem. Addendo ut reliquos carceris squallores & ipsum supplicium offerat pro peccatis suis jungendo cum amaritudine mortis Christi.

12. *An teneatur fur ad restitutionem damni per furtum illati de bonis propriis?*

℟. Si fur pro furto afficiatur, morte, juxta Pichler lib. 5. Decret. tit. 7. n. 22. non tenetur, quia jam damnum compensatur supplicio, ut plerumq; observat multorum locorum consvetudo. Quod debet intelligi de damno ex homicidio orto.

Melius tamen respondetur cum distinctione, quod scilicet: si illa numero & entitate bona prius ablata transierunt in bona furis debent reddi, etiamsi furis supplicio perimendi, remaneant liberi, & uxor: quia adhuc sunt aliena, si vero de bonis ablatis non participavit uxor, satis erit suppliciũ pro restitutione.

Cætera de dispositione condemnati ad mortem supplicii; observentur, quæ habentur in Rituali, & aliis libris ad hoc confectis.

13. *Quid observandum Confessario si damnatus ad mortem sit Turca, Judæus, aut Hæreticus?*

℟. Ante omnia studeat Confessarius benevolentiam sibi captivi infidelis captare. II. Omnem moveat lapidem ut perducat illum in agnitionem Fidei. III. Si promptum se exhibeat ad amplectendam fidem, instruatur in fide, & disponatur ad fructuosè recipiendum Baptismum, IV. Quia solent Judæi renuere Fidem nostram propter infamiam suæ familiæ in Synagogis, hinc poterit ei Sacerdos innuere occultam esse rem ejus conversionis, in quo casu deberet baptizari secrete, ne videretur in promissione deceptus. V. Sive autem sit condemna-

damnatus ad mortem conversus, sive non, committetur eum laboriosus Confessarius usq; ad locum supplicii. VI. Quodsi usq; in loco supplicii ederet signa conversionis, persvadendum erit Judici, ut executionem sententiæ ad aliquale tempus suspendere velit, donec condemnatus in articulis saltem necessariis necessitate medii instruatur. VII. Taliter baptizandis juxta *Gobat* conferri debet baptizmus cum ceremoniis in Rituali præscriptis, Patrinos autem adhibere non putant aliqui esse necessarium, apud Reiffens trat. 16. q. 3. append. 3. addit. 6.

14. *Quid faciendum Confessario si condemnati ad mortem fuerint Magi vel Sagæ?*

℟. Imprimis est necesse Confessario cognoscere utrum sint tales. Porro signa Magi vel Sagæ sunt sequentia. I. Si in tortura nullum signū doloris habeant. II. Si ad quæsita taceant, vel inepta respondeant. III. Si in tortura cachinnationes exerceant.

Tunc Confessarius habitô signô quod tales sint scilicet Magi vel Sagæ, nulli parcendo labori imprimis Exorcismum instituat. II. Invocatô auxiliô DEI studeat illos ad seriam pænitentiam adducere. Cætera observentur quæ supra Art. 6: N. 13. dicta sunt.

15. *Quam habent Indulgentiam Moribundi specialiter ac novissime concessam?*

℟. Ex speciali concessione Benedicti. XIV. In Bulla quæ incipit. *Pia Mater &c.* edita 5. Aprilis 1747. habent Indulgentiam plenariam, & quod maximum est, absolutionem à pænis purgatorii, si has conditiones observent.

I. Ut Sacramenta Pænitentiæ, Eucharistiæ & Extremæ Unctionis, quantum infirmitas permittit, recipiant.

II.

II. Ut ex manu Domini mortem ipsam patienter subeundam ac omnes dolores in satisfactionem pœnarū quas peccādo promeruerint libēter acceptent.

III. Ut benedictionem à Sacerdote recipiant.

Modus.

A SS. BENEDICTO PAPA XIV.

Pro opportunitate temporis servandus ad impertiendam Benedictionem in Articulo mortis constitutis.

Benedictio in Articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, illis infirmis qui vel illam petierint, dum sana mente & integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est etiamsi postea lingvæ cæterorumq; sensuum usu sint destituti aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus & in manifesto peccato mortali morietibus est omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem Confessarius ingrediendo cubiculum ubi jacet Infirmus dicat. Pax huic domui &c. *ac deinde ægrotum, cubiculū, & circumstantes aspergat aquâ benedicta dicendo.* Asperges. &c

Quodsi ægrotus voluerit confiteri audiat illum & absolvat. Si Confessionem non petat excitet illum ad eliciendum actum contritionis & de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat, tum instruat atq; hortetur ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, DEOq; sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit & mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarū quas peccando promeruit. Tunc piis ipsum verbis

con-

consoletur in spem erigens fore, ut ex Divinæ Munificentiæ largitate, eam pœnarum remissionem & vitam sit consecuturus æternam. Hæc est instructio SS. Benedicti. XIV. *Postea dicat:*

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini

℟. Qui fecit Cælum & Terram.

Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta famuli tui(: vel ancillæ tuæ.) neq; vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleyson, Christe eleyson Kyrie eleyson Pater Noster &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem

℟. Sed libera nos à malo

℣. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam)

℟. DEUS meus sperantem in Te

℣. Domine exaudi orationem meam

℟. Et clamor meus ad Te veniat

℣. Dominus vobiscum

℟. Et cum Spiritu Tuo

Oremus.

Clementissime DEUS Pater misericordiarum & DEUS consolationis, qui neminem vis perire in Te credentem atq; sperantem, secundùm multitudinē miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides & spes Christiana commendat. Visita eum in salutari tuo & per Unigeniti tui Passionem & mortem omnium ei delictorum suorum remissionem & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitûs sui te Judicem propitiatum inveniat, & in Sangvine ejusdē Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. *Per* eundem Christum Dominum Nostrum. *Tum dicto ab uno ex Ministris adstantibus:* Confiteor &c. *Sacerdos*

Sacerdos dicat: Misereatur &c. *Deinde*

Dominus noster JESUS Christus Filius DEI vivi. qui B. Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atq; solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat Confessionem tuam & restituat tibi stolam primam quam in Baptismate recepisti. Et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam Plenariam & remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In Nomine Patris, & Filii &c.

Per Sacrosancta humanæ reparationis Mysteria remittat tibi Omnipotens DEUS omnes præsentis & futuræ vitæ pænas, Paradisi portas aperiat, & ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te Omnipotens DEUS Pater, Filius, & Spiritus S. Amen.

Si verò infirmus sit adeò morti proximus ut neq; Confessionis Generalis faciendæ, neq; præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.

Hæc apponere placuit in fine hujus Articuli, ut Sacerdos Moribundum visitans hanc Benedictionem ad manum in promptu habeat. Quæ impertienda est non tantum Moribundis in lecto, sed etiam in executione justitiæ Civilis gladio aut quovis alio modo interimendis, cum ambo sint in Articulo mortis.

Illud tamen sciendum est: quòd hanc Benedictionem, non quilibet Confessarius cum fructu Moribundo dare poterit, sed solum ille qui ab Ordinario Loci specialem licentiam sive subdelegatam potestatem habebit; *Ratio est*: quia Benedictus XIV. solis Episcopis hoc munus concessit sive delegavit, cum facultate subdelegandi idem Officium uni vel pluribus Sacerdotibus pro oportunitate suæ Diæcesis, prout legenti constat citatam Bullam

§

§. *Dum autem* in Bullario ejusdem Benedicti Papæ XV. Tomo II. pag. 174.

ARTICULUS VIII.
De Regulis Confessarii circa Hæreticos ac Homines varii Statûs.

1. *Quomodo Confessarius se gerere debeat cum Hæretico vere Pænitente?*

℟. Hæresim esse duplicem Materialem & Formalem ut supra dictum est pag. 5. n. 19. Item alia est, *Interna* & Mentalis, per quam mente aliquid dissonum Ecclesiæ creditur. Alia *Externa* per quam externè fatetur quis dissonum Articulis Fidei.

Si igitur erit Hæresis pure *Mentalis* ac *Interna*, poterit absolvi à quocunq; Sacerdote juxta Matheu: L. 1. c. 3. quia talis Hæresis non habet sibi annexam Excommunicationem Bullæ Cænæ.

Si sit *Formalis sive externa*, non poterit absolvi, nisi ab habente specialem ad id Potestatem propter Excommunicationem annexam Bullæ Cænæ.

Si tandem sit *Materialis Externa*, ita; ut Hæreticus sine pertinacia crederet internè omnia quæ Ecclesia Romana credit, absolvendus erit à Confessario approbato. Ita cit. Math.

2. *Quæ Conditiones & Ceremoniæ debent in praxi fieri cum Hæretico formali vere Pænitente?*

℟. I. Confessarius instruat Hæreticum convertendum de Articulis Fidei necessariis necessitate medii & præcepti; ostendat ei in quibus conveniunt Catholici cum Hæreticis, & in quibus discrepant.

II. Ostendat ei certitudinem Romanæ Ecclesiæ dogmatum. Inquirat an sit valide baptizatus? in quo loco & à quo?

III. Neoconversus Hæreticus, & si habeat gravia peccata non tamen graviter repræhendi debet sed svaviter, imo laudari debet ejus victoria nec satisfactio gravis ei imponi debet.

IV. Debet absolvi publice, ut etiam aliis Catholicis constet jam esse incorporatum Ecclesiæ Catholicæ.

V. Debet facere publice Professionem Fidei.

3. *Quo ritu Hæreticus conversus debeat facere Professionem Fidei?*

℞. Hoc modo. Confessarius indutus superpelliceô & stolâ imposita cum uno saltim Ministro, die aliquo Festo ad majus Altare, ante quod Neo-Catholicus inter duos saltim testes cum candela accensa genuflexus, recitet vernaculâ lingvâ Professionem fidei, in cujus fine ponat duos digitos supra Evangelium vg. S. Joannis, ac juret se semper in Fide Catholica permansurum.

Postea Confessarius recitato prius Psalmo *Miserere* &c. & oratione *DEUS qui culpa offenderis* &c. absolvat eum ab Excommunicatione propter Hæresim contractam.

Quo facto poterit cuiq; Sacerdoti approbato confiteri, & absolvi ab omnibus peccatis in foro Sacramementali, quia jam ab Excommunicatione reserveta est publice absolutus. Tandem S. Communionem devote sumat.

4. Si Hæreticus aliàs jam prius fuerit conversus & iterum in Hæresim non publicam lapsus, absolvendus erit intra Sacramentum Pænitentiæ à Confessario habente ad id potestatem. Secùs verò censendum de publico etiam post conversionem lapso

dic

pso. Publica enim Hæresis, publice absolvi debet.

Et hæc omnia observari debent etiam in conversione Schismatici conversi, qui etam habet annexam Excommunicationem Bullæ Cænæ Papæ reservatam. Hoc ipsum observari debet & cum Apostata materiali aut formali, interno aut externo, servatis servandis omnibus illis quæ fieri debent cum Hæretico.

5. *Quid observandum est Confessario cum legentibus & conservantibus libros Hæreticos?*

Ante responsionem Sciendum est: legentes & retinentes scienter libros Hæreticorum aut defendentes, non posse â quolibet absolvi Confessario propter Excommunicationem Bullæ Cænæ Papæ reservatam.

Ut autem incurratur hæc Excommunicatio, hæ requiruntur conditiones. I. Ut Author libri sit Hæreticus, sive talis Author sit damnatus sive non, sive publicus, sive occultus. II. Ut fiat liber ille sine licentia Sedis Apostolicæ. III. Ut legatur materia notabilis sufficiens ad mortale peccatum IV. Ut scienter legatur, imprimatur, vel retineatur. V. Ut liber expresse Hæresim contineat, vel de Religione tractet.

℞. ad quæsitum: Confessarius injungat Pænitenti, ut deferat librum Jnquisitoribus, vel Ordinario Loci, & probabiliter in casu impossibilitatis ipsi saltem reddat Confessario. II. Non absolvatur nisi prius talem librum reddiderit, III. Si Pænitens sciat etiam alios Complices retinentes libros prohibitos Hæreticorum, ante absolutionem præcipiat ei Confessarius ut intra mensem denuntiet Inquisitoribus vel Loci Ordinario. IV. Tandem inquirat quanto tempore habuit talem vel tales libros? quoties illos legit? vel quoties aliis

accomodabat, aut consulto ponebat ut legerent? Item, an dogmata falsa excerpta de hoc libro rudioribus non promulgaverit, vel coram prudentioribus non defenderit? V. Ultimò, ostendat ei gravitatem peccati, peccavit enim mortaliter contra debitam obedientiam Ecclesiæ; & sic habens specialem quo ad hoc potestatem à casibus Bullæ Cænæ absoluendi, absolvat Pænitentem, excitando illum prius ad eliciendos actus Fidei.

6. *Quid observandum est Confessario circa libros prohibitos?*

℟. Hæc sequentia.

I. Liber tunc Hæresim continet, quando aliquid docet contrarium Fidei.

II. Liber tunc de Religione tractat, quando continet illa quæ spectant ad expositionem Fidei, nempe de *S. Scriptura*, de cultu DEI aut Sanctorum, de SS. *Ritibus*, de Clericis, Prælatis, Monachis, de Ecclesia visibili, & invisibili, de Papa. Hæc enim omnia pertinent ad Catholicam Religionem.

III. Eandem Excommunicationem incurrit qui legit Manuscripta ab Hæretico, si contineant Hæresim, vel de Religione tractent. *Ratio est.* quia sunt verè libri. Ita Matheuc L. 1. c. 34.

IV. Hanc incurrit etiam qui legit tales libros animo non malo, nempe vel ex sola curiositate, vel ad confutandos Hæreticorum errores non obstante quod sit bene doctus & firmus in fide. *Ratio est:* quia Bulla prohibens non considerat animum, sed factum.

V. Qui retinet librum prohibitum parvo tempore vg. uno vel altero die, non incurrit Excommunicationem. *Ratio est:* quia parvitas materiæ & temporis excusat. Ita Busemb. Item excusat Igno-

gnorantia crassa, si nimirum nesciatur liber esse Hæreticus vel tractans de Religione.

Ad hoc ut quis licite possit legere librum prohibitum, debet habere specialem licentiam à Sede Apostolica, etiam si sit officio Theologus, propter rationem supra adductam.

7. *Quid faciendum Confessario cum Pœnitente blasphemante?*

℞. Interrogandus est: an deliberate id fecerit, vel potius ex præcipitantia? si hoc secundo modo: non peccavit mortaliter. Si vero deliberate: interrogandus est, I. quo motivo id fecerit? & an tempore blasphemiæ saltim in confuso cognoverit esse gravem offensam DEI? II. Quibus verbis? ne sit potiùs Imprecatio. *Ratio est:* quia plebei solent blasphemiam confundere cum imprecatione & juratione. III. Quot vicibus id fecerit? & an non sit jam inhabituatus?

Nota I. *Blasphemia* est: *Contumeliosa in DEUM locutio.* Communiter etiam solet fieri in B. Virginem. & alios Sanctos. *Ratio est:* quia sicut Laus Sanctorũ redundat in DEUM, sic etiam & blasphemia.

Nota II. Quod blasphemia est duplex. Prima est *Hæreticalis*, quæ Articulis Fidei directe opponitur. ut si quis diceret: *DEUS est crudelis* &c. Secunda est *Simplex* seu non Hæreticalis, quæ Articulis Fidei directè non opponitur, sed aliquid vituperabile permodum detestationis & quasi imprecationis in DEUM profert. Ut si quis DEO maledicat, aut optet non esse DEUM. Hæ enim secundum communem sententiam sunt specie distinctæ.

8. *Quid faciendum Confessario cum Pœnitente qui se jurasse confitetur?*

℞. Interrogandus est hoc modo, quo supra blasphemus;

II. Ultra prædicta, interroget Confessarius: an justè juravit? nempe in vero vel falso? Si in vero, & non fuit juramenti necessitas, est veniale. *Si* in falso, est semper mortale, neq; datur parvitas in hac materia, adeoq; talis interrogandus erit, de numero, si deliberate id fecerit.

Nota I. *Juramentum* juxta D. August: esse: *Invocationem Divini Nominis in testimonium alicujus rei.*

Dividitur in *Assertorium* per quod simpliciter affirmatur aliquid vel negatur. Et *Promissorium* per quod aliquid promittitur.

Utrumq; aliud *Solemne*, quod aliquo signo uti tactu Crucis exprimitur coram Superiore, aliud *Simplex* quod non est taliter solemne.

Nota II. Juramenti formulas esse expressas has, seu sub his aut similibus verbis: *DEUS mihi Testis*, Vel *DEUM testor*. Aut *juro per DEUM.* Seu ut ajunt Poloni *Przysięgam BOGU. Dali BOG.* &c. Non esse vero sub his verbis: *Ut sum Sacerdos* &c, Ita Engel Less. & alii. Verbo, illa verba non continent juramentum, quæ non invocant DEUM pro Teste.

Quomodo peccant ex levitate vel consvetudine in familiari discursu jurantes?

℞. Si vere jurant, & sine necessitate, peccant *venialiter*, non enim in vanum debet Nomen DEI assumi. Si vero falso jurant: *mortaliter Ratio est*: quia simul mendacium committunt, & maxime si in tali perjurio aliquam deliberationem habent.

An licet jurare cum Restrictione mentis?

Hæc difficultas pendet ab illa, an licet uti Restrictione mentali? Pro quo:

Nota: quod *Restrictio mentalis* est: Duplex una *Purè mentalis*, quæ tunc habetur, dum aliud omnimodè

modè verba sonant, & aliud est in mente loquẽtis, ita ut adhibita omni diligentiâ non potest audiens devenire in alium sensum, præter illum, quem verba sonant. Alia *Non pure mentalis*, quæ habetur per talia verba æquivoca, ut contineant duplicem sensum. Ut si quis haberet 100. aureos, & negasset se habere, eò quod essent Creditoris. Ad quæsitum autem:

℞. I. Quando se aliquis sponte offert ad jurandum, vel à Judice requisitus, peccat mortaliter si æquivoce juret. *Ratio* 1. p. ex Verbis Christi *Sit vester sermo est, est. Ratio* 2. p. est: quia sic omne judicium facile perverti potest.

℞. II. Si aliquis injuste cogitur ad juramentum, non peccat si æquivocè juret, maximè si adsit justa causa ad aliquam veritatem dissimulandã. Ita Lessi Laym. & alii.

℞. III. Sicuti non est proprie dictum mendacium, quoties verba proferuntur cum Restrictione *non pure mentali*, ita sub his verbis licitum est jurare, si adsit ratio occultandi veritatem. Quod tamen bene notandum: Et propter hoc excusantur à perjurio mercatores jurantes sæpissimè, non posse tali pretio vendere merces, vel quod plus ipsi dederint pro illis; nam *Prima* Propositio habet hunc sensum, quod scilicet: sine lucro, competenti non possunt vendere. *Secunda* vero habet hunc sensum, quod scilicet: plus constant cum omnibus expensis & lucro, quàm datur pro illis.

An licet cõpellere, aut saltim admittere ad juramẽtũ qui præsumitur aut prudẽter supponitur pejeraturus?

℞. Privatæ Personæ non licet pejeraturum inducere, aut admittere ad juramentum maxime si aliunde possit subveniri agnoscendæ veritati. *Ratio est*: quia quilibet ex amore DEI & proximi

non

non debet alium inducere in peccatum quod est offensa DEI, sed quantum potest, curet ut impediat. Si autem sit publica Persona, nempe Judex, & aliter non potest inter affirmantem & negantem facere Judicium in litigiosis, neq; habere medium aliud ad indagandam veritatem, potest etiam perjurum admittere ad juramentum. maximè si pars damnificata non posset alium in sui defensionem statuere testem. *Ratio est*: quia in tali casu Judex nullo modo posset satisfacere suo Officio, qui in defectu testis, saltim indicia quærere debet. Hinc in tali casu suspiciosè perjurus licet non haberet rationem testis omni exceptione digni aut semiplene probantis, saltim faceret indicium aliqualis veritatis

Semper tamen hoc observandum est quod si est lis inter duos, unum affirmantem & alterum negantem, ad juramentum ille non nisi admittatur, qui supponitur esse melioris conscientiæ vg. Sacerdos præ Laico; Christianus præ Judæo, Catholicus præ Hæretico, aut Schismatico. Ita communiter Doctores.

Quod si lis sit inter Catholicum & Judæum? & Catholicus noluisset jurare, eò quod damnum videtur ipsi leve (& timoratæ ac simplicis conscientiæ homines solent vereri jurare) neq, tamen cedit prætensæ, sed Juramentum à Judæo exquirit, admittendus est Judæus ad juramentum sed cautè custodiendus, ut verè & non apparenter juret. Certum enim est: quod Judæi habent sibi pro peccato falsè jurare in DEUM, unde multos adinveniunt falsitatis modos, præsertim restrictionis; vel omittendo essentialia verba. Unde melius esset, si Polonico idiomate jurent. & pars altera ad omnia attendat diligenter. Expertum enim est inter Judæos

dæos, quod dum unus alteri debitor factus esset 10. Hungaricorū & postea negavit se debitorem esse, sed jam reddidisse, re ad judicem delata. Dum negans venit ad juramentum, accepit 10. Hungaricos, quos intus in baculo (quo sustentabatur) inclusit, antequam autem incepit jurare, dedit creditori illum baculum, ut teneret. Et sic juravit in forma: se jam reddidisse non specificando tempus. Zelo Creditor exarsit contra falsitatem, ac illo baculo percutiens perjurum, & ecce aurei subitò de baculo exciderunt. Quare in juramento specificetur locus, & tempus, moneta, & numerus, ut omni falsitati astutia præcludatur.

9. *Quid observandum Confessario cum Pænitente, qui confitetur se emisisse Votum à quo dispensari postulat?*

Ante Respon. *Nota* I. Votum aliud esse *Reservatum* & aliud *Non Reservatum* ut supra pag. 186. n. 10. Quæ divisio multiplex Voti hic in memoriam revocari debet.

Nota II. Si quis dubitat, an Votum emiserit, vel potius propositum? non obligatur ad votum, quia præsumitur non fecisse votum: Ita Engiel. & & alii cum ipso.

Nota III. E contra, si quis ex tenore verborum veram promissionem indicantium certus sit de Voto emisso, dubitat autem, an habuerit intentionem se obligandi, aut sufficientem deliberationem? tenetur ad votum servandum. Ita Sanchez Sannig. & alii

Nota IV. Quod cessante causa finali ac principali Voti, cessat quoq; obligatio ejus vg. Si voveret quis peregrinationem pro impetranda sanitate filii, & ipse moriatur; utiq; Parens ad nihil obligabitur, quia jam cessavit finis, propter quem emisit Votu

Nota. V. Quod ille, qui Votum emisit temporale vg. castitatis ad biennium, elapsô bienniô liber est à Voto. Hoc ipsum judicari debet & de Voto certo tempori affixo, vg. Jejunandi diebus Sabbathi in Honorem B. V. Si enim taliter Vovens omisisset illo die jejunium culpabiliter, vel sine culpa, alio die non tenetur illud jejunium peragere, ut docent communiter DD. cum Henriq; *Ratio est:* quia Votum in tantum habet vim obligandi, inquantum se Vovens obligavit; cum igitur se obligasset tantum ad illum diem & non alium, ad nihil amplius tenetur.

Nota VI. Invalidum esse Votum, si emitteret aliquis non committere ullum peccatum toto vitæ tempore, ut solent aliquando facere Devotissæ, quia est moraliter impossibile spectata fragilitate humana. Imò si tale Votum fuisset emissum non quidem in perpetuum sed tamen ad longum tempus, vg. ad integrum annum, propter impossibilitatem moralem non valet. Validum verò foret, vitandi omnia peccata mortalia, aut aliqua venialia, quia hæc cum communi DEI auxilio vitari possunt.

Nota VII. Quòd Votum sine determinato tẽpore elicitum debet impleri cum primum commodè potest. Quousq; autem sine peccato differri possit? difficile est idem definire ut docet La Croix. Hoc tamen certum, quòd vota quæ durant usq; ad mortem, ut est vg. ingredi Religionem, aut suscipiendi S. Ordines, minori tempore sunt differenda, quàm alia Vota vg. peregrinationis. *Ratio est:* quia hæc dilatione non minuuntur, bene vero illa; quantum enim quis differt Votum Religionis, tantúm detrahit de tempore serviendi DEO, cui se obligavit seruire usq, ad mortem.

Conatur

Conantur tamen DD. aſignare tempus dilationis, non tamen omnes in eadem ſententia concordant. Nam *Caſtropal.* hic n. 7. vult: Votum Religionis ſine mortali non poſſe ampliùs differri quàm ad 6 menſes, reliqua vero excuſat ſaltim à mortali niſi, adſit periculum oblivionis. *Ratio* ejus eſt hæc: quia rem homini debitam differre ſine juſta cauſa ultra 6. menſes, eſt mortale: ergo multo magis DEO debitam? ſed hæc ratio militat etiam de aliis votis cum ſint pariter res DEO debitæ.

P. *Sporer* tract. 3. cap. 2. Sect. 3. n. 112. ponit hanc Regulam; juxta quam poteſt licite Votum differri: ſi nimirum ſit ſpes votum poſtea cômodiùs ac utilius & cũ majori devotione compleri, cum id cedat in majorem DEI gloriam. Hinc adoleſcens qui vovit ingredi Religionem, poteſt expectare ad tempus magis aptum, donec ætate & viribus convaleſcat ad peferendum rigorem Ordinis. Vel ut ſcientiis melius imbuatur. Vel ſi Laicus ſit? artem quam noverit utilem Monaſterio addiſcat. His adnotatis,

℞. Ad quæſitum; quod ſi in Confeſſione Pænitens diſpenſationem ſui Voti poſtulat? Ante omnia Confeſſarius inquirat ex ejus mente, an revera Votum vel potius propoſitum emiſerit? hæc enim neſciunt plurimi Pænitentes diſcernere.

Si votum emiſerit? interrogetur: quale & quo anno? Nam votum caſtitatis emiſſum a puella ante annum 12. côpletũ, & à Puero ante ãnũ 14 poſſunt ſine gravi cauſa diſpenſari à Parentibus vel Tutore, ſi poſt illos completos annos non fuerint ratificata; quia ante hos annos pubertatis voluntas ipſorum exiſtit in voluntate Patris aut ſui Tutoris.

Tandem inquirat, qualis nam ſit neceſſitas diſpenſandi

pensandi votum? quæ si videbitur justa, & sit in potestate Confessarii? dispenset, vel commutet ad aliud opus meritorium. Per commutationem enim minus ledítur res DEO promissa, quam per dispensationem.

10. Quantum ad commutationem Votorum attinet, *Sciendum* quod Vovens proprio arbitrio, potest votum suum commutare in id, quod spectatis omnibus circumstantiis est manifestè melius & præstantius. Ut communiter docent DD. apud Sanchez, lib. 4. in Decal. c. 49. Quod si sit in dubio illud opus esse melius? non potest propria authoritate commutari. Item quæcunq; Vota Papæ Reservata, quæ neq; in præstantius opus commutari possunt, excepta sola Professione Religiosa, quia in hanc omnia alia Vota tam Realia quam Personalia commutari possunt, etiam Papæ Reservata. Prout habetur cap. *Scripturæ.* In Professione enim Religiosa omnia vota continentur, cum Religiosus totam vitam suam DEI obsequio deputet.

11. *Quot modis obligatio Voti tolli potest?*

℞. Juxta communem sententiam 4. modis. Cessatione, Commutatione Irritatione & Dispensatione, de quibus supra dictum est pag. 187. n. 14

In votorum Cessatione plures intervenire solent causæ; Vel quia cessaret causa finalis Voti. Vel quia jam tempus expletum. Vel conditio non est adimpleta. Vel quia: materia est mutata de possibili & licita, ad illicitam & majoris boni impeditivam. Ut diximus in Not. paulò supra.

12. In Commutatione voti requiritur rationabilis causa vg. specialis utilitas, vel consolatio voventis. Major tamen requiriur causa si fiat commutatio in opus æquale, non tamen tanta, qualis requiri-

requiritur ad dispensationem quæ tollit omnem obligationem.

13. In Irritatione voti, nulla alia requiritur causa, præter ipsam Superioris sui voluntatem. Unde vota elicita ab illo, qui non est Dominus suæ voluntatis, possunt a Superioribus irritari. Talia sunt vota Religiosi, Uxoris, Servi, Filii &c: Quod tamen intelligi debet de illis votis, respectu quorum prædictæ personæ non sunt juris sui, sed subjectæ Superioris potestati. Quo ad alia vero Vota, quæ non cadunt in præjudicium alterius, Superioris, aut æqualis; hæc non possunt licitè irritari.

Unde conveniunt DD. quod maritus non possit omnia Vota Uxoris suæ irritare, sed tantum illa, quæ juri suo quod habet in conjugii usum, ac gubernationi familiæ domesticæ, præjudicium adferunt. Quæ etiam irritari possunt ab Uxore si sine elicita à Marito, propter eandem rationem paritatis, cum uterq; quò ad hæc sibi ad invicem subjiciantur.

Conveniunt etiam DD. quòd Superiores Ordinis licèt omnia alia Vota sui subditi irritare possint, non tamen Votum arctioris Religionis in igrediendæ, quia hic transitus specialiter est ipsis concessus: ut patet ex jure cap. *Licet de Regularibus*.

14. In dispensatione Votorum requiritur justa causa. *Ratio est*: quia potestas dispensandi data est Superioribus à DEO *in ædificationem, & non in destructionem* ut monet Apost. 2. ad Corint. c. 13. Porro causæ justæ dispensandi in Votis oriuntur ex variis motivis.

1. Ex imperfectione actûs, si absq; prudenti & perfecta deliberatione, in ira, metu, mærore, & tenera ætate votum factum sit. 2. Ex Materia Voti, si nimirum

mirum voventi spectata corporis constitutione, naturæ, fragilitate &c Votum ipsum in majus periculum cederet. 3. Ex difficultate exequendi votum, postea superveniente & prius non prævisa à vovente. 4. Ex magna necessitate vel utilitate Reipublicæ aut familiæ. Ut si quis longas peregrinationes voveat cum magno detrimento Reipublicæ vel Familiæ.

Innocentius III. Cap. *Magnæ* de voto; in Materia dispensationis votorum hæc tria considerare jubet. 1, *Quid liceat, secundum æquitatem* 2 *Quid deceat secundùm honestatem? Et quid expediat secundùm utilitatem.*

15 *Quam potestatem habent Confessarii Mendicantium in Votis dispensandis?*

℟. Juxta privilegium Eugenii IV. Pauli III. & Gregorii XIII. habent potestatem delegatam dispensandi in omnibus Votis, ac mutandi omnia Vota etiam jurata, exceptis quinq; Summo Pontifici reservatis. Ut patet ex Compendio Privileg: Mendicantium. p *Votum.* Hæc autem 5. vota Papæ Reservata sunt sequentia. 1. Votum Castitatis perpetuæ 2. Religionis ab Ecclesia approbatæ. 3. Peregrinationis Romam ad Limina Apostolorum. 4. Peregrinationis ad S. Jacobum in compostella. 5. Et in terram Sanctam ad Sepulchrum Domini.

Licet autem in his 5. votis Confessarii Mendicantium non possunt quo ad substantiam dispensare. possunt tamen quo ad aliquas circumstantias accidentales talibus votis additas, sed non nisi ex gravi & urgente necessitate. Ut vg. si quis voverit ire Romam pedester, mendicato pane: aut in habitu alicujus Eremitæ, si manifestâ excusatur causâ, poterit Confessarius Mendicantium commutare

has

has circumstantias in levius negotium. Ut nempe vadat in curru, propriis vestibus, ac expensis. Ita Sporer. tract. 3 in II. præceptum Decalogi cap. 3. Sanchez lib. 8. de Matrim & alii.

16. Insuper Confessarii Mendicantium ex speciali Concessione Pii V. vivæ vocis oraculo facta & Eugenii IV. Julii II. Congr. Vallisoletanæ impertita possunt dispensare ad petendum debitum cum illis Conjugibus, qui contraxerunt matrimonium cum Voto castitatis simplici ante emisso. Item cum Incestuosis Conjugibus, qui contracto matrimonio cũ alterius Conjugis consangvinea intra secundum gradum adulterium perpetrarunt. Ad hoc autem ut Confessarius Mendicantium habeat prædictam authoritatem juxta tenorem Concessionis Pii V. debet esse vir doctus & a suo Provinciali ad hoc deputatus. Quæ deputatio non expirat amoto Provinciali a suo officio ut notat Henrin disp. 4. n. 69. quia illla facultas datur nomine Papæ.

Ex his dictis *Nota* quod licet Confessarius privilegiatus dispenset quo ad petentem debitum cum illo qui illicite contrahit matrimonium cum Voto castitatis perpetuæ simplici, hæc tamen dispensatio non extenditut ad alia. Unde si taliter dispensatus committeret carnale peccatum extra matrimonium, transgrederetur votum. Item mortua sua Conjuge non posset transire ad secundas nuptias, sed teneretur ad Votum castitatis. *Ratio est*: quia ab illo Confessario non fuit dispensatus simpliciter & absolute à voto Castitatis, sed tantum quo ad petendum debitum in matrimonio præcedenti jam contracto.

Ita Card. de Lugo

Lessius. V.

Votum.

SECTIO

SECTIO II.

De Partibus Sacramenti Pœnitentiæ, Sigillo, & aliis adjunctis huic Sacramentali Judicio.

Quia in prima parte Art. IV. pag. 116. jam aliqua dicta sunt de esentia & Partibus Sacramenti Pænitentiæ, hinc ad præsentem Sectionem revocãda erunt. Unde omisîs illîs, pauca in præsenti quò ad praxim Confesariorum utilia breviter elucidare intendam.

ARTICULUS I.

De Materia Remota Sacramenti Pœnitentiæ?

1. *Quotuplex est Materia Sacramenti Pænitentiæ?*

℟. Duplex, una *Necessaria*, & talia sunt omnia peccata mortalia nondum confesa & absoluta. Altera *Sufficiens*, & talia sunt omnia peccata venialia, & mortalia aliàs jam absoluta. Dicuntur Materia *sufficiens*, quia licet non necesario debeãt subdi clavibus Sacramenti Pænitentiæ, cùm alio modo deleri posunt, vel jam sunt deleta, sufficiunt tamen ad absolutionem Sacramentalem utiliter proferendam.

2. His additur materia *Necessaria & non sufficiens*. & talia sunt peccata dubia, quæ si sint in gravi materia, necesariò debent Sacramentaliter absolvi, & ideo dicuntur materia necesaria. Dicuntur etiam *non Sufficiens*, quia se solis non posunt sufficere ad obtinendam Sacramentalem absolutionem, quæ sicuti est sententia determinata, ita determi-

terminatam requirit materiam, qualia non sunt peccata dubia. Unde in casu si Pænitens sola confiteretur dubia, non esset absolvendus, sed cum his deberet confiteri unum vel alterum peccatum certum & determinatum, ut supra jam dictum est. Solent autem peccata dubia à Pænitentibus explicari his terminis ad interrogationem Confessarii, *Potuit hoc esse.*

3. *Quid faciendum Confessario si Pænitens nulla peccata certa confiteatur sed sola dubia?*

℟. Ultra jam supra in præcedenti Sect. dicta si nullum possit in Pænitente inquiri peccatum certum, juxta Layman l. 5. t. 6. p. 3. pro ratione dubii danda erit absolutio sub conditione saltim tacita, quando gravitas peccati dubii aut alia circumstantia expostulare id videbitur. Meliùs tamen erit, si aliquod certum peccatum à Pænitente addatur ex jam confessis & absolutis, & sic danda erit absolutio.

4. *An peccata mortalia aliàs jam per contritionem antecedentem dimissa, sint materia necessaria Sacramenti Pænitentiæ?*

℟: Sunt, non quidem ad hoc ut dimittantur, cùm jam supponuntur esse dimissa, sed ut absolvantur Sacramentaliter juxta præceptum Christi, cui satisfactio debet fieri. Eo ferè modo, quô baptizatus baptismo flaminis, tenetur dum potest baptisari baptismo fluminis, ut satisfaciat illi præcepto Christi. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c:*

5. Quodsi quis negligeret talia peccata per contritionem dimissa confiteri, peccaret quidem graviter contra institutionem Christi, illa tamen peccata per hoc non reviviscerent. Ut patet exemplo de peccato originali, quod semer deletū

per baptismum flaminis amplius non imputatur homini, etiamsi non successisset Baptismus fluminis.

6. *Quomodo peccata jam dimissa & absoluta possunt denuo solvi per Sacramentalem absolutionem, cũ jam non sint, quod autem non est, non potest solvi aut ligari?*

℟. Per hoc possunt fructuose absolvi & confiteri, quia iterato per talem absolutionem condonantur, Quod utiq; non tantum possibile est, sed etiam summe conveniens, ut patet exemplo de humanis; nam potest offensus injuriam sibi illatam sæpius condonare, præsertim si offensor iterato veniam roget; sic etiam dicendum est & in nostro casu, nam licet peccata jam priùs confessa & absoluta, non sint, adhuc tamen justè peccator de illis dolere potest, & iterum condonationem postulare, subjiciendo illa clavibus Ecclesiæ. Licet enim in physicis illud quod non est, non potest solvi, non tamen in moralibus; hic enim absolutio idem est ac condonatio.

7. Fructuosa etiam est Confessio peccatorum jam dimissorum ex hoc capite; quia propter dolorem de novo supervenientem acquirit Pænitens majus augmentum gratiæ, & ulterius diminuitur illi pæna temporalis pro illorum culpa in purgatorio solvenda.

8. *An Pænitens ille teneatur exprimere; quod confiteatur sola peccata jam confessa & absoluta?*

℟. Non teneri per se loquendo, ut docet Lugo Dist. 16. Sanchez & alii, quia peccatum est idem numero ac specie sive sit confessum sive non.

9. Aliquando tamen per accidens necessario id explicare tenebitur, vg. ob annexam reservationem, quia potest ille Confessarius non habere Jurisdictionem à reservatis, unde ne decipiatur necesse

cesse erit ipsum certificare de absolutione jam peracta ab habente potestatem. Potest etiam occurrere secundus casus, in quo necessitas erit exprimendi peccata jam esse confessa. Si enim Clericus faceret generalem Confessionem de peccatis totius vitæ, & inter alia confiteretur peccatum luxuriæ consummatum ante statum Clericalem, jam Confessarius deciperetur in circumstantia mutante speciem, putans esse Sacrilegium, quod revera potuit esse simplex fornicatio.

10. In praxi igitur generalis Confessionis faciendæ, tutius est nova peccata nondum confessa ab antiquis separare, ut Confessarius competentem satisfactionem injungere sciat, cum major debeatur pænitentia pro peccato mortali nondum confesso, quam semel jam rite confesso & quo ad culpam dimisso.

11. *An solæ Imperfectiones possunt esse Materia Sacramenti Pænitentiæ?*

℟. Non possunt, quia non sunt peccata proprie sumpta sola autem peccata sunt materia Sacramenti. Quod autem non sint peccata propriè sumpta, patet exinde, quia peccatum rigorosè acceptum debet esse contra aliquod præceptum prohibens aut præcipiens. Puræ autem imperfectiones sunt solum contra consilium. Unde si quis confiteretur solas tales imperfectiones, vg. Quod non dederit eleemosynam, aut quòd plura non fecerit bona quæ potuit, juxta Dianam p. 3. t. 4. non habebit materiam sufficientem absolutionis, sed cum tali procedendum est sicuti cum habente sola dubia, ut supra dictum est.

12. Tamen discretus & prudens Confessarius debet hujusmodi imperfectiones patienter audire, & non impedire Pænitentem, quia possunt ple-

rumq; esse peccata venialia ob varias intervenientes circumstantias, vg. ob voluntarias negligentias, vel leves contra rectam rationem excessus.

13. *An Circumstantiæ peccatorum necessariò aperiendæ sunt in Confessione?*

Ante resolutionem revocanda sunt quæ supra dixi pag. 81. Quid, & quotuplices sint Circumstantiæ peccatorum? quibûs adnotatîs ad quæsitum quantum ad praxim pertinet.

℞. Quòd Circumstantiæ non mutantes speciem, licet non sunt necessariò & per se aperiendæ, per accidens tamen aliquando illas Pænitens exprimere tenetur, maximè in materia restitutionis faciendæ, ut plenum Confessarius judicium habeat. Unde fur auferens vg. 100. Hungaricos quamvis intra eandem speciem committat peccatum, ac ille qui tantum 20. abstulerit, uterq; tamen interrogandus erit quantum furatus est? imò aliquando sciscitari debet *cui*? pauperi, an diviti? ut restitutio meliús ac prudentius assignari possit.

14. Imo in talibus furtis solent plures intervenire circumstantiæ, quæ non solum videntur augere malitiam peccati, sed etiam novum generare delictum. Ut si vg. Petrus auferat Domino pecuniam, & Paulus ex suspicione incarceretur tanquam fur, certe jam in tali casu Petrus non tantum per furtum læsit jus Domini; sed etiam Pauli famam & vitam, adeoq; in uno facinore duo videtur commisisse delicta.

15. Et certe, licèt Confessarius sit Judex Divinam habens authoritatem, quia tamen humano rem judicat intellectu, ideo omnî quâ potest diligentiâ investigare debet veritatem, ut firmum habeat judicium. Cum enim sæpius malîtiosi Pænitentes putant se satisfecisse præcepto Confessionis

si

si obscurè substantiam peccatorum enuntient, hinc fidelis Minister Christi nullo tenetur parcere labori, ut illos ad viam salutis reducat. unde dolendum est, quod plures ex Confessariis omittunt inquisitiones debitas, tum ex negligentia, tum propter concursum populi absolvendi, obliti monitorũ Christi boni Pastoris, qui relictis 99. ovibus, unã adinveniendam quæsivit.

16. *Quid considerandum Confessario in materia Restitutionis?*

Ante Resp: *Nota:* quòd bona quæ auferri possunt proximo, sunt triplicia. Bonum *Vitæ, Famæ* & *Fortunæ*, ad quæ omnia cætera reduci debent. *Bonum vitæ*, aufertur per homicidium, mutilationem, vulnerationem &c. *Bonum Famæ*, per detractionem. *Bonum Fortunæ*, per furtum. His adnotatis ad quæsitum

17. ℞. Si quis occiderit hominem, in foro conscientiæ & Sacramentali non tenetur quidem ad Pænitentiam sub amissione vitæ; obligari tamen debet à Confessario ad plura onera. Si enim occisus habuit uxorem & liberos, tenebitur homicida illos alere, quia damnum illatum, quod habent ex morte Patris, non habent unde resarciant, quam ex bonis homicidæ. Si vero fuerit liber occisus, tenetur homicida saltim illi præstare suffragia, præter Pænitentiam à Confessario impositam.

18. Ad hæc autem non tantum tenetur homicida, sed etiam ille qui sine gravi discrimine poterat facile impedire mortem occisi & neglexit, maximè si ipse homicida sit pauper, & nihil horum præstare poterit. Hæc enim Regula in omnibus Restitutionibus observari debet, qui enim potest impedire damnum alteri illatum & non impedit, jam aliquomodo ad illud consentit, juxta illud: *qui*

tacet

tacet consentire videtur. Est enim eo ipso causa moralis peccati, aliquis enim potest esse causa moralis peccati quinq; modis hoc versu expressis.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.

19. Si Confessarius habeat Pœnitentem, qui cõfitetur se alterum diffamasse. Interrogandus est, an coram illis diffamavit qui necdum sciverunt de tali infamia? vel si jam sciverunt, saltim in hac opinione sunt confirmati à dicto Pœnitente. Si sic: tenetur ad restitutionem famæ omnî meliorî modô quô potest.

Quodsi illa infamia fuit vera, & jam aliquomodo publica, ad nihil tenetur, quia alias cum mendacio debuisset illam negare. Cæterum tamen & vera crimina præsertim occulta, coram aliis propalare juxta gravitatem damni exinde proximo illati, est peccatum mortale aut veniale.

20. Hæc enim universalis est Regula Confessario observanda in cognoscenda gravitate diffamationis & oblocutionis; ut bene attendat, quomodo talis oblocutio opponatur charitati proximi, & quale damnum potuit inferri diffamato, pensandis omnibus circumstantiis Personæ diffamatæ.

21. Si Pœnitens confiteatur tantum se audisse ad mensam oblocutiones, & nihil ipsis addidisse sed tacendo ac ridendo acceptasse, probabilius solum peccavit venialiter, & quidem si potuit excusare proximum cujus fuerat oblocutio, si vero non habuit talem excusationis authoritatem nec venialiter peccavit, quia nihil voluntarium commisit, aut omisit, non enim est in nostra potestate non audire quæ proferuntur. Si tandem incepit obloqui proximum cum prævisione quod longo tractu futurus sit sermo diffamatorius, reus erit omnis damni ex tali oblocutione emergentis, etiamsi postea cæ-

teros

teros audiendo, subticeat *Ratio est*: quia talis est motivum omnium illorum malorum. Excusatur autem à mortali qui sine tali præscientia cum levi oblocutione incepit sermonem, etiamsi postea subsequatur gravior ab aliis diffamatio; quia non supponitur habere voluntatem talis diffamationis.

22. Hoc genus peccati est frequentissimum in nostra Polonia; siquidem ad mensam plane omnis conditionis homines magis solent famam proximi, quam escas appositas devorare. Hinc Confessario incumbit ab hac pessima consvetudine retrahere Pænitentes, explicando eis non esse hoc peccatum adeo vulgare prout à vulgo æstimatur, cum enim nobilissimæ ac primæ opponatur virtuti Charitatis, certum est quod sit cæteris gravius.

23. Remedia autem à Confessario taliter peccantibus danda erunt hæc & alia similia: I. Cum enim ex defectu prudentis ac statisticæ materiæ soleant ad mensam fieri oblocutiones, salutare erit remedium, si ad mensam Paterfamilias jubeat aliquem librum legere in materia honesta. Aliis enim temporibus solent homines variis occupationibus distrahi, ad mensam vero solis verbis occupantur. II, Si accidat oblocutio & infamatio alicujus proximi, excuset illum quantum potest Pænitens, sic enim & animam suam, & diffamantiū lucrabitur DEO. III. Quod si id facere non poterit propter varias circumstantias, saltim incipiat alium sermonem, aut fingat negotium dirimens illum discursum.

24. Si Pænitens confiteatur se furtum fecisse, aut aliquod damnum temporale proximo, ante omnia interrogandus est quodnam damnum fecerit? cum enim in damnificatione potest dari levitas & parvitas materiæ; sine tali inquisitione non haberet Confessarius plenum judicium. 45.

25. *Damnum* vero temporale potest fieri innumeris plane modis, iuxta diversitatem status, & conditionis hominis. Fur enim per furtum damnificat; Jurista per fraudem documentorum fortunæ; Incendiarius per incendium &c. aut quocunq; alio modo, qui modus ratione damni emergentis est æqualis furto.

26. Item damnum temporale potest fieri ab uno physicè & ab altero moraliter. Ut si vg. Petrus juberet, aut consuleret, vel consentiret non impediendo etsi posset, combustionem horrei à Paulo factam, tunc eo ipso fuisset causa moralis talis damni. Aliquando etiam damnum solet fieri à duobus physicè, hæc enim omnia consideranda sunt in praxi Confessario.

27. Si igitur unus commisit furtum aut aliud damnum, tenetur ad restitutionem totalem, vel in parte, etiam cum exinanitione suæ fortunæ, nam damnum damno compensari debet. Unde Confessarius non attenta hujusmodi excusatione imponat Pœnitenti restitutionem. Si verò non est capax de bonis suis restituere, eó quod sit pauper, saltim per servitium, aut alio meliori modo in parte restituat, si in toto non poterit.

28. Quòdsi vg. Petrus consuluit furtum aut incendium Paulo ut faceret, & Paulus propter inopiam non habet unde restituat damnum, tenebitur ad restitutionem Petrus consulens; *Ratio est*: quia fuit concausa moralis illius damni. His regulis facile possunt & alii in hac materia occurrentes resolvi casus.

29. *Ad quid tenetur Confessarius qui per incuriam suam non assignavit Pœnitenti debitam Restitutionem?*

℟. Si commode potest haberi *Pœnitens*, debet

ipsum

ipsum admonere de restitutione facienda, factâ erroris sui animadversione, modô supra præscriptô pag. 433. Quod si non possit haberi Pænitens, ultra peccatum, habet onus facere restitutionem ex suis bonis si potest, si vero non potest, ad nihil obligatur.

30. *Quid óbservandum Confessariò cum defraudantibus mercedem servorum suorum?*

℞. Absolutè loquendo imponenda est Restitutio. Sed si Pænitens aliquas circumstantias & rationes proponat, vg. quia servus damnificavit eum, hinc prudentiús inquirendum erit Confessario, quale nam id damnum fuerit, an voluntarium, vel casuale? Si voluntarium; utrum retentio mercedis, non superat pretium damni? solent enim magnificare rem Domini. Si casuale; tenetur ad restitutionem mercedis. Si vero sit dubium: standum est in favorem servi. Plura docebit, praxis. Hoc unicum adhuc (quantum ad præsens) adjungere placuit. Quod in talibus & similibus casibus debet aliqua intervenire injustitia ex parte Dominorum, eo enim ipso quòd confiteantur hāc detentionē mercedis, jam habent aliquem remorsum conscientiæ, qui illos arguit. Unde sæpius Confessario judicanda est res pro parte servi, nisi manifesta appareat ratio incontrarium.

31. Remedium vero & motivum ad reddendam mercedem habebit in promptu Confessarius, si cōsideret peccatum hoc in Cælum clamans, quod DEUS non tantum solet ulcisci in futura vita, sed etiam in præsenti, imò & in liberis usq; ad quartam generationem. Quibus motivis facile alliciet Pænitentem ad restitutionem mercedis debitæ. Quod similiter & in aliis casibus, tenetur facere Confessarius, non enim ut auditor peccatorum sedet pro Tribunali, sed ut Judex. Ad Judicem autem pertinet

tinet reum terreri ac movere ad destitutionem peccati

31. *Quid faciendum est Confessario in praxi cum servis defraudantibus Dominos suos?*

Hoc peccatum est frequentissimum inter aulicos, qui minutim solent furari peccuniam Domini sui in expensis sibi commissis; & plerumq; excusantur per hoc, quod parvum salarium accipiunt; vel quia in tempore non redditur eis merces.

Cum talibus sic procedendum est Confessario. Non attenta quacunq; ex prædictis excusatione, imponatur eis restitutio. Non enim valet prima excusa, quia in illorum potestate fuit juxta exiguum salarium servire. Imo etiamsi illis aliquando non solvatur de integro, non per hoc debent furtim sibi solvere, quia juxta Regulam juris Civilis: *Nec proprium mantile licitum est vi repetere.* Multò magis illi ad restitutionem obligantur, qui nullam ex prædictis rationibus habent ad excusationem sui. Quibus hæc:

Remedia dabit Confessarius, obiiciendo eis quod magis peccent quàm cæteri fures, cùm sint custodes bonorum Domini sui, si igitur inimici hominis domestici ejus, quibus poterit Dominus confidere bona fortunæ? His & similibus verbis svaviter alloquendi sunt tales Pænitentes ut conscientiam illorum erroneam vincat prudentis Confessarii persvasio.

Quod si non habeant unde restituant damnum? saltim servitiô compensationem faciant.

33. Cũ illis vero servis quibus cõmissa est eleemosyna pauperibus, vel Ecclesiæ, & illam defraudant, vg. si per manus famuli datur pro Sacrificio Missæ Hungaricus, & ille imperialem reddit, vel minoris ponderis aureum, gravius procedendum,

quia

quia hujusmodi malitiosi homines & Dominum & DEUM defraudare solent. Unde proponenda est eis restitutio eidem Ecclesiæ, vel si non potest? fiat saltim eidem Ordini. Quia autem hoc peccatum habet annexam excommunicationem Papæ reservatam juxta Decretum Benedicti XIV. *Quanta cura* 30. Junii 1741. ideo à simplici Confessario absolvi non potest ab illa. Si vero sit Clericus? habet suspensionem reservatam juxta idem Decretum. Hæc tamen non debet intelligi de omni spirituali fraude, sed tantùm circa Missæ Sacrificium de stipendio. Aliæ autem fraudes in simplici eleemosyna commissæ, possunt absolvi à quocunq; Confessario approbato.

34. Pro Complemento Materiæ Restitutionis: *Notandum* est: quod omnis qui facit alteri damnum, tenetur universaliter ad Restitutionem faciendam; quia jus naturæ postulat omne damnum injuste illatum resarciendum esse. Si verò ille qui physicè damnificavit, restituere non potest, vel quia est pauper vel jam mortuus, saltim ille ad Restitutionem obligatur, qui consuluit, vel alio quocunq; modo fuit causa saltim moralis damni, quia juxta Regulam Juristarum. *Qui dat causam damni, damni ipse inferre videtur.*

35. *Quid faciendum Confessario si vg. Petrus incenderet Civitatem, & Paulus innocens ex dolore in tortura fateretur se incendiarium fore, ac damnaretur ad mortem, antequam tamen decapitaretur, Petrus incendiarius conscius facti postularet à Confessario consilium, an debeat liberare innocentem & se exponere periculo mortis?*

Hìc duæ difficultates occurrerent Confessario. Si enim consuleret, potiùs Petrum subire mortem, quam vitâ privari innocentem, esset hoc ipso cau-

sa moralis mortis Petri, & sic incurrisset irregularitatem. Si verò tale omitteret consilium, & contrarium svaderet Pænitenti? esset causa mortis innocentis, & ageret contra justitiam. Supponitur autem Petrus non esse capax restituendi damnum per incendium factum, quia alias nulla foret difficultas. 2do supponitur non adesse alia via liberandi innocentem à morte, nisi per liberã manifestationem Petri.

℟. In tali casu Confessarius debuisset consulere Petro, ut se manifestet libere, & eripiat à morte Paulum innocentem. Non enim protunc incurreret irregularitatem, quia debito fine & modo convenienti esset indirecta causa moralis mortis ejus.

Ratio à pari habetur. Nam si vg. Petrus confiteretur se in tali occasione constitutum, ut nisi abneget fidem Christi coram infidelibus, non possit declinare mortem, utiq; Confessarius teneretur ei potius consulere subire mortem, quam amori Divino detrahere; ergo etiam similiter consulendum esset & in casu, ubi agitur de gravi damno proximi. Ille enim solùm contra Lenitatem incurrit Irregularitatem, qui cooperatur ad mortem modo indebito & ad statum Clericalem non pertinente. In casu autem ex vi officii & justitiæ consuleret, & valde remote cooperaretur ad mortem, proximè vero ad tuendam vitam innocentis.

Sed an debeat Confessarius illi jubere ac mandare talem manifestationem, ita ut si nollet non esset danda illi absolutio?

℟. Videtur quod sic, quia talis eo ipso non esset bene dispositus, sicuti ille qui potest restituere damnum proximo illatum, & non vult. Hanc tamen resolutionem subjicio meliori judicio Doctorum.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Casibus Reservatis.

Quia Casus Reservati sunt materia remota Sacramenti Pænitentiæ, hinc proprius illorum locus meritò in hoc Articulo videbatur esse assignandus.

1. *Quid sit Casus Reservatus?*

℞. Est peccatum mortale externum ad cujus absolutionem inferioribus Sacerdotibus Jurisdictio non est concessa. Dicitur *mortale*, quia sola gravia solent reservari ob majorem diligentiam vitandi illa, & difficultatem ab illis absolvendi. Dicitur *Externum*, quia de internis Ecclesia non judicat. Cæteræ particulæ denotant quòd reservatio casuum magis afficit Confessarium, quàm ipsum peccatum aut Pænitentem.

2. *Quibus de jure competit reservatio Casuûm?*

℞. Illis omnibus qui gaudent Jurisdictione Ordinaria. Ut docet Elbel p. 2. Confor. 13. Unde 1. Reservatio casuum competit Papæ pro tota Ecclesia. 2. Episcopo pro sua Diæcesi. 3. Prælatis Regularibus pro sua Religione aut Provincia, qui quasi Episcopalem habent Jurisdictionem Ordinariam in suos subditos. Hinc propter istam rationem Parochi & Gvardiani ac alii cujuscunq; Nominis Superiores Locales non obstante quod habeant Jurisdictionem Ordinariam in Alumnos suæ Parochiæ, aut Conventus, non possunt tamen reservare sibi casus, quia eorum authoritas à Superioribus Episcopalem vel quasi-Episcopalem dignitatem habentibus, limitatur.

3. *Quotuplices sunt Casus Reservati?*

℞. Juxta triplicem Jurisdictionem Ordinariam

supra

ſupra enumeratam, ſunt pariter & Caſus Reſervati triplicis Claſſis. Alii enim ſunt reservati Papæ, alii Epiſcopo, & alii Prælatis Regularibus

4. *Quid ſpecialiter annotandum eſt in Caſibus Reſervatis Papæ?*

℟. Hoc: quod ſcilicet Papa nullum ordinariè peccatum ſibi reſervat, niſi propter annexam cenſuram Excommunicationis ſibi reſervatæ. Ut docent Henrix, Navar, Layman & alii. Unde ſi Papa aut ejus Pænitentiarius aliquem abſolveret ab Excommunicatione Papæ reservata, talis à quocũq; inferiore Confeſſore abſolvi poteſt in foro conſcientiæ ab ipſo peccato cui annexa fuit Cenſura reſervata.

5. Idem dicendum, ſi quis tempore Jubilei vel aliàs habenti poteſtatem ſpecialem Confeſſario abſolvendi à Caſibus reſervatis Papæ, fuiſſet confeſſus, & ab illo abſolutus ab omni vinculo Excommunicationis, omiſſa per oblivionem confeſſione Caſûs reservati Papæ, talis in memoriam revocato peccato reſervato poterit à quocunq; Confeſſario approbato abſolvi ab eodem caſu reſervato, quia jam fuit abſolutus ab Excommunicatione Papæ reſervata.

6. Hoc ipſum judicandum eſt de illo, qui cõmiſit peccatum Papæ reſervatum, ſed ob ignorãtiam aut aliam cauſam à Censura Papali excusatus fuit. quem etiam inferior Confeſsarius abſolvere poteſt. ut docet. Reiffen. Baſsæus & alii.

7. Casus Episcopo præsertim ſpecialiter reservati possunt non habere Excommunicationem ſibi annexam. Unde nullus inferior Confeſsarius à talibus peccatis absolvere poterit extra mortis articulum, niſi quò ad hoc ſpecialem licentiam habeat.

8. Imo etiam ſunt alii Casus Papæ reservati, qui

qui non ratione censuræ annexæ, non pössunt à quolibet Confessario absolvi, sed ratione ipsius præcisè peccati, quod sibi Pontifex reservat, uti est illud in Bulla Sixti V. contra male promotos, quæ incipit *Sanctum & Salutare*. Unde dixi notantèr *Ordinarie* supra n. 4. quia licèt ordinarie casus Bullæ Cænæ Domini & alii inferius enumerati sunt reservati Papæ ratione Excommunicationis annexæ, non tamen indispensabiliter omnes, cum prædictum in Bulla Sixti V. excipiatur.

9. Quoties adest morale dubium, an aliquis casus sit reservatus Papæ, aut Episcopo vel Prælato Ordinis? jam talis censendus est pro non reservato, sive dubium sit Juris, sive facti, ut docet Suarez & alii. Et *Ratio est*. quia reservatio est valde odiosa, & ideo stricte interpretanda, consequenter solùm intelligi debet de casibus certis & indubiis. Nam in odiosis semper Leges sunt restringendæ, ut docent communiter Canonistæ. Quâ Regulâ rectificari potest Confessarius in omnibus casibus dubiis, odiosis.

10. *Qui: & quot sunt Casus reservati Papæ?*

℟. Casus reservati Papæ sunt multiplices, quorum XX. sunt præcipue qui in Bulla Cænæ Domini continentur. Hæc autem Bulla, ideo sic vocatur: quia singulis annis in die Cænæ Domini publicari ac renovari solet. Reliqui vero casus partim sunt in jure Can. partim in Const. Apostolicis contenti.

Porro isti Casus Bullæ Cænæ sunt sequentes.

I. Hæretici, Apostatæ à Fide: Fautores & defensores Hæreticorum, legentes eorum libros de Religione tractantes, imo imprimentes & defendentes eos, ac Schismatici; hi omnes excommunicantur Censurâ soli Papæ reservatâ.

II.

II. Appellantes à sententia & mandatis Papæ ad futurum Concilium Generale.

III. Pyratæ, seu Latrunculi maritimi, & eorum fautores. &c.

IV. Rapientes bona naufragantium Christianorum ubivis terrarum.

V. Imponentes nova pedagia seu Gabellas, præter habentes authoritatem ad hoc, ut sunt Imperator, Reges, & Principes absoluti, in terris suis. Ab hoc casu videntur eximi in Polonia nostræ Hæredes bonorum suorum, cùm sint æquales quò ad suam hæreditatem Principibus absolutis, sed ad summum si id faciant non ex avaritia, sed amore boni publici suorum bonorum statûs.

VI. Falsificantes Literas Apostolicas.

VII. Deferentes arma. & alia usui bellico idonea ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani Nominis hostes, vel Hæreticos expresse & nominatim à Sede Apostolica declaratos.

VIII. Impedientes eos, qui victualia aut alia Romam vehunt.

IX. Afficientes injuriis eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam.

X. Vexantes Romipetas.

XI, Offendentes Cardinales & Ecclesiæ Prælatos.

XII. Offendentes eos aut impedientes, qui ad Romanam Curiam vadunt pro negotiis, negotiorumq; gestores, imo probabilius Postam in talibus negotiis impedientes, aut falsificantes.

XIII. Appellantes à gravamene, vel futura executione Literarum Apostolicarum ad Laicam potestatem.

XIV. Officiales & alii qui causas Ecclesiasticas avocant à Judicibus Ecclesiasticis.

XV.

XV. Judices sæculares, qui Personas Ecclesiasticas ad sua Tribunalia trahunt.

XVI. Impedientes Prælatos, ne Jurisdictione suâ Ecclesiasticâ utantur.

XVII. Usurpantes Jurisdictionem Apostolicæ Sedis, aliarumq; Ecclesiarum, seu fructus, redditus, & proventus earum.

XVIII. Imponentes decimas & alia onera Personis Ecclesiasticis.

XIX. Judices sæculares, qui in causis capitalibus Clericorum se se imponunt.

XX. Occupantes bona & terras Ecclesiæ Romanæ & Supremam Jurisdictionem in illis usurpantes.

Hi omnes prædicti Casus sunt desumpti ex Bulla Cænæ Domini cujus tenor videatur in Bullario Tom. 4. & 6.

Nota: quòd in fine hujus Bullæ adduntur hæc verba: *Quodsi forte aliqui contra tenorem præsentium talibus Excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere defacto præsumpserint, eos Excommunicationis sententiâ innodamus.* Circa quod notat Navar. 17. *Manual.* n. 74. quòd hæc Excommunicatio ejusq, absolutio non sit Reservata Papæ, cum talis Reservatio ex Litera non pateat.

Quam non incurrit ille Confessarius qui ex oblivione vel ignorantia non crassa absolverit ab iisdem Casibus Bullæ Cænæ Reservatis, ut patet ex termino *præsumpserint*. hoc est scienter ac deliberate attentaverint, quod in Casu non eveniret.

Hi omnes Casus pro adjutorio memoriæ breviter sequentibus exprimuntur versibus:

1. *Hæretici.* 2. *à Papa appellans.* 3. *Cum fure.* 4. *Pyratæ.* 5. *Augens Vectigal.* 6. *Aut Breve fal-*

sificans. 7. Hostibus arma ferens. 8. Victum quive amovet Urbe. 9. Quos Papa. 10. Aut pietas: 11. Aut sua causa ciet. 12. Præsulibus gravis. 13. Ad Laicum spectantia Sacrum. 14. Sit Reus. 15. Aut Judex qui trahit acta forum. 16. Prælati. 17. Ecclesiæq; usurpans Jura. 18. Onus & qui His statuit. 19. Capitis noscit eosq; reos. 20. Sedis Apostolicæ terras quippe occupat atrox. Hos omnes Domini Cœnæ anathema ligat.

11. *Qui sunt alii Casus Papæ Reservati?*

℟. Innumerabiles planè esse quorum Cathalogum per extensum recenset P. Pichler Lib. 5. Decret. tit. 39. Ex quibus magis in usu habiti sunt sequentes.

I. Sacrilegi effractores Ecclesiarum ut eam spolient.

II. Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt, & intra duos menses non desistentes.

III. Dantes & recipientes aliquid ob ingressum Religionis. Item Simoniaci in Ordine & Beneficio.

IV. Ingredientes Clausuram Monialium sub pretextu Privilegii seu licentiæ, quod etiam de Mulieribus respectu Clausuræ Virorũ intelligi debet.

V. Committentes duellum, & illud consulentes ac Principes territoriales concedentes locum & permittentes duellum in terris suis.

VI. Dantes aut recipientes aliquid pro gratia aut justitia apud Sedem Apostolicam.

VII. Extrahentes ex asylo, gaudentes eodem.

VIII. Docentes & defendentes etiam disputativè, propositiones damnatas.

IX. Regulares administrantes Sacramenta Extremæ Unctionis aut Eucharistiæ infirmis, vel Matrimonia solemnizantes sine scitu & licentia Pa-

rochi

rochi, vel Episcopi aut Papæ.

X. Tertiarii portantes habitum Fratrum Minorum sine licentia eorum.

XI. Apostatæ à Religione quamvis maneant in Fide Catholica, si enim non manerent. in Fide, haberent casum Bullæ Cœnæ. Hæc tamen Excommunicatio licèt sit lata à Pontifice, non est tamen reservata ab illo sibi, sed à Regularibus Prælatis.

XII. Absolventes sub prætextu Privilegiorum à Casibus Bullæ Cœnæ vel specialiter Reservatis per Ordinarios ex Decreto sub Clemente VIII emendatum Annô 1601.

XIII. Lacerantes & exenterantes corpora defunctorum, ut conserventur.

XIV. Prædicatores, qui aliquid prædicant contrarium aut dissonum S. Scripturæ. Ex Leon. X. In Concil. Later.

XV. Religiosi aut Clerici sæculares incurrunt Excommunicationẽ Papæ Reservatam, qui aliquem inducunt ad vovendum, jurandum, aut promittendum, ut in eorum Ecclesia sepulturam eligat, vel jam electam amplius non mutet. Ex Bonif. VIII.

12. *Casus sex Reservati Papæ solùm intra Italiam à Clem. VIII,*

I. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ circa fugientes ad Ecclesiam.

II. Violatio Clausuræ Monialium ad malum finem.

III. Injectio manus violentæ in Clericum.

IV. Provocatio & pugna in duello.

V. Simonia realis scienter contracta.

VI. Confidentia Beneficialis.

Inter Excommunicatos Excommunicatione non reservata numerantur à citato Pichler Lib. 5. Decretal. sequentes.

I. Scienter contrahentes Matrimonium in gradibus prohibitis,

II. Imprimentes Libros absq; licentia Superiorum. Ex Leone X.

III. Procurantes abortum fœtus animati. Ex Greg. XIV. *Sedes Apostol.*

IV. Cogentes vel impedientes Mulieres ab ingressu Religionis. Trid. Sess. 25.

V. Vexantes Ecclesiasticos quód non elegerint, eum pro quo rogabatur.

VI. Regulares adeuntes curias Principum ad nocendum suis Prælatis vel Monasteriis.

13. *Sunt* & alii quam plures Casus habentes annexam Censuram, tam reservatam quam non reservatam, quorum series & notitia licèt sit Confessario ignota, non ex inde debet torqueri ac scrupulo anxius esse. Sufficit enim si recensitas memoria teneat, Judicium enim hoc Sacramentale humano modo exerceri debet; foret autem imbecilitati humanæ onus plane insupportabile habere obligationem noscendi omnes Censuras, in, & extra Corpus Juris in varia crimina latas, ut docent communiter DD, cum Reiff. p. 1. Instit. 6

14. Hau tamen duas Regulas observare debet Confessarius in præsenti materia. I. Quò ad Sæculares plebejos minùs scrupulizare debet, vix enim aliquando audire poterit tales Pænitentes incurrisse Reservatos Casus. Exceptis tribus his: Percussionis Clerici. Hæresis quæ solet esse in talibus materialis tantùm, & dum aliquis est pro Excommunicato denuntiatus specialiter. Licèt & quò ad hæc considerandæ erunt conditiones requisitæ ad incurrendam Censuram. De quibus in 1. parte dixi.

II. *Regula* est: quod ad Clericos & Doctiores ac honora-

honoratiores Laicos, majorem attentionem Confessarius habeat, ne aliquam ex prædictis Excommunicationibus incurrerint, juxta diversitatem illorum statûs. Clerici enim propter Simoniæ labem solent contrahere, Laici Judices lædunt immunitatem Ecclesiæ, Milites subjacent pænis duellantium. Mulieres ob præsumptuosum ingressum Clausuræ Regularium &c.

15. *Qui sunt Casus Episcopo Diæcesano Reservati?*

℟. Sunt illi, quos sibi unusquisq; Ordinarius pro sua Diæcesi specialiter absolvendos reservat. A quibus etiam Regulares mendicantes sub nullo prætextu absolvere possunt, sine speciali licentia ejusdem Ordinarii. Hi autem Casus Episcopo Reservati non possunt per extensum recenseri cùm non sint uniformiter in omni Diæcesi iidem, sed pro libitu Episcoporum juxta statum suarum Diæcesum diversi excipiuntur. Unde Confessarius in memoria illos tenere debet, pauci enim esse solent.

Ubi *Nota*: quòd Casus Episcopo reservati possunt esse nudi, id est non habentes annexam Excommunicationem, imò plerumq; tales esse solent. Quod benè notandum in Casu Articuli aut periculi mortis, si enim absolverentur protunc ab Inferiorî Confessario, Pænitens convalescens, non tenetur illa confiteri Episcopo aut ejus Vicario, ut supra dixi, & inferius dicetur.

16. *Quisnam possit absolvere à Casibus Reservatis tam Papæ quam Episcopo in Articulo vel periculo mortis?*

℟. Juxa Trident. Sess. 14. *de Pœnitentia* cap. 7. quilibet Confessarius à quolibet Casu Reservato nullo excepto. Si tamen Casus Reservatus haberet annexam Excommunicationem, aut pro-

pter

pter illum esset Pænitens specialiter denunciatus pro Excommunicato, talis Pænitens si convaluerit tenebitur se sistere Superiori, ut docet Barbosa Piehler Lib. 5. Decret. tit. 39. aliàs si id non præstitisset reincideret in eandem Excommunicationem. Quid nam intelligatur per Articulum mortis? dictum supra in præcedenti Sectione.

17. *A quo Casus Reservati Papæ absolvi possunt extra periculum mortis?*

℟. Nullus inferior potest ab illis absolvere nisi Papa aut ejus Pænitentiarius, vel qui habuerit quo ad hoc speciale Privilegium. *Ratio* est: quia nullus inferior habet potestatem in Superioris Legem, nisi ab eodem vel altiori id ei concedatur.

18. *Nota*: quòd juxta Trident. Sess. 24. § *de Remorf.* cap. 6. Episcopis data est facultas absolvendi ab omnibus Censuris Sedi Apostolicæ Reservatis, in quibuscunq; Casibus *occultis* tamen; (quod bene notandum) & eorum Vicariis. In crimine autem Hæresis solis in Persona Episcopis, & non eorum Vicariis id permissum, & quidem in foro Conscientiæ.

Hoc tamen non obstante dubium est apud DD. an etiam hæc facultas extendatur, quò ad Casus in Bulla Cænæ expressos, cum hæc Bulla singulis annis, promulgetur cum Clausulis derogatoriis? ad cujus Rei quietationem adest Constitutio in Jure Canon L. 5. T. 7. § 7. ubi hæc habentur verba: *Datur insuper facultas absolvendi ab omnibus Casibus Reservatis etiam Bullæ Cænæ, in locis tamen ubi impunè grassantur hæreses.* Cum igitur & in Poloniæ Regno dantur impunes Hæretici, ideo videtur dari Episcopis ejusmodi facultas.

19. *Qualem potestatem habent Regulares circa Casus Reservatos Papæ?* ℟.

℞. Regulares Mendicantes in quorum numero est latus Ordo S. P. N. Francisci per speciale Privilegium habent potestatem absolvendi *in foro cõscientiæ* tantum ab omnibus Casibus Papæ Reservatis, exceptis 20. in Bulla Cænæ contentis. Ut videre est varias Constitutiones Pontificias in Compendio nostrorum Privilegiorum ℣. *absolutio* & in Jure Canon. Lib: 5, Decret. tit. 7.

20. Illud tamen observare in hoc negotio debet Confessarius. I. Quod solùm pro foro Cõscientiæ absolvere potest à talibus Casibus reservatis, nam in foro externo, si Judex vult, potest adhuc non obstante hac absolutione procedere. II. Dictum est- *exceptis Bullæ Cænæ*, quia hos Casus etiam occultos Confessarius Mendicantium non potest absolvere, ut docent communiter DD. III. Neq; etiam potest ab illis Casibus Reservatis absolvere, si jam sunt deducti ad forum contentiosum, præsertim si Pænitens in tali foro per sententiam condemnatoriam tanquam Excommunicatus fuisset proclamatus. IV. Item Confessarius non debet illum de facili absolvere à Casu Reservato etiam pro foro interno, si hic includat læsionem alterius, nisi priùs parti læsæ actualiter satisfaciat. Ut docetur in Jure Can. Lib. 5. Decret. tit. 39.

21. *An possit Confessarius Mendicantium absolvere illum Casum Reservatum, qui licet nondum sit deductus ad forum contentiosum, pluribus tamen jam est notus?*

℞. Potest, juxta Privilegium Pauli III. Anno 1545. concessum Confessariis Soc. IESU, cum quibus Mendicantes communicant in Privilegiis. Incipit autem hæc Bulla *Cum inter cunctas*. Unde vg. Si Petrus percusserit Paulum Clericum coram pluribus,

poterit

poterit absolvi à quolibet Confessario Mendicante, si omnimodam satisfactionem paratus sit exhibere Paulo læso, ipso consentiente & cedente juri suo. Hæc tamen doctrina intelligenda non est de Casibus extra Bullam Cænæ Domini, aut specialiter Reservatis Episcopo in sua Diæcesi

22. *Quid practicè faciendum Confessario cum habente Casum Reservatum?*

℟. I. Ordinariè extra Articulum aut periculum mortis, non debet ipsum absolvere, si non habet Jurisdictionem in Reservata, sed ipsum debet mittere ad Superiorem. Vel si vellet Confessarius tacito nomine Pænitentis, poterit quo ad hunc Casum petere facultatem à Superiore verbis aut per literas ut illum absolvat, & sic obtentâ licentiâ, poterit illum absolvere. Ita communiter DD. & concordat Trid. *Sess.* 14. cap. 7.

℟. II. Quòdsi urgeret aliqua necessitas justa Pænitentis obtinendæ hic & nunc absolutionis, vg. quia est communicaturus, aut celebraturus & longe distet habens potestatem à Reservatis, tunc Confessarius poterit illum absolvere, ita tamen, ut directè absolutio cadat supra non Reservata, etiamsi non Reservata solum sint venialia, & indirectè super Reservata, cum onere ut Pænitens postea Superiori aut alteri habenti facultatem absolvendi se præsentet, adeoq; prævia Confessione à Reservatis directè absolvatur.

23. In Casu autem prædictæ necessitatis licèt juxta Herinx. disp. 3, q: 5. possit Pænitens non confiteri illud Reservatum coram Inferiori Confessario, quia nullus obligatur ad idem peccatum bis confitendum; oppositum tamen plures tenent DD. ut instruatur Pænitens quid in tali Casu agere debeat, & ad quid obligatur. Si tamen est prudens,

&

& possit seipsum rectificare, certum est, quod non obligatur per se ad confitendum Reservatum, cum ab illo non absolvatur directè, dummodo habeat voluntatem confitendi illud, quam primum poterit habere Confessarium Superiorem.

24. Similiter dum confitebitur Reservata coram Superiore, non erit obligatus iterum confiteri non Reservata, quia jam ab Inferiori est absolutus directe ab illis.

Ubi *Nota:* quòd in talibus absolutionibus non habetur dimidiata peccatorum absolutio, & venia, quia in prima Confessione absolvuntur omnia, & solum onus relinquitur Pænitenti ut pro Excommunicatione tollenda annexa peccato Reservato adeat Superiorem, ne iterum in ipso reviviscat.

25. *Quid specialiter notandum est Confessario circa Casus Reservatos Diœcesanis Episcopis?*

℞. Hæc sequentia.

I. Quodsi Pænitens vg. ex Diæcesi Luceoriensi accederet Leopoli ad Confessarium cum peccato reservato Episcopo Luceoriensi, non vero Leopoliensi, poterit ipsum absolvere, ut patet ex Bulla Clement. X. quæ incipit *Superna* quæ hæc verba habet: *Potest autem Regularis Confessor in ea Diæcesi in qua approbatus est, confluentes ex alia Diæcesi à peccatis in ipsa Reseruatis non autem in illa ubi idem Confessor est approbatus absolvere.*

II. E contra si Pænitens ex alia Diæcesi confitebitur peccatum, alias in Luceoriensi Diæcesi non reservatum coram Confessario Leopoli ubi est reservatum, juxta La Croix Lib, 6. p. 2. n. 1631. non poterit illum absolvere. ut etiam docet Suarez Lugo, Marchant. &c. *Ratio* illorum est: quia Leopoliensis Ordinarius eo ipsò quod sibi reservavit in sua Archi-Diæcesi illud peccatum, sustulit Confessariis Jurisdictionem ad illud absolvendum. Non

Non desunt tamen licèt pauci uti *Staz* & *Fagundez.* qui putant in tali Casu posse Confessarium absolvere. *Ratio* illorum est hæc: quia Episcopus reservat aliqua peccata in bonum propriæ Diæcesis, & consequenter nonnisi peccata suorum Diæcesanorum. Poterit igitur Confessarius sequi utramq; sententiam pro opportunitate temporis, cum etiam hæc secunda sententia non careat suo fundamento.

III. Quando Pænitens manens extra suam Diæcesim committeret peccatum in sua Diæcesi reservatum, non vero in illa in qua commisit illud, vg. commisit Leopoli, reservatum in Diæcesi Premisliensi, utiq; posset ab illo absolvi Leopoli, non vero revertens in propriā Diæcesim Premisliēsē. Ita cū multis Dicastillo disp. 11. n. 244. non obstante quod etiam esset Parochianus utriusq; Diæcesis, ut sæpe contingit Magnatibus in Polonia, qui modo manent in bonis hujus Diæcesis, modo in alterius territorio. Nam Reservatio Casus magis limitat & afficit Jurisdictionem Confessarii, quam ipsum Pænitentem, & ejus peccatum, ut supra dictum est.

26. *An Diæcesanus incurrat Reservationem quo ad Casus Episcopales, si invincibiliter ignoret tali peccato esse annexam Reservationem?*

℞. Negat Navar apud Sporer. Affirmat Reiff. La Croix Lib. 6. p, 2. n 1603. *Ratio est:* quia Reservatio principaliter afficit non Pænitentem sed ipsum Confessarium. Sed.

27. *Dubitabis:* quare non incurritur Casus Papæ Reservatus cum ignorantia, bene vero Episcopo Reservatus, cum videatur in utroq; par ratio? Ad hoc.

℞. Dando disparitatem; quia Papa ordinariè non reservat sibi Casus nisi propter Censuram illis annexam, Censura autem non incurritur, si invincibiliter

cibiliter ignoretur esse annexa, ut supra in prima parte dictum est. Cæterum Episcopi solent reservare Casus sine dependentia ad aliquam Censuram.

Plura videantur quæ dicta sunt in 1. p. de Censuris.

28. Pro complemento hujus Articuli, Confessarii præsertim Regulares habeant in memoria has duas propositiones ab Alexandro VII. damnatas. Quarum prior Ordine 4. est hæc, *Prælati Regulares possunt in foro Conscientiæ absolvere quoscunq; sæculares ab Hæresi occulta, & ab Excommunicatione propter eam incursa.* Secunda Ordine 12. est hæc: *Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis Reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

ARTICULUS III.

De Materia Proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Materia Proxima Sacramenti Pænitentiæ sũt ipsi Actus Pænitentis scilicet: Cordis Contritio, de quibus jam aliqua sunt supra dicta par 1. pag. 117.

Cordis Contritio.

2. *Quotuplex est Cordis Contritio?*

℟. Duplex. *Perfecta* & *Imperfecta*. Prima est: Dolor animi, & Detestatio peccati propter DEUM summè dilectum, cum firmo proposito non peccandi de cætero. Et hæc vocatur *Contritio* quæ etiam est sufficiens ad justificationem dispositio extra Sacramentum. *Imperfecta* vero est: Dolor animi ac Detestatio peccati ex metu gehennæ, aut tupitudinis peccati. Et hæc vocatur *Attritio*, quæ non disponit ad justificationem nisi in Sacramento Pænitentiæ,

3. In Contritione semper includitur Amor DEI, sive explicitè & formaliter, sive implicitè & virtualiter. Pro quo *Nota*: quod Contritio licèt non debeat includere Amorem DEI intensum, sed etiam quantumcumq; remissus sufficere poterit, debet tamen includere Amorem appretiativè summum, ita, ut Pænitens sit expositus magis sibi ab hinc appretiare DEUM, quàm alias res etiam amabilissimas; & si aliter non posset fugere offensam DEI, nisi amittat res aut personas quas sibi appretiat, paratus sit illas relinquere, alias hoc ipso non esset ritè dispositus ad absolutionem obtinendam. Juxta illud Christi Math. 10. *Qui amat Patrem, aut Matrem, plus quàm me, non est me dignus.*

4. Hinc Confessarii interrogare plerumq; debent maximè plebeæ conditionis Pænitentes, quare nam doleant de peccatis? quos raro invenient scientes rectè respondere. Unde pro munere sui officii & maxime Beneficiati, tenentur illos instruere, & si opus est, etiam cum illis breviter Actum Contritionis elicere.

5. Optimus ille Actus Contritionis est, quô homo dolet de peccatis. ex præciso Amore DEI, sine ulla relatione ad metum gehennæ, imo protestatur coram DEO, quod etiamsi illum non puniret, adhuc doleret de illis, eo quod sint offensa ejus. Hic enim est perfectissimus Amor dolori mixtus.

6. Sciant etiam Confessarii ad instructionem Pænitentum suorum, quod illis dolor non tantum est necessarius dum confitentur sua peccata; sed etiam dum deliberatè, & quotiescunq; veniunt peccata alias jam confessa & absoluta in memoriam eorum, & præsertim in Materia luxuriæ. *Ratio est*: quia si in talibus circumstantiis non haberent de illis dolorem, sive cum Amore DEI ,junctum, sive per modum simpli-

simplicis displicentiæ, semper erunt in periculo complacendi sibi in illis, & sic facile poterunt peccare. Unde luxuriosis non otiosè hæc danda erit informatio

7. *Per quid universaliter differt Contritio ab Attritione?*

℟. Per hæc duo, nempe ratione *Motivi* & *Effectus*. Ratione quidem, Motivi, quia Contritio fit ex motivo Charitatis DEI. Attritio vero ex motivo Charitatis erga seipsum, nempe ex motivo gehennæ aut turpitudinis peccati. Differunt etiam *2do*. ratione effectus quia Contritio per se remittit peccata & justificat extra Sacramentum cum voto tamen Sacramenti. Attritio vero solúm justificat in Sacramento. Unde solet dici Attritio: in Sacramento Contritio, non formaliter, sed effectivè quatenus id efficit in Sacramento Pænitentiæ in re, quod facit Contritio cum Sacramento in voto.

8. *Qualis Attritio sufficit & requiritur, in Pœnitente ad validam absolutionem?*

℟. Non sufficit si sit naturalis, seu ex motivo naturali, sed debet esse omnino Supernaturalis. Unde ille Pænitens qui doleret de peccato furti vg. ob infamiam apud homines contractam, vel quodcunq; aliud malum temporale, non esset bene dispositus.

9. Sufficit autem ob malum temporale à DEO inflictum vel infligendum, quia in tali Attritione cúm adsit respectus ad DEUM & motivum Supernaturale, jam erit Dolor Supernaturalis. Et talem Dolorem sæpius habere solent illiterati Pænitentes. Pro quibus hæc erit universalis Regula, ut quotiescúnq; suum Dolorem referent ad ipsum DEUM, erunt sufficienter dispositi, non obstante quod habeant pro motivo malum quodcunquè temporale.

10. *Quotuplex est Turpitudo peccati?*

℟.

℟. Duplex *una* naturaliter cognita, & talis est vg. Turpitudo immunditiei quæ est in peccato carnis. *Altera* est, Supernaturaliter cognita, scilicet per fidem. Et talis turpitudo peccati opponitur alicui Divinæ perfectioni, aut virtuti à DEO præceptæ, Hæc sufficit ad fructuosam Attritionem in Sacramento Pænitentiæ non vero prior. Ad finem enim Supernaturalem salutis, debet esse medium proportionatum, quale non est turpitudo naturalis.

11. *Quomodo Pænitens debet dolere de peccatis?*

℟, Debet dolere de omnibus tam confessis, quàm etiam non confessis, & inculpabiliter oblitis, sic enim totam Materiam eo ipso subjicit clavibus absolutionis. Neq; requiritur singularis Dolor ad unumquodq; in singulari peccatum, ut docent communiter DD.

12. Non requiritur etiam Dolor omnino sensibilis, sed sufficit internus; quia Dolor cum sit Actus voluntatis, est spiritualis. Requiritur tamen per accidens aliquo sensu expressus, ut meliùs Confessarius certificetur de dispositione Pænitentis.

13. *An validè quis doleret de uno peccato & nòn de altero?*

℟, Cum hac distinctione. Si Pænitens haberet sola venialia, posset absolvi, etiamsi de uno tantum doleat & non de altero. *Ratio est:* quia unum duntaxat veniale est Materia sufficiens absolutionis Sacramentalis, alia vero venialia sicuti poterat non confiteri, ita poterit de illis non dolere.

Quodsi unũ tantum aliquis veniale confiteretur, & de illo non doleret, absolutione non esset dignus, & si in bona fide daretur ei absolutio, *Sacrilegium* committeret ob gravem injuriam Sacramento, quod invalidum redderet, ex defectu partis essentialis, scilicet Cordis Contritionis.

Si

Si vero haberet mortalia, & de uno doleret non vero de alio, nullum foret Sacramentum, quia non potest in moderna providentia unum mortale dimitti, non dimisso alio, nam Gratia Sanctificans æque opponitur uni mortali ac pluribus ut docent Theologi. Unde si quis haberet reservatum & confiteretur in Casu necessitatis coram non habente Jurisdictionem in reservata, licet possit non confiteri illud juxta probabilem sententiam (quod confitendum foret Superiori) tenetur etiam de illo dolorem elicere ut saltim sit capax indirectæ absolutionis.

14. *Quando Dolor sit eliciendus à Pænitente?*

℟. Optimo tempore dolebit, si habeat dolorē in ipsa Confessione. vel finita statim doleat ante absolutionem: quia sic Confessio dolorosa est bona. Nihilominus tamen non est omnino necessarium, ut dolor præcedat immediate ante absolutionem vel fiat in ipsa Confessione, sed sufficit si antequam accedat ad Confessarium eliciat dolorem. Imo juxta Felicem Potest, & Leander. t. 5. disp. 7. q. 6. Si quis sero Conscientiam examinans in Ordine ad faciendam Confessionem, & de his peccatis in examine inventis eliceret Contritionem, vel Attritionem, si cras mane accederet ad Confessionem esset valida. *Ratio est*: quia Sacramentum Pænitentiæ est quoddam morale compositum, adeoq; non requirit simultatem Physicam partium sed moralem, quæ in Casu haberetur. Verùm laxa mihi videtur hæc Sententia de uno die in alterum conjungere partes Sacramenti Pænitentiæ.

15. *Quid si post absolutionèm factam Pænitens eliceret dolorem de peccatis suis una vel altera hora?*

℟. Probabilius non haberetur Sacramentum validum. *Ratio est*: quia cum absolutio sit Sententia definitiva, antequam suum sortiatur effectum. debet

bet habere omnia requisita inter quæ est Dolor.

16. *Quid si Pænitens post immediatam absolutionem recordaretur alicujus peccati, quod iterum confiteatur?*

℞. Talem non teneri novum elicere Dolorem, sed in virtute prioris virtualiter & moraliter permanentis potest absolvi. Nam prior Dolor quia fuit ad omnia extensus peccata, etiam oblita, hinc tantùm valet ac si novus fuisset elicitus de illis. Ita Leander Diana & alii. Hoc tamen intelligi debet de illo *Pænitente.* qui habet Dolorem de omnibus omnino peccatis; si enim solum elicuisset de illis, quæ confessus est, & mortale iterum post absolutionem confiteretur, obligaretur ad novum Dolorem, & iterum ipsi absolutio danda foret. Unde sicuti prius svasi: optime facient Confessarii si *Pænitentem* inducent ad Dolorem omnium peccatorum.

17. *Quid ultra prædicta Dolor de peccatis in Pænitente includere debeat?*

℞. Ultra Amorem DEI vel timorem gehennæ. aut alia supernaturalia motiva, debet includere propositum de cætero non peccandi. In quo proposito includitur voluntas excludendi omnem occasionē & præsertim proximam ad peccandum; alias si talis voluntas in Pænitente non adesset, eo ipso indignus censeretur absolvi, qui enim convertitur ad DEUM, debet averti à creatura. Licèt autem sit moralis suspicio in Confessario, quod talis, sicuti sunt inhabituati & consvetudinarii, redditurus sit ad vomitum, non propterea deneganda ei erit absolutio, si cætera in ipso adsint requisita; nam confitenti & morienti danda est fides.

Imo scrupulosis danda est consolatio spiritualis, quibus diabolus solet desperationem & hæsitationes suggerere, ac si nullo pacto ab hisce peccatis abstine-

abstinere possint. Talibus erigenda est mens ad DEUM. Nam propositum de cætero non peccandi esto non sit efficax *effective*, sufficit si sit efficax *affective* ut docet Elbel. & La Croix 1. 6. p. 2. n. 908.

Cætera quò ad Dolorem in Confessione habendum videantur in 1. P. pag. 117.

Oris Confessio.

Quid sit Confessio? quæ sunt ad illam conditiones requisitæ? & quotuplex sit Integritas Confessionis? dicta sunt supra in 1. P. pag. 118. quæ ibi videantur.

18. *An Confessio Sacramentalis sit instituta à Christo?*

Certum est, quod ex una parte in Regno Poloniæ versamur inter Lutheranos & Calvinistas negantes Sacramentalem Confessionem, ex altera parte, nullibi in Evangelio expressè colligitur ex Verbis Christi institutio Confessionis Sacramentalis, hinc consultò proposui hoc quæsitum, ut possit Confessarius reddere rationem illis, qui ex adverso sunt, ut vereantur malum dicere de nobis, monente Apostolo. His præmissis ad quæsitum.

℞. Affirmativè. *Ratio est*: ex Verbis Christi dicentis ad Petrum, & ejus utiq; Successores: *Quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quidquid solveris &c.* ex quibus verbis clare colligitur institutio Confessionis, quomodo enim prudenter Vicarius Christi possit ligare aliqua peccata & aliqua solvere? nisi prius resciret illorum gravitatem & substantiam? quomodo vero resciret? nisi ex propria Oris Confessione ipsius Pænitentis, aliàs cæco impetu & pro suo libitu

hæc ligaret, illa vero absolveret. Tum quià licet Confessarius in absolvendis peccatis *Divinam* habeat Authoritatem, humanam tamen habet scientiam, illa judicando quæ ipsi manifestantur per Confessionem.

19. Patet hæc veritas ex antiqua Traditione Apostolorum, ac consvetudine Ecclesiæ primitivæ, in qua semper viguit peccatorum in specie Confessio, & quidem duplex: Una *Sacramentalis* & secreta; Altera *Publica* & coram omnibus facta, & huic Pænitentiarius ab Episcopo assignatus præsidebat, assignando talibus publicam Pænitentiam, aliquando in majorem satisfactionem publice injungebat aliqua confiteri peccata, jam aliàs secreto confessa; sed hæc Confessio publica sublata est imprimis à Nectario Episcopo Constantinopolitano ex occasione scandali facti in Ecclesia. Cum quædam Nobilissima Mulier ad Pænitentiarium publicum accederet, confitens palam sua peccata, inter quæ etiam narravit: quód cùm Pænitentiæ & orationibus in Ecclesia dedita fuisset, à Diacono se constupratam fore, quò peccatô auditô universus vulgi numerus tanto facinori indignabatur, & fuit ex tali Confessione publicum cum tumultu exortum scandalum, ita, ut acerbissimis calumniis premerentur Sacerdotes. Huic malo occurrens Nectarius Episcopus, Diaconum Stupratorem *Diaconatu* privavit, Pænitentiarium publicum sustulit, & sic sola abhinc Confessio secreta, & auricularis remansit in Ecclesia. De his fusiùs scribunt Sozomenus, Cassiodorus, Nicephorus, & aliis quod satis congruum est scire Confessario.

20. *Quid circa Integritatem Confessionis observandum Confessario & Pænitenti?*

℟. Certũ esse quod Confessio ordinaria non tantum

tum debeat esse integra formaliter, sed etiam materialiter. Ut patet ex Trid Sess. 14. can. 7. Ita, ut non tantum quo ad circumstantias, sed etiam quo ad speciem & numerum sint recensenda peccata, unde non sufficit dicere: *Fornicatus sum aliquoties*, aut *Omisi Missam die festo*, sed prudens Confessarius interrogare debet Pænitentem quot vicibus? qua de causa? & cum qua Persona?

Si tamen ob nimiam peccatorum multitudinem certus numerus exprimi non possit, ad minimum dicat suam ad peccandum habitudinem, vg. continuavi tale peccatum tanto tempore, illud committendo tot vicibus per hebdomadam aut diem plùs vel minùs, ut saltim confusè possit judicare Confessarius de statu conscientiæ Pænitentis. Nam consvetudinariis impossibile est moraliter distinctum recensere numerum peccatorum. Sic enim satisfacit ille, qui dicit multis diebus fovisse odium contra proximum, aut exprimendo quanto tempore retinuit concubinam.

Potest etiam in aliquibus casibus sola sufficere Integritas Formalis; ut si Moribundus omnia non possit confiteri peccata, tunc audito uno vel altero, danda est ei absolutio, ut communiter docent DD.

21. *Quæ sunt generales causæ excusantes Pænitentem ab Integritate Materiali peccatorum?*

℞. Has esse tres juxta sententiam communem Casuistarum, nempè 1. Ignorantia sive Oblivio, intellige inculpabilis. 2. Impotentia. 3. Grave damnum imminens Pænitenti aut ipsi Confessario.

Ratione *Ignorantiæ* & *Oblivionis* inculpatæ, excusantur duplicis status homines. Primi sunt illi,

qui invicibiliter ignorant hunc vel illum actum esse peccaminosum, & tales sunt Plebei. Secundi sunt illi, qui præmisso sufficienti examine, alicujus peccati mortalis non recordantur. Quod tamen in memoriam revocatum tenentur confiteri

Ratione *Impotentiæ* excusantur, Agonizantes, jam plane loqui impotentes, muti, & ignari lingvæ,, si maneant extra suam Patriam. & alii impotentes physicè omnia exprimere peccata.

Ratione *Gravis Damni* excusantur illi, qui vg. in naufragio aut manifesto periculo existunt, ita ut si omnia peccata sua per extensum confiterentur coram aliis adstantibus, læderetur eorum fama, in quo casu sufficit, si unum vel alterum peccatum confiteantur levius.

22. *An danda sit absolutio Moribundo qui nullum signum dederit, aut dare potuerit?*

℞. Negat Diana p. 3. t. 8. Busemb. Affirmat Tambur, Felix Potest. sed sub conditione, si priús probe Christianè vixerit. *Ratio est*: quia talis per vitam suam dat intelligi, quod sicuti modo Christiano vixit, ita eodem modo supponitur voluisse mori. Tum quia in dubiis aut opinionibus circa necessaria ad salutem, tutior pars est amplectenda.

23. *An licet per interpretem aut per charta confiteri?*

℞. Licet, quamvis per se loquendo nullus teneatur sic confiteri. Nam Christus non prohibuit Confessionem publicam sed etiam neq; ipsam præcepit. Qui tamen plus æstimat animæ salutem quam temporalem famam, tutius providebit animæ, si scripto ut est mutus, vel per interpretem, si Confessarius sit ignarus ejus lingvæ, confitebitur. Poterit enim non habere Contritionem sed

solam

ſolam Atritonem, quæ nonniſi in Sacramento juſtificat.

24. *Quando quis obligatur ad Confeſſionem peccati mortalis alias inculpabiliter obliti, dum ipſi in memoriam venit?*

℟. Juxta Bonac: in d. 5. q. 5, Sect. 2. Suarez & alios, non tenetur illud ſtatim confiteri, ac habuerit commoditatem, ſed poteſt differre Confeſſionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur.

Excipitur tamen ille, qui poſt recordationem obliti mortalis ſumpturus eſt Euchariſtiam, aut celebraturus Miſſam, quia aliàs cum mortali accederet ad menſam Domini.

25. *An poſſit dari in aliquo Caſu licitè dimidiata Confeſſio?*

℟. Poteſt dari in ſupra ſpecificatis Caſibus; ſi nimirum propter vehementem morbum non poſſit infirmus omnia confiteri. 2. Si clara voce in aliquo Caſu confitendum foret cum diffamatione ſui coram adſtantibus. 3. Si per interpretem Confeſſio facienda foret, tunc in tali Caſu poſſet unum vel alterum levius peccatum confiteri, & ſic ab omnibus aliis abſolvi. Cum hac tamen clauſula, quod peccata expreſſa abſolverētur directe, ita, ut amplius non remaneret in Pænitente obligatio ad illa iterum confitenda. Alia verò mortalia quomodocunq; & ex quacunq; cauſa ſuperius nominata omiſſa, ſolum indirecte abſolverentur cum obligatione eadem iterum confitendi. Ut probat Reiff. t. 14. d. 7. q. 2.

26. *Poteſtne Pænitens uni Confeſſario confiteri ſola mortalia & gravia, alteri ſola venialia?*

℟. Poteſt, ut docet Bonacin. Leander & alii, maximè in hoc caſu; ſi nempe infirmus haberet

Confeſ

Confessarium cui ex aliqua convenientia teneretur confiteri, sed quia ex una parte haberet gravissima peccata, quæ generaliter confitenda forent, ex altera parte nimis verecundiam haberet, eò quià hucusq; apud talem Confessarium bonam de sua conscientia opinionem conservavit, tunc in tali Casu poterit sola mortalia prius alteri extraneo confiteri, quibûs absolutîs ad satisfaciendum congruentiæ, sola venialia familiari Confessario confitebitur. *Ratio est*: quià hic dimidiationem mortalium non committeret in Confessione, siquidem omnia confiteretur priori Confessario. Venialia autem sicuti possunt licitè omitti in Confessione, ita etiam poterunt seorsive absolvi.

27. *Quid observandum est Confessario quo ad fidelitatem Confessionis?*

Quamvis sint 16. conditiones ad Confessionem requisitæ, de quibus videatur supra pag. 118. quià tamen solæ tres sunt necessariæ ad valorem Sacramenti Pænitentiæ, scilicet: *Integritas*, *Fidelitas*, & *Dolor*. aliæ vero tantum sunt utiles, ideo de istis solum tribus oportunior est Confessario notitia. De Dolore & Integritate jam dixi paulo supra, nunc pauca dicenda sunt de Fidelitate, itaq; ad quæsitum.

℟. Confessio semper esse debet vera, ita ut nihil falsitatis, simulationis, aut deceptionis habeat annexum. Unde Pænitens ille qui dubius esset vg. de contractu usurario, & eligeret sibi Confessarium quem novit esse indoctum, putans se propter ejus inscientiam non obligandum esse ad restitutionem, talis non tantum juxta Bonacinam disp. 5. *de Pænit.* non excusatur à restitutione, verum etiam tenetur iterum confiteri.

Non

Non enim præsumitur habuisse debitum Dolorem cum firmo proposito vitandi peccata in futurum.

28. *An mentiri in Confessione sit peccatum mortale?*

℟. Si mendacium sit circa mortalem materiam ac necessariam, erit mortale peccatum, & tali mendacio invalidum redditur Sacramentum. Si vero mendacium erit circa venialia vel mortalia, aliàs jam confessa, seu uno verbo circa materiam non necessariam quam hic & nunc Pænitens non tenetur confiteri, erit solum veniale. Ita Layman L. 5. t. 6. c. 8. & alii.

29. Non solum autem peccat mortaliter qui negat in Confessione aliquod mortale, sed etiam ille, qui deliberate dicit se commisisse aliquod mortale quod revera non commisit. *Ratio est:* quia talis malitiosè decipit Judicem Confessarium Vicarium Christi, & quidem in materia gravi pertinente ad substantiam Sacramenti.

30. Similiter juxta Bonacinam & alios DD. mortaliter peccat & invalidè confitetur ille, qui scienter majorem numerum mortalium explicat, quàm revera admisit, quia etiam hic decipit Cõfessarium in materia gravi. Excusatur tamen à mortali Pænitens simplex ac rudis, qui bona fide majorem confitetur numerum, putans consultius esse majorem explicare numerum peccatorum, quàm fortè minorem.

31. Idem Judicium sit & de illo Pænitente, qui dubia peccata mortalia pro certis confitetur, & è contra certa pro dubiis, propter eandem rationem deceptionis Confessarii.

32. *Quænam diligentia habenda est in examine ad Confessionem faciendam?*

℟. Non debet esse summa & scrupulosa, sed

mediocris

mediocris & humana qualem solent Viri prudentes adhibere in arduis negotiis; Hinc si Pœnitens talem habeat, sufficit etiamsi putet majori & nova diligentia se plura reperturum, ita communiter DD. apud Sanuig & Reiff.

Nota: quod hæc diligentia in examine non requiritur eadem in omnibus. Ad hoc enim attendendus est status Pœnitentis, ac tempus quod à præterita Confessione effluxit. Nam minus diligentiæ requiritur in homine DEUM timente, & qui frequenter confitetur, quàm in alio qui omnibus peccandi occasionibus est expositus, & ad plures menses Confessionem distulit.

Licèt Rustici plerumq; inveniantur in examine negligentes, ipsi tamen communiter non sunt dimittendi ut se magis examinent ac postea redeant ad Confessionem. Ita Vasquez Lugo, & alii. *Ratio est*: quia de his præsumendum est, quod licet millies se examinent, non fore magis aptos, quàm si ab ipso Confessario breviter interrogentur, ac svaviter examinentur. Quomodo autem interrogationes in praxi formandæ sint à Cõfessario? in 1. Sect. hujus 2. Partis innui.

33. *Debetne Pœnitens Complicem peccati manifestare coram Confessario si aliter non possit explicare peccatum?*

℞. Negat Diana & alii plures. affirmat Scotus D. Bonav. *S.* Thom. Bernardus & alii plures Classici, & SS. Patres *Ratio est*: quia ex una parte præceptum Christi de integritate materiali Confessionis obligat, ex altera parte nullam incurrit infamiam per hoc Complex facti, siquidem Confessarius ad secretum Sacramentale stricte obligatur. ergo &c.

Mediam tamen viam in praxi debet observa-

re

re Pænitens; si enim commode haberi potest alius Confessarius qui non noscat Complicem peccati, coram illo confiteri debet. Hic Casus occurrere solet maxime in Materia Luxuriæ, ut si vg. Pater esset notus Confessario & filia ejus confiteretur peccasse cum fratre, quem Confessarius & noscit & scit esse unicum tantum, nam si essent duo non ita dubium esset, siquidem in tali Casu inter duos esset illi ignotus Complex.

34. *Licitumne est Confessario interrogare Pænitentem de Complicis nomine, aut loco habitationis vel aliis adjunctis circumstantiis?*

℞. Nullomodo licet. Ut patet recentissime ex Brevi Benedicti XIV. quod incipit; *Supremæ omnium* 7. Julii 1745. & Constitutione ejusdem Papæ anno sequenti 1746. quæ incipit *Ubi primùm*, in qua sub Excommunicatione soli Papæ reservata, & in articulo mortis absolvenda, prohibet talia fieri, & multo magis licitum esse doceri, sub jisdem pænis. In hac igitur Const. omnes obligat qui aliunde quam ex Confessione sciunt Cōfessarium interrogare de Complicis nomine, ut talem ad Sanctum Officium denuntient. Postremo ad perpetuam rei memoriam tulit ultimate Decretum confirmatorium utriusq; Constitutionis suæ quod incipit: *Ad eradicandum* 1746. 4to. Kalendas Octobris.

Caute itaq; in hac re procedendum est Confessariis, prædicta enim Prohibitio, non tantum procedit de illo, qui interrogaret de nomine Complicis, sed etiam de offi io & aliis circumstantiis, ex quibus curiose deveniri possit Persona Complicis.

Operis Satisfactio.

35. *Quid est Operis Satisfactio?*

R. Est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam DEO illatam, consistens in operibus pœnalibus & laboriosis à Confessario taxatis.

Cum enim DEUS misericors remittit culpam peccati mortalis, immutat pœnam æternam in temporalem, quæ aut hic, aut in futuro sæculo omnino est solvenda. Ut igitur Pœnitens solvat hanc pœnam temporalem pro qualitate delicti, solet ei assignari à Confessario pœna seu satisfactio pro peccatis debita. Ut patet ex Trid, Sess. 14. c. 8.

36. *Quotuplex est Satisfactio?*

R. Duplex *Una in Re* quæ est ipsum opus à Confessario taxatum. *Alia in Voto*, quæ consistit in voluntate Pœnitentis proponentis tale opus exequi.

37. *Quæ ex his est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Sola Satisfactio in voto. *Ratio est*: quia opus Satisfactionis in re non est conjunctum cū Sacramento Pœnitentiæ, cùm possit illud continuari per integrum annum ut sunt jejunia. Quod si non absolveretur, non ob id reviviscerent peccata confessa, dummodo pœnitens in actuali Confessione haberet firmam voluntatem illud exequendi: Solùm igitur est pars integralis Satisfactio in re.

38. *Quid si Pœnitens nollet acceptare pœnam?*

R. Si non vult ullam, non est absolvendus, quia talis non esset benè dispositus, nec verum Dolorem haberet de peccatis. Ut docet communis DD. sententia, hoc enim ipso nollet injuriam compensare DEO per peccata illatam.

Si

Si vero nollet acceptare gravem, assignanda est levior, sed prudens Cofessarius hanc ei reflexionem faciet: quod in futuro sæculo gravior eum maneat.

Si vero nullam vellet subire in hoc sæculo, benè vero in futuro, plures docent Casuistæ talem debere absolvi, quia se hoc ipso subdidisset puniendum. Sed hic Casus vix erit in praxi.

39. *Quid si indiscretus Confessarius nollet Pœnitenti gravem satisfactionem immutare in leviorem?*

℟. Juxta Sannig Henrix, & alios, poterit Pœnitens licite à Confessione desistere, ac dicere Cōfessario: se alium minùs severum magisq; discretum quæsiturum, nam Pœnitens non tenetur sub peccato mortali quò ad hoc ei obedire, nisi quatenus cupit ab ipso absolutionem recipere.

40. *Quid si Pœnitens acceptaret gravem pœnitentiam à Confessario, quæ ipsi postea in executione nimis dura videretur?*

℟. In tali Causu poterit mitiorem impetrare ab eodem, vel ab alio Confessario etiam inferiori. Cum hac præcautione, quod si vellet ab eodem Confessario mutari pœnam, poterit id facere extra Confessionem, si ipse Confessarius saltim in confuso recordetur ejus peccatorum. *Ratio est:* quia Confessarius ex peracto judicio retinet virtualiter potestatem mitigandi & immutandi pœnā. Si vero oblitus foret peccatorum debet illi saltim in confuso commemorare sua peccata ipse Pœnitens.

Quodsi mutatio fiat ab alio Confessario, certum est quod fieri debeat in Confessione, alias Satisfactio non esset Sacramentalis.

41. *An debeat iterum confiteri omnia sua peccata*

cata, ille, qui vult ab alio Confessario diminutionem Pænitentiæ?

R. Variant quo ad hoc Doctores. Negat Diana. Tambur. Navarr. & alii. Affirmant Mastrius. Lugo, Felix. Potest. quorum mihi probabilior videtur sententia. Cujus & *Ratio est*: quia universaliter Judex non potest ferre sententiam nisi cognitâ Causâ. Unde saltim in confuso præteritæ Confessionis peccatorum debet habere notitiam.

Quod similiter faciendum est cum illo Pænitente, qui confitetur ex eo non absolvisse satisfactionem præteritæ Confessionis, quia oblitus est totaliter qualem habuit assignatam. Debet enim illi imponi in hac secunda Confessione ut impune peccatum non remaneat, & integritas Sacramenti salvetur.

42 *Quid si Pænitens obliviscatur absolvere vel non possit partem Pænitentiæ vg. si habuit aliquot dies jejunii?*

R. Tenetur ad reliquos dies; ut patet à pari, qui enim persolvere Matutinum non potest cum Laudibus, tenetur adhuc recitare horas minores, prout constat ex damnata propositione ab Innocentio XI. quæ est ordine 54. Hic Casus est frequentissimus, Nam potest esse Pænitens in tali occasione, ut illo die vg. die Sabbathi non possit jejunare, vel ob debilitatem, vel ob suspicionem hospitum &c.

Idem sentiendum est de Pænitente, cui vg. septem Sabbathi dies assignati sunt ad jejunandum, intra quos intercederet Festum Nativitatis, talis tuta conscientia posset cum aliis illo die manducare carnes, quia non præsumitur fuisse ad hunc diem Confessarii obligatio. Poterit tamen aliam sibi diem Sabbathi ad jejunandum superaddere, imo debebit.

43. *An possit Pænitens propria Authoritate sibi immutare pœnitentiam saltem in opus evidenter melius?*

℞. Cum communi omnium DD. negativè *Ratio est*: quia impositio & imputatio pænæ proprie pertinet ad Judicem non vero ad reum.

44. *Quomodo peccat Pænitens si sponte non absolvat Pænitentiam sibi à Confessario impositam?*

℞. Juxta Suarez d. 38. Sect. 7. Si fuerit gravis imposita pæna, & illam totaliter omittat vel ejus notabilem partem; peccabit mortaliter. Si tamen pænitentia fuit levis vg. 5. *Pater* & *Ave* aut modica pars ejus omittatur, non erit mortale peccatum, sed solum veniale; Nam etiam hic parvitas materiæ excusat à mortali. Ita citati DD.

45. *Quamdiu Pænitens possit Pænitentiam differre absolvendam?*

Antequam respondeam *Nota*: quod satisfactio sive pæna a Confessario assignata est duplex *Medicinalis* & *Vindicativa*. Prima est illa: per quam Pænitens præservatur in futurum à relapsu. Talis esset, si injungeretur consvetudinario fuga ab occasionibus peccati, oratio, &c. juxta qualitatẽ conscientiæ ipsius Pænitentis. *Vindicativa* vero est illa: per quam intenditur vindicta peccatorum confessorum, uti est jejunium, disciplina & alia pænalia opera, quæ aliquando per longius spatium adimplentur. His præmissis ad quæsitum.

℞. 1mo: Non peccat qui differt satisfactionem usq; ad sequentem Confessionem nisi ex dilatione prævideatur periculum oblivionis, aut impotentiæ in posterum eandem absolvendi. Ita cum aliis Sporer p. 3. c, 4. n. 577. Major tamen adest obligatio citius absolvendi satisfactionem medicinalem

nalem, quam præcise vindicativam. Ut docet La Croix L. 6. p. 2. Ubi dicit, quod ad mensem differre satisfactionem vindicativam, non est mortale.

℟. 2do: quod non peccet ille Pænitens cui injunctum est jejunare vg. hac die Veneris, si differat ad sequentem diem per octiduum. Ita citt. La Croix. Item si alicui injunctum sit omni die Sabbathi jejunare per annum, & si illum diem omittendo peccet, non tamen obligatur alia die jejunare ut docet Gobat. & Sporer. *Ratio est:* quia in talibus circumstantiis videtur mens Confessarii esse de jejunando die Sabbathi tantum, & non alio.

46. *Quid considerandum est Confessario circa assignandam debite Satisfactionem?*

℟. Attendere debet ad uniuscujusq; Pænitentis statum & gravitatem peccati, juxta quam proportionatam imponere debet salutarem pænam, ita, ut pro qualitate delicti sit qualitas, & pro quantitate quantitas pænitentiæ. Unde vituperanda est aliquorum imprudentia, qui omnibus suis Pænitentibus æqualem & sæpius eandem assignare solent pænitentiam, quasi auditores tantùm essent delictorum, & non Judices.

47. *Nota*: doctrinam Concil. Trid. Sess. 14. cap. 8. hîs verbîs propositam; *Debent ergo Sacerdotes Domini quantùm Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & Pænitentum facultate, salutares & convenientes Satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum Pænitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo aliquorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut Satisfactio quam imponunt*

nunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem Hucusq, verba Trid.

48. *Quæ opera pro pænitentia Sacramentali injungenda sunt?*

R. Debent esse honesta & moraliter bona. Hæc autem sunt generaliter tria: videlicet: *Oratio, Jejunium,* & *Eleemosyna.* Juxta communem sensum omnium Casuistarum. Ad hæc autem omnia alia reducuntur, velut ad tres Justitiæ Christianæ fontes secundúm illud Raphaelis Archang. dictum Tobiæ 12. *Bona est Oratio cum Jejunio & Eleemosyna &c.*

Ad orationem enim reducuntur omnes actus Religiosi qui in DEUM feruntur. Sub jejunio continentur omnes castigationes corporis, uti sunt cilicia, disciplinæ, vigiliæ &c. Tandem sub eleemosyna comprehenduntur omnia opera misericordiæ, tam corporalia quam etiam spiritualia, & quæcunq; alia opera Charitatis erga proximum.

49. Et quia peccatum in genere consideratum distingvitur in tria membra, scilicet: 1. In concupiscentiam carnis. 2. In concupiscentiam oculorum 3. In superbiam vitæ, hinc prudens Confessarius singulis hisce peccatis correspondentem de congruo studebit assignare satisfactionem, videlicet: Peccato carnis, jejunium. Peccato superbiæ, orationem, & alia sub illa contenta quæ humiliarent superbum. Peccato Avaritiæ, eleemosynam.

Unde sicuti potest occurrere Pænitens cum omnibus his peccatis, ita debebit Confessarius omnes istas eidem assignare satisfactiones, attendendo tamen discrete ad statum & conditionem Pænitentis, quia si est pauper, non poterit dare

eleemosynam, aut in continuo labore Rusticus existens, non poterit jejunare, danda erit alia Pænitentia congrua, quia ad impossibilia etiam moraliter, nemo obligatur. Ut docent communiter DD.

50. *Quomodo peccat Confessarius levissimam pro gravibus peccatis injungens pœnitentiam?*

℞. Secundùm plures DD. peccat mortaliter si aliunde non excusetur, nempe per intensum dolorem & Contritionem Pænitentis, taliter enim contritis, non tantùm potest, sed etiam debet minui pæna, cùm alias per dolorem nimium satisfaciant D. Majestati quo ad notabilem partem. Ita Reiff. & alii apud ipsum citt.

Non debet tamen scrupulosus Confessarius seipsum angustiare exinde, quia hic & nunc quantitatem satisfactionis certo non possit determinare. Clavis enim Ecclesiæ quo ad hoc errat, cùm nulli etiam Magistro Theologiæ sit nota quantitas pænæ pro unoquoq; peccato debita. Debet itaquè judicare humano modo prout ipsi dictabit prudentia, & discretio Spiritûs

51. Semper tamen magis cavere debet excessum quàm deffectum in assignanda pænitentia facilius est enim Confessario reddere rationem ex clementia, quàm ex crudelitate. Ut docet S. Chrisostomus dicens: *Etsi erramus modicam pœnitentiam imponentes. nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus est, Dispensator non debet esse tenax &c.* Christus enim Sacramentum Pænitentiæ instituit in bonum salutis ipsius Pænitentis, & ut animæ ejus vulnera curentur. Unde Confessarius si suspicatur de aliquo Pænitente, quod non sit absoluturus pænitentiam ex imbecilitate

litate vel alia causa, debet ipsi assignare mitiorem non obstante quòd non sit proportionata peccatis recensitis, ut loquitur Gerson part. 2. operum dicens: *Tutius est cum parva pœnitentia quæ sponte suscipitur & verisimiliter adimpletur, ducere Confessos ad Purgatorium; quàm cum magna non implenda præcipitare in Infernum.*

52. *Quid observandum in praxi Confessario si gravior pænitentia assignari debet Pœnitenti?*

℟. Debet in tali casu leniter disponere Pænitentem ad agnoscendam gravitatem suorum peccatorum, & quantam pro illis pænitentiam promeritus sit, & tandem imponere ei pænam. Poterit etiam interrogare si illam acceptet alacri animo, & de facili adimplebit, quamvis enim Satisfactio sit imponenda à Confessario ut Judice per modum præcepti; nihil tamen tamen nocebit discreto Judicio, si ita clementer procedet.

Poterit etiam Confessarius in supplementum Satisfactionis injungere pro pænitentia omnia Pænitentis opera meritoria, elevando illa ad Satisfactionem ex opere operato exhibendam, per illa verba: *Quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorũ* &c. Ut docet D. Thom. Navarr. Bonacin. Suarez d. 38. Sect. 6. & alii. Quamvis contradicat Vasquez & Lugo disp. 25. de Pænit. n. 57.

53 Optimum autem consilium erit, quandò Confessarius injunget Pænitenti, ut ipse applicet pro peccatis suis merita, & Passionis Christi Satisfactiones.

54. *Nota*: ex Rituali Romano, quòd pro peccatis occultis quantumcunq; gravibus non esse injungendam pænitentiam publicam utpote infamativam. Neq; talem, ex qua domestici possent de-

venire in notitiam gravioris criminis, uti sunt jejunia extraordinaria, disciplinæ, & alia hujusmodi, nisi habeatur occasio similes pænitentias secreto peragendi. Possunt enim secreta assignari jejunia æquè afflictiva. ut si assignetur abstinentia ab illo cibo, quò Pænitens cum optimo gustu solet vesci, & cætera similia.

55. *An possint pro pænitentia injungi opera aliunde debita?*

℟. Cum communiori posse; *Ratio est:* quià hujusmodi opera non obstante priori præcepto adhuc sunt libera & meritoria, & consequenter Satisfactoria. Tumquià prout assumuntur ad Sacramentum Pænitentiæ specialem vim acquirunt ex opere operato, quam aliàs non haberent nisi ex opere operantis. Unde pro pænitentia imponi possunt illa Opera quæ ex præcepto vel ex voto sūt debita. Uti vg jejunium in quadragesima; Missa die Festo audienda &c. Ita Mastrius, Aretinus Lugo, Amicus & alii.

Notant tamen prædicti DD. quòd cessante justâ causâ, nō debent ordinariè imponi prò pænitētia talia opera quæ aliunde sunt debita. Unde infertur: Si ex verbis Confessarii non constet, quòd ad talia opera obliget pænitentem, vg. dum ipsi assignat auditionem Missæ die Festo, censendus est, velle injungere Missam aliam præter eam, quam alioquin Pænitens tenetur die Festo audire, & similiter in aliis casibus judicandum est.

56 *An possit pro Pænitentia imponi oratiō applicanda pro fidelibus Defunctis?*

℟. Potest. *Ratio est;* quià talis oratio est spiritualis Eleemosyna per quam subvenitur Animabus defunctorum summe indigentibus. Tum quià Eleemosyna est unum ex generalibus opus Satisfactionis, ad quam reducuntur omnia opera misericordiæ

cordiæ tam animæ quàm corporis, ut dictum est n. 48.

57. *Qualis Satisfactio injungenda est Pænitenti illo die quo lucratur Indulgentiam?*

℟. Cum communi, juxta gravitatem peccatorum recensitorum est pro tunc mitior pæna assignanda. *Ratio est*: quia Pænitentia in Sacramento imponitur ad expiationem pænæ temporalis pro peccatis debitæ, in illo autem die Pænitens per Indulgentiam & præsertim plenariam, solvit pænam. Unde pro tunc poterit Confessarius assignare pro Satisfactione illud opus quod pro conditione ad lucrandam Indulgentiam requiritur; vg. quinque *Pater* & *Ave* & totidem *Gloria*.

58. Quomodo autem intelligendi sunt vg. centum anni Indulgentiæ concessæ, an scilicet tot anni remittuntur de pæna Purgatiorii? vel potius alia pæna? Videat Confessarius de his dicta Part. I. Art. X. *de Indulg.* pag. 254.

59. *Quænam opera pro pænitentia Sacramentali sint imponenda Infirmis & Moribundis?*

℟. Si infirmus nondum est desperatæ vitæ, juxta proportionem peccatorum assignanda est ei pæna etiam quandoq; & gravior, quàm si ob infirmitatem, integram àbsolvere non poterit, saltem partem à Confessario determinatam absolvat, reliqua vero opera, postqnam convaluerit. Ita Sporer Part. 3. Ad tollendas tamen anxietates scrupulosi Pænitentis, semper Confessarius residua Opera eximat ab obligatione Pænitentis, si interea obiret.

Si verò infirmus sit evidenter morti proximus, & aliam Satisfactionem implere non possit, sufficit si ter aut quinquies Nomen IESU proferat verbo aut mente, prout infirmitas permittit. Interea

rea moneat illum Confessarius, ut dolores ac ipsam mortem de manu DEI libenter acceptet, & offerat omnes molestias suas in unione Passionis & Mortis Christi, ad Satisfactionem peccatorum suorum, juxta Const. Benedicti XIV. & Indulgentiam concessam. De qua videat supra Sect. 1. Art. 7. ubi & Benedictionem Moribundi in promptu habebit.

60. Pro complemento hujus Articuli, Colliges quod Confessarius prudens debet attendere ad rationem specificam peccatorum, an scilicet sint gravia, & ad numerum illorum, ut proportionatam possit assignare Pænitentiam. Porro ut sciat cognoscere pluralitatem specificam & numericam peccatorum, recolligat quæ dicta sunt supra Part. 1. *de Peccatis* pag. 77. quibus sequentia super addi possunt:

61. *Quibus modis & Regulis dignosci possit potius mortale esse commissum à Pænitente, & non veniale?*

℟. His tribus præcipuè Regulis. I. Desumitur gravitas vel levitas peccati à lege graviter vel leviter obligante. II. Ex dictamine rationis, si enim Conscientia hic & nunc dictat peccatum commissum cadere in gravem DEI aut proximi injuriam erit mortale III. Parvitas vel levitas peccati potest desumi etiam ex ipso actu peccaminoso, considerando ejus malitiã & materiã gravẽ vel levẽ. Potest etiam considerari tam ex objecto, quam fine & circumstantiis, uti est perfecta libertas & advertentia.

Hæ omnes Regulæ non necessario debent simul inveniri in uno eodemq; peccato mortali. *Ratio est:* quià potest esse materia levis, & lex graviter obligans, uti contigit in primo peccato, scilicet

esu

esu pomi à primis Parentibus.

62. *Unde possit dignosci quòd lex graviter vel leviter obligat?*

℞. Ex ipsis terminis legis. Nam tunc lex dicitur graviter obligare, quando transgressoribus minatur exclusionem à Regno Cælorum, vel pænas inferi aut inimicitiam DEI &c. Porro Præcepta Decalogi sunt graviter obligantia, ut docent communiter DD.

63. Quòdsi ex Scriptura dignosci non possit utrum lex graviter vel leviter obliget? tunc ex communi sensu Ecclesiæ, aut Doctorum cognosci poterit. *S*i autem hi inter se discordent? pars probabilior vel saltim probabilis & tuta sequenda erit Confessario.

64. *Quænam objecta admittunt parvitatem Materiæ & quæ non admittunt?*

R. Universaliter in illis non datur parvitas materiæ, in quibus reperitur gravitas prohibitionis, & in illis actibus qui directe contrariantur perfectionibus Divinis ex suo modo tendendi, ut est actus odii DEI, perjurii &c. nisi in his inadvertentia aut imperfectus consensus excuset. Reliqua verò objecta moralia, uti sunt furtum, superbia, ebrietas, & similia juxta communem Sententiam Theologorum admittunt parvitatem Materiæ.

65. *Quæ, & quot requiruntur Conditiones ad peccatum mortale?*

℞. Has tres requiri. I. Ut sit perfecte liberum, unde impetus primò primi excusant a mortali, ex defectu talis conditionis. II. Ut sit sufficienter voluntarium per consensum voluntatis. III. Ut planè ac perfectè advertatur gravis malitia. *Ratio est*; quià esset contra Bonitatem ac Misericordiam DEI, ut homo tantæ pænæ constituatur reus,

us, non prævidendo illam certò, aut saltim dubitando & suspicando de illa.

66. *Qualis advertentia requiritur ad mortale peccatum?*

℟. I. Debet esse actualis, vel etiam saltim debitum advertendi illam, nec sufficit habitualis. *Ratio est:* quia voluntarium & præsertim culpabile dependet ab advertentia rationis dictantis, porro actuale voluntarium requirit actualem advertentiam mali subsequentis.

℟. II. Advertentia ad mortale requisita, debet esse plena & perfecta, per firmum judicium de malitia actus peccaminosi vel periculo ejus. *Ratio est:* quia mortale est gravis offensa DEI irreparabile damnum inferens peccanti, adeoq; debet omnimodè provideri & animadverti.

67. *Quæ sunt causæ semiplenæ deliberationis in peccato?*

℟. Quatuor esse præcipuas 1. *Semisomnus.* Unde pollutio nocturna semivigilantibus, & sibi in illa complacentibus excusat à mortali. 2. *Semiebrietas.* Unde rixæ, blasphemiæ, & alia in Semiebriis non putantur esse mortalia. 3. *Est nimia distractio* immersio ac defatigatio cogitationum, ratione quarum licèt intellectus aliqualem subitaneam advertentiam ad malitiam objecti habeat, tamen mox ad alia objecta rapitur. 4. *Passio* vehemens perturbans quodammodo intellectum, ac usum rationis præveniens.

68. *Quæ sunt signa imperfecti consensus?*

℟. Sunt 5. sequentia. 1. Defectus sufficientis ætatis, ut contigit in pueris ante, & aliquando etiam post septennium. 2 Semisomnus, vel Semiebrietas, aut aliqua ex immediate prædictis causis semiplenæ deliberationis. 3. Animus plus & sæpiùs

repetitum

repetitum propositum nunquam mortaliter peccandi. Si enim aliquis Pœnitens erit taliter dispositæ conscientiæ, in dubio an peccaverit mortaliter, vel potiùs solum venialiter? præsumendum est, quòd solùm venialiter peccavit. 4. Signum imperfecti consensûs ad peccatum, timorata ac scrupulosa conscientia, quæ alias non est solita labi in grave peccatum. 5. Si quis potuit alio tempore talem actum peccaminosum faciliter sine ullo impedimento committere, & tamen non commisit, signum est. quòd neq; in hoc casu nunc supponitur consensisse in grave peccatum.

Et hæc quinquè signa observanda erunt Confessario in dubiis peccatis mortalibus, ex quibus facile devenire poterit in rectum judicium, an scilicet supponuntur fuisse omnia requisita ad mortale ex parte consensûs voluntatis & advertentiæ intellectûs. Quibûs mature discussîs juxta gravitatem peccati congruam assignabit Pœnitenti Satisfactionem.

ARTICULUS IV.
De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

1. *Quid est Forma Sacramenti Pœnitentiæ?*

℟. Sunt verba Absolutionis à Sacerdote prolata, videlicet illa: *Ego te absolvo à peccatis tuis*: Ut patet ex Rituali Romano Pii V. & Trid. Sess. 14 cap. 3.

2. *An omnia illa verba sunt de necessitate & valore Sacramenti Pœnitentiæ, quæ ordinariè à Confessario proferri solent?*

℟. Negative, cum communi sensu Theologo-

rum, sed tantum hæc duo sunt essentialia. *Absolvo te. Ratio est*: quia hæc duo sunt instituta à Christo dicente Joann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis*. Reliqua vero hæc verba *à peccatis tuis* &c: sunt addita ex præcepto Florentini & Tridentini, quæ non debent omitti sub mortali, vel juxta aliquos solùm sub veniali. Busemb. L. 6. V. 4. C. 1.

3. *Dubitabis*: In Forma Baptismi illa verba: *In Nomine Patris & Filii &c*: sunt de essentia, ita, ut sine illis Baptismus non valeret, ergo etiam videntur, à paritate rationis esse necessaria sic, & in Sacramento Pænitentiæ. *Disparitas* tamen magna est; nam in Forma Baptismi solus Christus Auctor Sacramentorum instituit illa verba: dicens Math. 28. *Baptizantes eos in Nomine Patris & Filii & Spiritus S.* In Sacramento vero Pænitentiæ hæc verba Ecclesia addidit in Concil. Florent. in Decreto Unionis, & Trid loco citato, adeoq; sunt tantum de præcepto, non veró de valore.

4. *An solum sub his terminis valida est Absolutio*: Absolvo te?

℟. Licèt ordinariè detur sub his verbis, valida tamen esset etiam sub aliis æquivalentibus. Ut vg, his. *Remitto tibi*, aut *Solvo te à peccâtis. Ratio est*: quià Christus dupliciter expressit Formam Sacramenti Pænitentiæ. Semel Joan. 20 sub hoc verbo *Remitto*. dicens: *Quorum remiseritis peccata* &c. Alia vice sub termino *Solvò*, dicens ad Petrum: *Quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, adeoq; disjunctive sub hoc vel illo termino valida foret Absolutio. De facili tamen non est immutanda, juxta determinationem Ecclesiæ.

5. *Validane foret Absolutio, si daretur absenti per Literas?* ℟.

℟. Cum communi ſensu Eccleſiæ, invalidam eſſe. *Ratio eſt:* quia ad Formam Abſolutionis requiruntur verba proprie dicta, quæ ſcilicet ore tenus proferuntur in præſentem, prout perpetuus Eccleſiæ ſensus indicat. Tum quia antequam talis Abſolutio proferretur, potuiſſet Pænitẽs novũ cõmittere mortale, & ſic in vanum daretur Abſolutio.

6. *Quomodo debeat eſſe Pænitens præsens Confeſſario, ut poſſit valide abſolvi?*

℟. Sufficit, ſi ſit præsens moraliter. Hæc autem moralis præsentia talis requiritur, ut inter eundem & Confeſſarium tanta intercedat diſtantia, quâ aliàs homines licet in communi exiſtentes altiori voce loqui poſſunt, & ſolẽt *Ratio eſt:* quia intra talem diſtantiam adhuc commode poteſt exerceri actus judicialis. Ut docet La Croix, Sporer, & alii. Hanc diſtantiam Elbel p. 2. conferent: 2. extendit ad 40. paſſus.

7. *An verba Abſolutionis debeat audire Pænitens?*

℟. Juxta immediate citatos Authores non eſſe neceſſarium ut audiatur forma absolutionis à Pænitente, dummodo Confeſſarius vere exteriùs verba proferat, & ſe ipsum aliquo modo audiat. *Ratio eſt:* quia alias ſurdus de facili non poſſit abſolvi. Tum quia plures Pænitentes nesciunt diſtingvere verba eſſentialia, neq; illa intelligunt.

8. *An Confeſſarius debeat omnino videre Pænitentem?*

℟. Negativè, niſi propter magnam diſtantiam id eveniret non vero propter cæcitatem aut alium defectum. Quinimo in casu neceſſitatis extremæ, etiam propter diſtantiam poſſet fieri Abſolutio Pænitentis non jamjam apparentis, vg. ſi hic & nunc mergeretur.

Quodſi

Quòdsi Confessarius cæcus proferret accessoria Absolutionis, uti sunt, *Misereatur* & *Indulgentiam* &c. & pro tunc surrexisset & recederet Pænitens, ex ignorantia supponens jam esse finitam absolutionē, probabiliùs quod in tali casu illum valide absolveret, quia quantumcunq; recessisset, adhuc tamen esset præsens moraliter.

9. *Quomodo verba Absolutionis proferri debent à Confessario?*

℞. Modô imperativô, ut docet communis DD. Unde si proferrentur modô deprecativô vg. *Absolvat te DEUS*, invalida esset Forma. *Ratio est*: quia hoc Sacramentū institutū est à Christo per modum judicii, & ideo forma ejus debet proferri per modum judicialis sententiæ, non vero deprecationis, aut imperationis.

10. *Quid, si Confessarius diceret*: Absolvo Dominationem vestram?

℞. Valida protunc adhuc esset Forma absolutionis juxta Reiff. *Ratio est*: quia sic non mutaretur substantialiter Forma, licèt peccaret Sacerdos probabilius mortaliter. Idem esset si diceret: *solvo te*, vel *remitto tibi peccata tua*, ut supra dixi. E contra non sufficeret secundùm plures, hæc: *Ego te mundo à peccatis tuis*, quia non videtur significare absolutionem per modum sententiæ judicialis.

11. *Quis sit sensus horum verborum*: Absolvo te à peccatis tuis?

℞. Esse hunc, quem ipsa verba sonant juxta propriam significationem, & non aliū, quomodo nonnulli explicant, etiamsi jam aliàs per antecedentem Contritionem fuissent à DEO remissa, nam eadem offensa potest dupliciter remitti, ut patet in humanis. Unde etsi Confessario fuisset notum, quod ejus Pænitēs habuerit perfectissimā & intēsā, cōtritionē

adhuc

adhoc tamen ut Vicarius & Judex delegatus Christi non tantùm ipsum declarare debet absolutum, sed vere & judicialiter absolvere. Ut docet Mastrius. Lugo. disp. 3. de Pœnit. & alii.

12. *Quando hæc verba* Absolvo te *proferri debent absolute, & quando conditionatè?*

R. Quando nullum adest dubium de valore Sacramenti, Forma absolutionis semper ac ordinariè proferenda est absolutè. Ita Castrop. apud La Croix L. 6. p. 2. n. 1769. qui sine justa causa absolventem conditionatè Confessarium judicat obnoxium esse peccati mortalis. Excusantur tamen illi Confessarii à Doctoribus ab hac gravi culpa, qui Formam absolutionis ideo proferunt sub conditione, ut à molestiis liberentur scrupulorum. Ita Tamb. Gobat. Sporer. & alii. Tales enim semper pro ratione & dubio habent scrupulum.

13. Quando autem conditionata danda erit Absolutio, dabitur sub his verbis: *Si capax es, Ego te absolvo* &c. conditione saltim mente retenta. Ita Sporer P. 3. Theol. Sacramen. c. 5. q. 2.

14. Dubium autem num absolutè vel conditionatè danda sit absolutio, potest oriri in his 4. Circumstantiis. 1. Quo ad pueros confitentes, num sint capaces rationis, vel an vere peccaverint, vel potiùs ex instructione Parentum peccata confiteantur? 2. Quoad adultos consvetudinarios, & inveteratos peccatores, an habeant verum dolorem, & firmum propositum? 3. Quo ad Pœnitentes perfectioris vitæ, vel etiam quo ad rudes, an habeant sufficientem materiam? qui loco peccatorum puras imperfectiones solent confiteri. 4. Quo ad Moribundos, num signa doloris adsint vera ex corde contrito, vel potiùs ex vehementi dolore elicita? imo aliquando invenient Parochi nulla signa in Mo-

ribundis

ribundis extra sensus existentibus. In quo casu stabit pro signis testimonium domesticorum, si petierint Confessarium. Vel si subitaneè & improvisè infirmati sunt, uti apoplexiâ, & aliô morbô simili laborantes, sufficiens erit testimonium conditionatæ Absolutionis Christiana illorum vita, qui enim Christianè vixerit, præsumitur voluisse & Christianè mori; scilicet cum susceptione Sacramentorum.

15. *Sub quali conditione valida est Absolutio?*

℟. Sub conditione de præsenti, aut præterito, vg. *Si doles.* Vel *Si habes materiam sufficientem* Aut: *Si petiisti Absolutionem.* Aut: *doluisti de peccatis.* *Ratio est:* quia in tali casu supponitur conditio posita aut non posita.

Non valet autem sub conditione de futuro, vg. *Si restitutionem facies quam promittis, absolvo te.* Vel etiam similem apponendo conditionem de futuro etiam tacitè, non exprimendo verbis sed sola mente. *Ratio est:* quia effectus Sacramenti Pænitentiæ est absolutus. adeoq, non potest manere suspensus, & pendens à contingenti conditione futura. Ita Diana, Cleric. & alii: quæ doctrina est bene notanda, quia pluribus accidit ex ignorantia talem contulisse Absolutionem.

16. *Quid observandum in absolutione Censurarum?*

℟. Hæc sequentia. I. Quod in Sacramento Pænitentiæ datur duplex Absolutio, Una: peccatorum, Altera: Censurarum, contenta in illa oratione: *Dominus noster JESUS* &c: quæ juxta Suarez & alios debet sub mortali priùs dici à Confessario, quàm absolutio a peccatis, maxime quando prudens adest dubium, num pænitens non sit innodatus tali vinculô. *Ratio est:* quia Ecclesia graviter præcipit, ut nemo excommunicatus ullum Sacramentum

mentum etiam Pænitentiæ recipiat, antequam prius tollatur tale vinculum.

II. Quia autem Suspensio non ita privat receptione Sacramentorum sicuti Excommunicatio, hinc non esset peccatum grave, si absolutio Suspensionis posteriori loco poneretur post Absolutionem à peccato, ut notat La Croix loco supra citt.

III. Quod si Pænitens foret Sacerdos, & Confessarius ex aliqua incuria in illa Oratione: *Absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis*, omitteret: *Suspensionis*, poterit illud verbum apponere, & defectum omissionis supplere etiam post finita verba Absolutionis Sacramentalis.

17. *An Absolutio à Censuris possit dari sub conditione de futuro?*

℟. Potest, quia Censura non ita se habet respectu absolutionis suæ, sicuti peccatum; nam hæc potest reviviscere, ut dictum est supra de absolutione indirecta à Casibus reservatis, habentibus annexam Excommunicationem Superiori,

18. *Quænam Censuræ absolvuntur Pænitentis per illa verba:* Absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis &c.?

℟. Absolvuntur omnes tam in Confessione expressæ, quàm etiam illæ quorum Pænitens non recordatur, aut ipse Confessarius hic & nunc ignorat, uti sunt planè in[illegible], ut supra dixi, inquantum facultas Confessarii se extendit, & Pænitentis adsit intentio satisfaciendi oneri, si aliquod adsit & remaneat. Ita Clericatus. c. 123. n. 16.

19. *Quando nam Absolutio Sacramentalis à peccatis sit in eodem Sacramento reiteranda?*

℟. In his sequentibus casibus.

I. Quando Confessarius post assignatam pænitentiam, intra verba illa: *Passio Domini Nostri*

stri JESU &c: propter supervenientem distractionem graviter formidaret, an suo Pænitenti dederit Absolutionem essentialem; Vel in illa aliquod substantiale omiserit? Tunc in tali casu repetenda ei erit absolutio, non quidem absolutè sed conditionatè sub his verbis: *Si te nondum validè absolvi. Ego te absolvo à peccatis tuis &c:*

19. Si Pænitens post finitam absolutionem adferat aliquod mortale in immediata Confessione omissum, tunc absolutè proferenda erit Absolutio, quia adesset materia certa & necessaria absolutionis. In quo casu non requireretur in Pænitente novus dolor, quia prior sicuti fuit de omnibus peccatis, ita se extenderet etiam ad hoc peccatum omissum. Neq; per talem absolutionem iteratam, haberetur Sacramentum *Pænitentiæ* iteratò secundum, quia licet una pars haberetur iterata scilicet absolutio, non tamen dolor, imo neq; Confessio, quia adhuc esset eadem moraliter.

20. Hic casus quia est frequentissimus, plura quo ad hoc.

Nota I. Quodsi gravius peccatum superadderet Pænitens, ultra Absolutionem novam. deberet Confessarius addere etiam pænitentiam novam tali peccato correspondentem, ne alias impune remaneat.

Notæ. II. Quod peccatum de novo post Absolutionem allatum, si erit diversum specie vg. Sacrilegii, danda erit Absolutio absoluta; Si vero erit tantùm quo ad numerum majorem, vg. si priùs dixit fornicationem commisisse quinquies, & postea commemorans dicat Pænitens de facto sexies. Tunc ulterius advertendum erit Confessario, an in Confessione priori dixerit Pænitens: *Circiter quinquies plùs minùs,* si ita dixerit? non erit

danda

danda iterata Absolutio, quia post hos terminos fuit inclusus excessus numeri sexti, qui est parvus in se, & sic jam & iste numerus sextus fuit per primam Formam absolutus. Ita La Croix L. 6. p. 2. n. 940.

Nota: III. Si vero major numerus fuerit omissus vg. dicebat quinquies, & post absolutionem addidisset alios quinque numeros, dicendo vg. meliùs modo recordor quod decies fornicationem cōmisi, danda erit de novo tali Pænitenti Absolutio etiamsi priùs hunc terminum addiderit: *Circiter*. *Ratio est*: quia tam gravis numerus non fuit in priori inclusus per ly *circiter* ut notat Reiff. t. 14. dist. 6. q. 3. addit. 2.

Nota: IV. Quod si illa nova materia, quæ post primam absolutionem à Pænitente affertur, non est mortale peccatum, sed solum veniale? non esset iteranda Absolutio, aut nova addenda pænitentia. *Ratio est*: quia veniale potest alio modo remitti, quàm per Sacramentalem Absolutionem, puta per dolorem aut humilem Confessionem. Si tamen daretur adhuc Absolutio & talis venialis peccati, probabiliùs non peccaret nisi ad summum venialiter Confessarius, imo neq; sic argueretur de culpa, si haberet justam rationem, vel ut Scrupulosum Pænitentem meliùs quietaret, vel ut ei specialem gratiam absolutivam conferret.

21. *Quo ritu iteranda est Absolutio in casibus expressis?*

℟. Juxta La Croix L. 6. p. 2. n. 644. Debet dari hujusmodi iterata Absolutio tacitè, hoc est sine cruce de novo formata. *Ratio est*: quia aliàs circumstantes, qui jam viderant talem absolvi antea, potuissent suspicari Pænitentem novum forsan grave peccatum attulisse. Quodsi non adsint adstantes

ſtantes, formari crux debet, quia ceſsat ratio prohibens.

22. *Quid Confeſſarius dicere debet ſupra Pænitentem accedentem ad Confeſſionem, dum illum ſignat Cruce?*

℟. Juxta Rituale Romanum debet dicere hæc verba: *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis, ut dignè & competenter confitearis peccata tua, In Nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Amen.*

23. Pro Tyronibus & Neo-Confeſsariis ſit per extensum.

Forma Abſolutionis.

Miſereatur tui Omnipotens DEUS, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam Amen.

Indulgentiam, Abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens & miſericors Dominus Amen.

Sequitur Absolutio Censurarum.

Dominus Noſter JESUS CHRISTUS te abſolvat, & ego Authoritate ipſius te abſolvo: ab omni vinculo Excommunicationis (Suſpenſionis) & Interdicti, inquantum poſſum, & tu indiges,. Si Pænitens non fuerit Clericus, omittitur vebum *Suſpenſionis.*

Sequitur Absolutio Sacramentalis peccatorum.

Deinde

Ego te abſolvo à peccatis tuis; In Nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.

Sequitur Oratio applicans in Satisfactionem peccatorum Pænitentis, tam Paſſionem Chriſti & Sanctorum merita, quàm etiam ipſius Pænitentis bona opera.

Paſſio Domini noſtri JESU CHRISTI, merita

B. V.

B. V. MARIÆ, & Omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Adduntur etiam in recessu Pænitentis illa verba Christi ad Magdalenam: *Vade in pace, & amplius noli peccare.*

24. *Qualis danda est Absolutio urgente necessitate, vg. periculo mortis?*

℟. Sub his terminis: *Ego te absolvo ab omnibus censuris & peccatis. In Nomine Patris & Filii & Spiritus S. Amen.*

ARTICULUS V.
De Sigillo Confessionis.

1. *Quid est Sigillum Confessionis?*

℟. Est obligatio illa, quà in secreto teneri debent peccata ex Sacramentali Confessione cognita. Dicitur metaphoricè: *Sigillum*, quià sicuti res Sigillô materialî munitæ, debent esse integræ, occultæ, & secretæ, ita peccata in Confessione explicata.

2. *Quo jure & quomodo obligat Sigillum Confessionis?*

℟. Juxta communem sententiam obligat jure naturali, Divino, & Humano, & quidem taliter strictè, ut in nullo casu etiamsi salus propriæ vitæ, imo totius mundi inde penderet, non liceat tamen illud Sigillum frangere sive directè sive etiam indirectè.

3. *Quæ cadunt sub Sigillo Confessionis servanda?*

℟. Confessarium teneri ad servandum secretum sub Sigillo Confessionis de omnibus illis, quæ re-

censita sunt à Pænitente in ordine ad recipiendam Absolutionem Sacramentalem. Non obstante quòd illa sint impertinentia & ignoranter à Pænitente prolata. *Ratio est*: quià per revelationem horum Confitenti fieret præjudicium, & sic Confessio redderetur odiosa.

4. *An etiam pro tunc cadunt peccata & alia dicta in Confessione sub Sigillo, quando non datur propter aliquam causam Absolutio?*

℞. Affirmativè, quià etiam in tali casu omnia dicta in Confessione sunt pertinentia ad Sacramentum Pænitentiæ, siquidem sunt explicata animo illa confitendi Sacramentaliter. Ut notat La Croix L. 6. p. 2. n. 1944. Secùs dicendum de illo, qui accederet ad Confessionem cum malo fine, scilicèt cum simulatione, ut illudat Confessario, vel illum sollicitet, aut seducat, uti aliquoties fecerunt Hæretici. Talium enim fraude certò & infallibiliter cognitâ, possunt revelari dicta, ut docet Layman & Liugo cum aliis.

5. *Propter quem finem obligat tam strictè secretum Sigilli Confessionis?*

℞. Propter istum finem duplicem 1*mo*. Ne ex tali revelatione aliquod eveniat damnum infamiæ Pænitentis, vel aliud quodcunq; incommodum. 2*do*. Ne odiosum exinde reddatur Sacramentum Pænitentiæ. Quoties igitur aliquod ex his duobus malis non timetur, potest Confessarius uti scientiâ in Confessione habita. Ut vg. cònsulendo in aliquo casu, quærendo resolutionem à doctiori; cautè tamen subticendo nomen, & animadvertendo ad alias circumstantias, me indirectè saltim habeatur revelatio Sacramentalis secreti.

6. *Quotupliciter frangitur Sigillum Confessionis?*

℞.

℞. Generaliter duobus modis. *Directè* & *indiracte* Primò modô tunc violatur, quando Confessarius expressè & apertè peccatum auditum, aut aliquod aliud dictum sub Sigillo cadens, manifestat. *Indirecte* vero tunc violatur, quando Confessarius licèt nihil directè revelet, ita tamen verbîs vel signîs se gerit, ut alter possit in notitiam peccati Pænitentis devenire, sive in specie sive in confuso. Ita Doctores communiter. Demonstratur id exemplis.

7. Sic Confessarius directè violaret Sigillum, si diceret: Petrum habuisse casum reservatum, vel Excommunicationem, aut mortale, non verò violaret; si ad interrogationem dicat: Petrum veniale habuisse. *Ratio est*: quià quilibet supponit Pænitentem saltim veniale confiteri debere, aliàs non haberet materiam Absolutionis. Ita Layman L. 5. t. 6. c. 14. Cavendum tamen est Confessario ne aliquo loquendi modo sinistram de confitente opinionem apud alios generet. Vocando vg. illum scrupulosum, quià protunc indirectè Sigillum confessionis violaret.

8. Indirecta violatio Sigilli in his habetur casibus. 1. Si Parochus publicè alicui negaret Sacramentum Eucharistiæ propter solam notitiam ex Confessione habitam. 2. Si ob peccata occulta publicam Confessarius imponeret pænitentiam 3. Vel si Confessarius diceret: Petrum non absolvisse, nullam aliam etiam addendo rationem. 4. Si gravem pænitentiam impositam Pænitenti, manifestaret. 5. Si Confessarius aversionem aliquam conciperet à Pænitente ex notitia, in Confessione accepta. His & aliis modis similibus indirectè violaretur Sigillum Confessionis.

9. *Quomodo igitur respondendum est Confessa-*

 rio

rio, si interrogetur, an hunc vel illum absolverit? Vel, an ei hoc jejunium quod adsolvit imposuerit? & ad alia similia interrogata?

℟. Non debet negare verum, scilicet dicendo esse absolutum, quem non absolverit, quià aliàs committeret mendacium, quod est intrinsecè malum, sed in tali casu debet ambiguè respondere dicendo: se functum fuisse munere suo, prout ipsi Spiritus S. inspiraverit.

10. *Quando Confessarius possit uti notitiâ Confessionis?*

℟. Pro tunc & in illis tantùm actionibus, quæ non afferunt ullum prorsus incommodum Pænitenti, vel Complici. Ita communiter DD. Unde potest Confessarius dare eleemosynam illi quem ex confessione novit esse summe indigentem. 2. Potest orare DEUM pro salute sui Pænitentis, quem in Confessione novit esse periclitantem in Anima. 3. Potest suam regulare vitam ex fraudibus cognitis Diaboli cum suo Pænitente. 4. Potest Concionator vel Scriptor uti notitiâ ad aliorum præcavendos mores, dum modo non deveniatur in notiam confitentis peccata.

11. Caveant tamen Parochi, & alii Confessarii, quicunq; illi sint, dicere, sese hoc vel illud ex Confessionali scire; nam per hujusmodi dicta simpliciores scandalizantur, tales enim præsertim publicè vg. in Concione loquentes, peccant mortaliter juxta Gobat t. 7. Dianam & alios.

12. *Potestne Confessarius uti scientiâ cum damno occulto Pœnitentis illato propter bonum publicum?*

℟. Negativè, nam Innocentius XI. in Congreg. Generali universalis Inquisitionis 18. Novembris 1682. expressè inhibuit uti scientiâ Con-

fessionis cum aliquo gravamine Pænitentis. Unde Magister Novitiorum sciens ex Confessione propter aliquòd Canonicum impedimentum incapacem Novitium, non potest illi denegare votum etiam secretum, si aliunde appareat capax. Ita omnes DD.

13. *Ex quæ Responsione:*

Nota. I. Quòd non potest Parochus suo famulo tenenti clavem, illam auferre. si præcise ex Confessione sciat, quòd illâ abutatur. Neq; Superior Portulano, si noverit ipsum ex Confessione furtim egredi de Monasterio. Neq; Vicarius taliter sciens, potest licitè suggerere Superiori sub alio titulo, ut ulli recipiat Portulani officium. Similiter Confessarius sciens ex Confessione, puerum plura sibi abstulisse.

Nota II. Quòd in prædictis casibus & aliis similibus potest aliô licitô modô Confessarius subvenire suo aut communi bono absq; fractione Sigilli; nam tam Superior poterit in Confessione salutaribûs monitîs urgere subditum, ut pro nocte præsertim reddat clavim Superiori, aut resignet Officium ne habeat occasionem proximam ad peccandum; quàm Parochus poterit obligare famulum, ut quantùm potest restitutionem faciat. Quodsi prædicti Pænitentes nihil horum faciant, non est contra illos quidquàm prosequendum, neq; torvo oculo sunt aspiciendi, ut supra dictum est. & notat Elbel. Confer. 20.

Nota III. Prælatis, ac Magistris Novitiorum specialem necesse est habere in his diligentiam, quibus aliunde ex Officio incumbit castigare ac corrigere mores suorum Subditorum, & quidem sæpiùs, eosdem in individuo, quos audiverunt in Confessione. Sunt enim adeo malitiosi ejusmodi delinquentes & passionibus dediti, ut possit occur-

rere

rere casus, quod illos arguant de fractione Sigilli. Quare meliús si ab aliis audiantur Sacramentaliter, & si aliter fieri non posset, dum illos extra Sacramentum corripiunt, adducant illis testimonium aliquod illorum delicti, quod esset extraneum Sacramento.

Nota IV. Quod Clemens VIII. in Decreto *de Casibus Reservatis* 26. Maji 1593. universis Regularibus sic mandavit: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessari qui postea ad Superioratus gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne eâ notitiâ, quàm de aliorum peccatis in Confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur &c.*

Nota V. Cavendum esse omnibus in communi Confessariis & præsertim plenis passionibûs, ne dum vocantur ad audiendas Confessiones illorum, quorum ex repetita Confessione noverint coscientiæ statum; mutationem ostendant faciei, multomagis dicant aliquid, per quod saltim in confuso cognosci ab illis possit illorum conscientia, vg. ut aliquos audivi dicentes: *Semper unum loquitur* &c: aut aliquid simile. Tales noverint se esse hôc ipso fractores Sigilli Sacramentalis.

Item Confessores Monialium similia de suis Pœnitentibus loquentes etiam in communi. Nam parva Communitas æquivalet uni Personæ, maximè in his circumstantiis. Attendant etiam, quod neq; ipsis licitum sit laudare suas devotissas, dum illas alii deprædicant; aliæ vero dum laudantur (quas noscunt ex Confessione vitiis occultis esse deditas) silere, oculos in terram demittendo, vel alia signa internæ suæ cognitionis manifestando, Hoc etiam & de aliis Confessariis sit judicium.

14. *An possit Confessarius declinare illud malum*

lum

lum sibi inferendum (vg. mortem) cujus habet scientiam ex Confessione?

℟. Potest, sed cum hac distinctione; Si ex tali declinatione illius mali nulla habeatur suspicio apud alios præter Pænitentem; quod Confessarius de intentatis sibi insidiis sit certus ex Confessione. Vel etiam si ex hoc nullum Pænitenti sequatur malum. Quodsi istæ duæ conditiones non possint haberi? Confessarius in tali casu commendet DEO Animam suam, & ita se habeat quo ad apparentiam, ac si nihil sciverit. *Ratio est*: quià Sigillum Sacramentale ob bonum fidelium & reverentiam Sacramenti magis obligat, quàm salus totius mundi, & multo magis quam propria vita. Ita Navarr. Diana Suarez Sotus, &c.

15. Hinc, si Confessarius haberet sibi notum à Paulo in Confessione, quod vg. Petrus serviturus ad Missam dabit venenum in vino, vel occidet illum in via, potuisset quasi casu demittere in terrã ampullam, aut non egredi in viam, sed duntaxat pro tunc, quando Petrus nescivisset Paulum confiteri coram eodem Confessario, quià sic potuisset casuali eventui prædictos adscribere casus declinandæ mortis.

16. *An de licentia Pænitentis possit Confessarius revelare Confessionem* Sacramentalem?

℟. Non concordant quo ad hoc Theologi. Nam ex antiquioribus negat V. Scotus, Alensis & alii. *Ratio est*, illorum quià licèt Pænitens possit cedere juri suo, non tamen Sacramenti; Nam ut supra dixi, Sigillum Sacramentale est institutum, & obligat propter duplicem finem nempe propter bonum ipsius Pænitentis, & reverentiam Sacramenti, in primum habet pænitens jus, in quo Confessariũ potest dispensare, non vero in secundum.

17. Op-

17. Oppositum tenent multi ex Recentioribus cum D Thoma. Hoc tamen semper advertendum, ut respectu talis revelationis justa habeatur causa, & quidem pertinens ad bonum Sacramenti, aut quietandam conscientiam ipsius Pænitentis Ut vg. Si Confessarius difficilem casum non posset resolvere, potuisset cum licentia Pænitentis alium doctiorem in hoc negotio consulere, si aliàs per talem informationem non agnosceretur Pænitens.

18. Hæc autem licentia data à Pænitente debet esse omnimodè libera, nec sufficit interpretativa, aut metu reverentiali extorta, magna enim janua aperiretur Confessionibus Sacrilegis, ut notat Sporer Cap. 7. Theolog. Sacramen. n. 419. & alii.

19. *Quinam præter Confessarium teneantur ad servandum stricte Sigillum Confessionis?*

℞. Juxta communem doctrinam Casuistarum hi omnes.

I. Illi quos de licẽtia Pænitẽtis consuleret Confessarius aut ex alio fine illis revelaret Confessionem alienam.

II. Adstantes ad Confessionale, & audientes peccata Pænitentis.

III. Interpretes, si in aliquo casu aligenigena confiteretur per interpretem in alia Patria ignarus vernaculæ lingvæ. Vel Laicus ille quem bona fide Pænitens putaret esse Confessarium, & confiteretur illi peccata sua.

IV. Secundùm aliquos, obligatur ad Sigillum ille, qui Confessionem alterius memoriæ causâ scriptam reperit. Plures tamen id negant. *Ratio illorum*: quià talis Scriptura non est Confessio Sacramentalis, sed tantum per accidens & remote ordinatur ad Sacramentum Pænitentiæ. Ita Layman cum aliis.

Interim

Interim tamen juxta omnium consensum obligatur arctissimo secreto naturali, qui talem scriptam Confessionem reperit, ita ut graviter peccet si consultò legat peccata diffamantia, multò magis si lecta aliis revelet. Quamvis excusetur à mortali, si ex curiositate sola venialia legat aut lecta revelet. Ex quibus nulla foret infamia scribenti. Ita cit. Layman.

20. *An etiam ipse Pænitens teneatur ad Sigillum Sacramentale quò ad illa quæ ipse dixit in Confessione, vel Confessarius ei?*

℟. Non teneri quidem Pænitentem ad Sigillũ Sacramentale, bene vero teneri ad Secretum naturale & quidem sub mortali quò ad illa, ex quorum manifestatione sequeretur gravis infamia sui aut Confessarii. Ita Felix Potest.

21. *An saltim post mortem sui Pænitentis potest Confessarius non teneri ad servandum Sigillum Confessionis?*

℟. Probabilius tenetur, *Ratio est:* quia etiam ex tali revelatione odiosum redderetur Sacramentum Pænitentiæ audientibus aliena peccata ex Cõfessione cognita & revelata. Tum quià, esset ratio Moribundis tacendi plura gravissima peccata, quorum revelatione potuissent tam ipsi mortui, quàm viventes eorum consangvinei diffamari.

22. Assignant aliquas restrictiones in hac materia nonnulli ex Casuistis, in quibus licitum sit Confessario loqui de illis, quæ in Confessione sunt cognita, sed quià ad licentiam prona est voluntas humana. Hinc consulo optimum esse præ omnibus modum: cautè & inviolatè servandi Sigillum Sacramentalè; Ut ipse Confessarius in negotio Confessionis, quoties agitabitur quæstio de alienis peccatis, plurimum taceat, & tanquàm inutilem

tilem quæstionem solvat silentio. Nam garrulitas in pluribus Confessariis, est Mater violationis Sigilli.

23. *An possit Confessarius interrogare Pœnitentem in Confessione de illo peccato, quod scit ab illo commissum fuisse ex Confessione Complicis?*

℞. Si illud peccatum solus Pænitens non confiteatur solum in genere, poterit à Confessario interrogari sub his terminis: vg. *An adhuc non habeat aliquod peccatum ad confitendum?* quòd si neget se habere, non est interrogandus in specie de illo peccato cujus Confessarius habet notitiam in Confessione Complicis, sed danda erit ei Absolutio, si aliud impedimentum non adsit.

24. Quod si aliunde extra Confessionem ex auditu vg. fide digni sciat Confessarius aliquod peccatum esse commissum à Pænitente, quod hic & nunc non confitetur, tenebitur eum de illo interrogare, non tantùm in genere, sed etiam in specie: quòd si neget? debet absolvi, quià poterat illud confiteri coram alio. Tum quià in Pænitentiæ foro credendum est Pænitenti, sicuti contra se, ita & pro se.

25. *An licet Confessario extra Confess: loqui cum Pœnitente de Peccatis in Confessione auditis?*

℞. Cum communi DD. non licere, quia talis loquela, ruborem affert, & redderet odiosam Confessionem. Licebit autem de licentia Pænitentis, si ipse prius de peccatis suis loqui incipiat.

26. *An in causis criminalibus occultis possit reus trahi ad forum sæculare ex documento sui criminis scripti in charta ex qua confitebatur?*

Antequam respòndeam. *Suppono* 1. Casum vg. Matrem Annœ fuisse veneno occultè sublatā quod crimen viderant quidem omnes, sed ejus Au-

thor

thor fuit ignotus; tadem brevi Anna Filia faciens Generalem Confessionem, inter alia sua peccata scripsit etiam se veneno interfecisse Matrem suam, quæ charta ab alio est inventa, & ad Judicem sæcularem delata.

2do. Suppono quod Anna Filia fassa sit suum esse characterem, & ab illa defacto occisam Matrem, ex illa Scriptura convicta, quæritur an possit ad mortem exinde condemnari? De quo consilium petit Judex à Confessario.

Difficultas autem hujus Casûs exinde oritur, quia illa charta Confessionis scriptæ videtur esse pars Sacramenti Pænitentiæ, cùm sit scripta in ordine ad Confessionem Sacramentalem faciendam vel jam factam. Porro partes Sacramenti Pænitentiæ non possunt trahi ad forum externum contentiosum ut de se patet. His adnotatis.

27. ℞. Ad casum. Non defuisse Authores docentes talem non posse spectare ad forum contentiosum propter rationem immediate adductam, & quià ulteriùs sic odiosum redderetur Sacramentum Pænitentiæ.

Sed probabilior est sententia talem posse subdi judicio & sententiæ sæcularis fori. *Ratio est*: quia illa charta nullo modo est pars Sacramenti Pænitentiæ; Confessio enim Sacramentalis non est à Christo instituta in scriptis, sed verbalis, ut de se patet: ergo peccata scripta nullam habent connexionem ex institutione Christi ad Sacramentum pænitentiæ, adeoq; habent in casu rationem testis sæcularis, eo fere modo, ac si Anna scriberet ad amicam, & ei fateretur suum crimen.

Peccaret tamen graviter ille, qui talem Judici propalaretScripturã, si sciẽnter fecisset & novisset esse Confessionem, ut supra dictum est. *Ratio est*: quia

in

in talibus circumstantiis tenetur unusquisq; ad secretum naturale servandum.

ARTICULUS VI.

De variis ad Ministrum Pœnitentiæ & ad ipsum Pœnitentem pertinentibus, præsertim quo ad Regulares.

1. Plura jam dixi in 1. Sect. hujus Partis tam de Confessario quàm etiam Pænitente, spectantia ad praxim, unde in præsenti Articulo solùm aliqua pro complemento illius doctrinæ adduntur, & quæ ex imediatè dictis eruuntur, ac de eis dubitari posset. Unde ponentur hic miscellanea quæsita.

2. *An Prælati Regulares possunt Absolvere suos subditos ab omnibus peccatis & casibus reservatis etiam Bullæ Cænæ Domini?*

℟. Juxta superiùs dicta Art. 2 possunt absolvere ab omnibus Casibus & Censuris, sive ab homine, sive a jure reservatis. Quantùm tamen ad Casus in Bulla Cænæ comprehensos, licèt aliqui dubitent, probabilius tamen est, quòd possint. *Ratio est:* quià sæculares legitimè impediti possunt absolvi ab Episcopis à Casibus Bullæ Cænæ; sed ex una parte Prælati Regulares juxta communem sententiam habent quasi Episcopalem potestatem in suos subditos; ex altera parte Regulares subditi (ne detur vagandi licentia) numerantur inter legitime impeditos adire Romam; ergo possunt absolvi, maximè illi qui multùm distant à Sede Apostolica ut sunt in Regno Poloniæ. Ita Reiff. t. 13. dist. 2. q. 4.

3.

3. Felix Potest tom. 1. per 14. n. 3375. excipit 5. Casus. 1. Schisma, 2 Hæresim cum relapsu 3 Falsificationem Literarum Apostolicarum 4. Delationem prohibitorum ad Infideles 5. & Conspirationem in Romanum Pontificem.

4. Quantũ ad Pænitentes sæculares, si de Casibus his vel illis dubitetur, an sint comprehensi sub Excommunicatione Bullæ Cænæ, possunt Regulares ab illis absolvere. *Ratio est*: quià sic Clemens VIII. expresse concessit, prout sunt testes Passerinus. Domin. Viva, Kilianus Kazemberg. adducti apud Reiff. loc. cit. superiùs.

5. *Quid sentiendum sit de Monialibus Regimini Regularium subjectis?*

℟. Juxta superiús dicta eandem habent potestatem Superiores Regulares in Moniales sibi subjectas collegialiter viventes sub Professione trium votorum, quam habent in alios Religiosos sibi subjectos. Ex Privilegio Sixti IV. 26. Julii 1479. Bulla quæ incipit: *Sacri Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordines. &c.*

6. Eodem Privilegio fruuntur Tertiarii & oblati cum iisdem Fratribus claustraliter viventes ex Const. Leonis X. 1. Martii 1518. in Concilio Lateran. Sess. 11. quæ incipit: *Dum intra &c.*

7. Hoc ipsum judicandum est etiam de Tertiariis non claustraliter viventibus, sed in domibus suis, non obstante quòd sint Viduæ, dummodo Tertiariarum servent Regulam, & fecerint votum Castitatis ex Ordinarii licentia. Non est autem necesse, ut emittant alia duo Vota ex Const. Concilii Lateran. loc. supra cit. De quibus in P. 1. dixi, ad quod forum pertineant? Art de. Tertiar.

Harum tamen Confessarius debet esse ab Ordinario Loci approbatus ex Decr. S. Cong. 31. Januarii 1640.

8. *An hæc potestas absolvendi Casus Reservatôs possit à Prælatis Regularibus alteri delegari?*

℟. Affirmativè. *Ratio est* quia cum sit potestas ordinaria, generaliter poterit alteri delegari, ut constat de omnibus aliis Potestatibus Ordinariis. Quid autem sit potestas Ordinaria? & quid Delegata? jam supra dictum est Part. 2. Sect. 1. p.

9. *Potestne concedi Monialibus extraordinarius Confessor & quot vicibus in anno?*

℟. Non tantum potest, sed etiam debet omnino concedi à Superioribus Regularibus, ut patet ex Trid. Sess. 25. cap. 10. Et novissimè ex Cost. Benedicti XIV. quæ incipit *Pastoralis curæ &c;* 5. Aug. 1748. in qua SS. Papa statuit, ut bis aut ter in anno à Superioribus concedatur Confessarius Extraordinarius Monialibus sibi subjectis, qui esset ejusdem Ordinis.

Quodsi petiissent alium extra Ordinem, aut Sæcularem? concedendus est semel duntaxat in anno, qui fuisset propositus & expetitus à Monialibus ut patet ex dicta Constit.

10. Ubi notandum est, quod prædictus Pontifex in dicta Constitutione hæc quinq; expresse statuit a Confessario Extraordinario observanda.

I. Ut non tantùm detur Extraordinarius Confessarius toti Communitati Monialium, sed etiam particulari Personæ, si extra hoc tempus quô datur omnibus talis Confessarius, vellet alium.

II. Confessarius Extraordinarius non tantûm ipsis Monialibus Professis concedi debet, sed etiam aliis Mulieribus & puellis, quarum ordinariè unicus per annum Confessarius deputari solet.

III. Quodsi in hac re Superiores Regulares difficiles aut negligentes extiterint, ad Episcopos Diæcesanos assignare pertinebit.

IV. Dum Extraordinarius Confessor alicui Communitati deputatus fungitur suô officiô, protunc Ordinarius Confessor, nullum ipsi impedimentum inferre audeat, neq; ullo modo præsumat per hoc tempus, alicujus Monialis aut Mulieris intra septa Monasterii commorantes Confessionem audire.

V. Extraordinarius Confessor ad unam vel omnes deputatus, post absolutum suum officium nunquam ampliús ad idem Monasterium accedere præsumat sub quovis prætextu, etiam Spiritualîs causæ.

Hæc sunt excerpta ex prædicta Const. SSmi. Benedicti XIV.

11. *Quod habemus Privilegium Nos Fratres Minores quò ad Absolutionem à Casibus Reservatis semel in Anno?*

℟. Juxta Const: Clementis XII. *Ad augendam* 20. Martii 1731. Nos Fratres Minores & Moniales subjectæ Generali Ministro totius Ordinis S. P. Nostri Francisci pro una vice tantùm in anno possumus a Confessariis Ordinis absolvi a quibusvis casibus etiam in Bulla Cænæ Reservatis, & aliis Censuris unà cum Indulgentia plenaria obtinenda. Exceptâ tamen Excommunicatione publicè & specialiter lata, nisi priùs partibus satisfecerint taliter Excommunicati.

12. In qua Const. conceditur etiam Indulgentia plenaria omnibus utriusq; sexus fidelibus confessis ac Sacra Communione refectis, qui Missæ Solemni in Ecclesia Fratrum Minorum aut Monialium interfuerint, illo die, qui ab Ordinario Loci ad id assignaretur; quæ etiam gratia pro unica vice tantúm conceditur.

13. Utrum autem & fideles sæculares possint absolvi

absolvi illo die ab omnibus etiam Bullæ Cænæ Rè-servatis ſicuti Religioſi? Dubium eſt; quia dictus Clemens XII. pro ſæcularibus ſolam Indulgentiam plenariam aſsignat, nullam faciendo mentionem de Absolutione quo ad Casus reservatos. In dubi-is autem & præsertim favorabilibus licèt juxta Canoniſtas leges ſint ampliandæ; in hoc tamen ne-gotio & gratia adeo maxima, potiùs consulenda eſt Sedes Apoſtolica, quam nimis audacter applican-dus favor extraordinarius, qui neq; in Jubileo con-cedi ſolet.

14. *An Religioſi poſſunt confiteri extra Ordi-nem alienis Confeſſariis?*

R. Poſſe in his caſibus, nempe: 1. In articu-lo mortis. 2. In casu neceſsitatis, ut ſi reperire-tur in Partibus Infidelium, aut urgeret neceſsitas celebrandi, & Confeſſarius proprius non adeſset. Ita Felix Poteſt. n. 3446.

15. *Quid de Itinerantibus Religioſis?*

R. Poſsunt etiam hi confiteri extra ordinem alieno Confeſsario, de licentia tamen ſui Superi-oris; quam licentiam dare poteſt in noſtra Reli-gione Ordinis Minorum, Pater Gvardianus, ut no-tat Melphi in Satut. cap. 7.

Hæc autem licentia juxta eundem Melphi ſuf-ficit ſi ſit generalis, aut tacita ſeu præsumpta, quæ implicitè continetur in ipsa licentia itinerandi. Melius tamen consulent Religioſi ſuæ conscientiæ, ſi aggreſsuri iter, expreſsam poſtulabunt licentiam a Superiore Loci.

16. Talis autem Confeſsarius extra Ordinem, ſi ſit ſæcularis debet eſse approbatus ab Ordina-rio Loci in ordine ad excipiendas Confeſsiones. Si vero ſit Regularis, ſufficit ſi ſit approbatus a proprio Prælato Religionis: in ordine ad absol-

vendos

vendos Fratres. *Ratio est* quia Trident. in Decreto requirente approbationem Episcopi, non inclusit Confessarios quo ad Absolutionem Religiosorum, ut advertit Tambur. & Portel. verbo *Cõfessor*.

17. *An Religiosi possint absolvi à Casibus Reservatis suis Prælatis à Confessario extraneo?*

℟. Non possunt, nisi is haberet expressam licentiam à Provinciali illorum. Vel nisi Religiosus peregrinus habeat authoritatem passivam à suo Provinciali, ut absolvatur ab illis per quemcunq; Confessarium. Ita Constit. Ordin.

SECTIO III.
De Præceptis Decalogi.
ARTICULUS I.
De Præceptis Decalogi in communi.

1. Cur decem Præcepta dicantur Decalogi, aut primæ, vel secundæ Tabulæ, jam supra dictum est. pag. 4. adeoq; hic iterum non sunt repetenda, Nunc autem quantùm ad praxim Confessariorum pertinet, aliqua magis scitu necessaria breviter explanare Tyronibus intendam. Priùs tamen pro generali instructione circa Præcepta Decalogi.

2. *Nota* I. Quòd sicuti jam supra dictum est peccatum sumit suam malitiã à lege & Præceptis juxta illud Apostoli ad Rom. cap. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem* ita, ut si nullum foret Præceptum D. aut lex positiva prohibens vel præcipiens, nullum foret peccatum formaliter sum-

ptum; ut docent Theologi. Tum quià gravitas & levitas peccati cognoscitur inter alia ex graviter vel leviter obligante lege. Ut supra dixi.

3. *Nota* II. Quòd omnia alia Præcepta Moralia possunt aliqua ratione reduci ad Præcepta Decalogi. Ut docet D. August. & alii DD. *Ratio est*: quia prima tria Præcepta Decalogi ordinant hominem ad DEUM. Septem verò alia, ordinant illum ad Proximum. Unde ad illa tria Præcepta primæ Tabulæ pertinent omnia vitia & virtutes quæ immediatè ad DEI cultum referuntur. Ad alia verò septem, spectant illa, quæ vergunt in bonum vel malum proximi.

4. *An Præcepta Decalogi fundantur in jure naturæ?*

℞. Affirmativè, juxta communem sententiam Theologorum; Non æqualiter tamen, sed duo Præcepta primæ Tabulæ magis fundantur quàm alia. *Ratio est*: quia etiamsi non darentur hæc duo Præcepta, adhuc tamen Actus oppositi illis essent ex natura sua intrinsecè mali, ut est Idololatria, Blasphemia &c. non sic autem Actus oppositi aliis Præceptis.

5. *Nota* tamen, quod tertium Præceptum non est de jure naturali quo ad determinatum tempus, quod scilicet hoc die & non altero sit cultus DEO reddendus. *Ratio est*: quia hoc nobis lex naturalis non dictat, benè vero, quod aliquo tempore debemus vacare laudibus Divinis.

6. *An DEUS possit cum aliquo dispensare in Præceptis Decalogi?*

℞. I. In Præceptis duobus primis non potest. *Ratio est*: quià etiamsi lex positiva nulla foret, adhuc tamen Actus oppositi his duobus Præceptis non essent boni aut indifferentes, quià sunt intrinsece mali. ℞. II.

℟. II. In aliis vero Præceptis Decalogi potest DEUS dispensare, imo defacto in pluribus dispensavit, ut constat ex S. Scriptura. Sic cum Abrahamo dispensavit in attentata occisione Isaac. In Polygamia Judæos, & in ablatione Ægyptiis optima quæq; vasa eorum. *Ratio est:* quia cum sit Dominus absolutus vitæ & necis humanæ, ac omnium bonorum fortunæ & famæ, potest prò libitu suo in his dispensare, cùm sint ejus omnia. *Ratio* autem utriusq; Responsionis est hæc solida: quià illa, quæ prohibentur duobûs primîs Præceptîs, non ideo sunt mala, quia sunt Præcepta, sed potiùs ideo sunt Præcepta, quia sunt mala, & quidem ex natura sua, uti est odium DEI, perjurium &c: E contra vero illa quæ prohibentur aliis Præceptis, ideo sunt mala quia sunt prohibita.

Excipe tamen mendacium & falsum testimoniū, cùm hæc pariter sint intrinsecè mala, & repugnantia veracitati Divinæ. Unde gravioris notæ Theologi docent DEUM non posse dispensare in octavo Præcepto Decalogi.

7. *Quomodo Præcepta Decalogi obligent?*

℟. Juxta communem doctrinam DD. obligant sub mortali, ita, ut violatio illorum sit ex genere suo mortale, nisi parvitas materiæ, defectus deliberationis, aut plenæ advertentiæ excuset. *Ratio est:* quia omnia Præcepta Decalogi versantur circa talem materiam, cujus violatio graviter repugnat Dilectioni DEI, aut Proximi.

8. *In quibus Præceptis potest dari parvitas materiæ?*

℟. Certum est, quod in primis duobus non datur. Unde blasphemia, Perjurium, odium DEI, Idololatria, semper sunt materia gravis. Quo ad alia vero Præcepta, potest in aliquibus peccatis

oppositis eisdem dari parvitas materiæ, uti in mendacio jocoso &c. Si nimirum hoc vel illud peccatum non contrarietur graviter dilectioni Proximi. Quod unusquisq; Confessarius considerare poterit ex Circumstantiis Confessionis.

9. *Quæ vitia opponuntur Præceptis Decalogi?*

℟. Illa omnia, quæ contrariantur amori DEI & proximi ut jam dixi n. 3. *Ratio est*: quia Præcepta Decalogi fundantur in illis duobus Præceptis· *Diliges DEUM ex toto corde &c: Et Proximum tuum sicut te ipsum.* In his enim duobus Præceptis tota lex pendet & Prophetæ juxta doctrinam Christi. Unde sicuti his duobûs Præceptîs recommendatur amor DEI & Proximi, ita pariter eundem amorem præcipit & Decalogus. Et sicut nullum est vitium, quod non posset opponi amori DEI & Proximi, ita nullum est, quod aliquomodo non contrarietur Præceptis Decalogi sive directè, ut odium DEI Præcepto primo, & Homicidium Præcepto quinto. Sivè indirectè, ut Irreverentia Sacramenti, &c.

Antequam igitur descendemus ad singula Præcepta, prius sit sermo de virtutibus, & vitiis oppositis Charitati DEI & Proximi.

Charitas DEI & Proximi.

10. *Quid est Charitas?*

℟. Est virtus Supernaturalis quâ DEUM diligimus propter se, & Proximum propter DEUM. Dicitur *Virtus Supernaturalis*, quia non sufficit ad salutem si diligamus DEUM amore naturali ut Auctorem naturæ & Benefactorem nostrum, Vel etiam Proximum ideo amemus, quia nobis Beneficia præstitit, hoc enim Ethnici faciunt, ut exprobrat

probrat Christus, imo & bestiæ suis Benefactoribus sunt gratæ, ut Canis, sed diligendus est DEUS & Proximus ex motivo Supernaturali, ut docent communiter Theologi.

11. *Quomodo est DEUS diligendus à nobis?*

℞ Non est diligendus sub Præcepto intensivè ita, ut homo sub peccato teneretur diligere DEUM amore intensissimo, hoc enim esset durum infirmitati humanæ; sed diligendus est appretiativè ita ut homó magis debeat appretiare sibi D. Majestatem, quàm quodcunq; aliud bonum. Unde sæpius contingit quod puer intensiús amat Patrem, quàm DEUM quem non videt, magis tamen debet sibi appretiare DEUM cujus offensam si aliter vitare non possit, relinquendus est illi Pater, & vocationi D. obtemperare necesse sit.

12. *Quomodo diligendus est DEUS?*

℞. Semper quidem voluntas humana tenetur esse prompta & exposita ad diligendum DEUM, non tamen adest Præceptum ut omni hora eliciatur actus amoris D. sed tantum protunc, quando adsunt tentationes retrahentes à dilectione Creatoris. prudenter tamen, consulent suis Pænitentibus Confessarii, si illos alliciant ad formandum actum amoris D. saltim semel de die quando surgunt de lecto cui omnia sua diurna opera in laudem consecrare tenentur.

Vel si id non permittit status Pænitentis. prout sunt plebei, saltim semel in anno id faciant, & sua opera totius vitæ offerant in laudem DEI cū amore explicito.

Qui Pænitentes non possunt vacare orationibus continuis aut frequentioribus, svadeant iliis Confessarii, ut intra labores & occupationes suas asvescant elicere amorem DEI modô jaculatoriô & brevissi-

breviſſimô, moneantq; eos, quod meritum orationis non in prolixo ſermone, ſed in elevatione conſiſtit cordis.

Plura quidem in parte hac 2. Sect. 1. dixi ac recommendavi quo ad praxim Confeſſariis obſervanda, ſed quia hic eſt nobis ſermo de Charitate, ideo fas mihi videtur ſuper omnia imprimere menti Confeſſariorum ut habeant Charitatem, ac deſiderium ſalutis Animarum ſuorum Pænitentum. Etſi enim Miniſtro DEI ſit neceſſaria ſcientia rerum ac Prudentia in hoc Tribunali, ſi tamen Charitatem non habeat Animæ ſui Pænitentis, nihil ipſi hæc omnia proderunt. Recordentur verborum Chriſti, qui ſuo Vicario relicturus Eccleſiam & ovile, ter ipſum prius interrogat. *Petre amas me?* ac ſi ſine amore Chriſti nullum ejus foret miniſterium.

Quod certe practicatur in nobis quotidie, qui enim ex Confeſſariis non habet Zelum amoris D. ille neq; habet amorem ſalutis ſui Pænitentis; non ille ſciſcitatur de morbo Animæ ejus non applicat media, ſed prolixam Confeſſionem faſtidio ſuſcipit, plures vult curare, & nemini ſuccurrit. An neſcit quia *Bonus Paſtor dat* &c? & alio in loco dicit Apoſtolus: *Qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant.* Hoc ſacrum Judicium non commiſit DEUS Angelis qui ſunt alieni à peccatis, ſed homini Peccatori, ut plura diſſimulet. *Quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate* Sed hæc relinquo unius cujusq; Conſcientiæ.

13. *Quo tempore eſt ſpecialis obligatio eliciendi amorem DEI?*

℟. Probabiliùs quod ſicuti accepto uſu rationis tenemur elicere actum fidei. præſertim circa illa, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ita etiam

am post receptum usum rationis, obligantur pueri elicere amorem DEI. *Ratio est*: quia sicuti homo habens rationem tenetur se convertere ad DEUM per cognitionem intellectus, ita etiam per amorem voluntatis. Aliis autem temporibus non potest assignari determinatus dies, sub Præcepto eliciendi actum amoris DEI, Fdei & Spei, sine erroris periculo, aut sovendi scrupulos.

14. *Quid intelligatur nomine Proximi?*

℟. Intelligitur omnis homo beatitudinis capax, sive sit fidelis, sive infidelis, sive amicus sive inimicus. Ita communiter DD. Unde non tantum est peccatum odio habere fidelem Catholicum, sed etiam Judæum, cum de utroq; procedat Præceptum. Possumus quidem Infidelitatem odio habere in Judæo, Turca, &c. non tamen ipsum Judæum, quatenus homo est, ad imaginem DEI creatus.

15. *Propter quem finem præcepit nobis DEUS diligere Proximum?*

℟. Propter hunc duplicem. *1mo.* Ut in ipso diligatur Imago relucens DEI, & ideo additur, *Secundum simile huic*: *Diliges Proximum &c*: Quia sicuti homo ad similitudinem DEI factus est, ita similiter propter DEUM diligi debet. *2do.* Quia sicuti in æterna Beatitudine amabitur DEUS & Beati ad invicem, ita in militante Ecclesia debet adesse initium quoddam futuræ Beatitudinis inclusum in amore DEI & Proximi.

16 *Quis est ordo servandus in dilectione Proximi?*

℟. Hic ordo extra extremam necessitatem servari debet. 1. Succurrendum est Uxori quia una est caro cum viro. 2. Filiis & Parentibus, Patri tamen præ Matre. 3. Fratribus & Sororibus, deinde Propinquis & Familiaribus. In extrema autem

necessitate Parentes eo quod vitam dederint præferendi sunt Filiis. Ita Felix Pot. tom. 1. p. 2. n. 291.

17. *Quomodo tenetur homo ad succurrendum Proximo in extrema necessitate Spirituali constituto?*

℟. Teneri etiam cum periculo vitæ propriæ, si sit certa spes illum juvandi, & non possit aliâ viâ juvari neq; sit periculum proprii damni spiritualis. *Ratio est:* quia damnum Spiritule proximi prævalet omni damno temporali etiam proprio. Damnum vero Spirituale proprium prævalet omni damno Spirituali alieno. Unde teneris baptizare infantem & absolvere peccatorem, quem scis certò moriturum, cum periculo propriæ vitæ.

18. *In gravi necessitate damni Spiritualis Proximi ad quid tenetur homo?*

℟. Ille cui ex officio incumbit, tenetur succurrere etiam cum periculo vitæ, non vero alius. Unde Parochus illicite faceret, ac graviter peccaret, si tempore pestis fugeret non relicto alio substituto æquè idoneo. Ita Lacroix. Tamburinus. Busemb. T. 2. t. 4. c. 1.

19. *Ad quid obligat Charitas erga Inimicum?*

℟. Ex Præcepto obligat ut quilibet homo communia Charitatis signa & beneficia exhibeat Inimico. Specialia vero solum ex consilio, nisi obligatio aliunde oriatur, vg. ratione scandali. Unde si tibi occurrisset Amicus & Inimicus sibi & tibi æquales, & unum salutares non salutato altero, peccares mortaliter, quia ostenderes manifestum signum odii.

20. *An teneatur quis salutare suum Inimicum?*

℟. Regulariter loquendo non tenetur quis salutare aut alloqui Inimicum. *Ratio est:* quia salutatio & allocutio sunt actus liberi inter æquales, adeoq;

adeoq; illos omittere est signum inurbanitatis non autem signum odii. Dixi *Regulariter*, quia ratione alicujus circumstantiæ adjunctæ illos omittere erit mortale. 1. Si cedat in scandalum & in signum interni odii, ut supra de Salutatione Amici, non vero Inimici dictum est. 2. Si Salutatio non est debita, tu tamen prævides, quod ex illa Inimicus odium deponet, tunc peccas mortaliter, si cum tali prævisione illam omittis sine magna difficultate. *Ratio est*: quia hoc ipso jam talem inimicitiam foves in corde.

21. Quando collocutio est debita, prius debet incipere lædens, inferior, aut qui prius offendit, qui excitavit vel qui gravius offendit, etiamsi sit posterior ad offensam. Quodsi injuriæ sunt æquales, aut non sit major ratio cur incipiat priús unus quam alter, utriq; incumbit cura occasionem capiendi, & ille cui prius occasio occurrit incipere debet. Ita Felix Potest. loc. cit.

22. *Quid si prævidet quod Inimicus nō sit resalutaturus?*

℞. Si sit moraliter certus, quia jam vg. illum semel salutavit, ad nihil tenetur *Ratio est*: quia sic posset dare sibi incendium majoris inimicitiæ contra illum. Hoc ipsum dicendum est si prævideretur ex tali salutatione Inimicus magis audax, & magis infestus. Peccat tamen graviter si Inimicum se salutantem non resalutet, sic enim monstraret manifesti odii signum.

23. *Quid de Superiorbus in hac materia dicendum sit?*

℞. Illos excusari à peccatō si deficienti subdito non tantum signa specialia, sed etiam communia denegent, imo vultum asperum ostendant. *Ratio est*: quia ista signa non sunt odii, sed medi-

cinalia. Hoc ipsum dicendum est de Matre & Patre respectu Filiorum. Si tamen desinat esse Superior, & talia signa demonstret, signum erit privati odii, adeoq; & peccatum.

24. *Quomodo offensus poterit sine peccato offensorem accusare, & pœnam velle coram illis ad quos de jure Justitia pertinet?*

℟. Quando id non faciat animo vindictæ, quia hoc est mortale, sed animo satisfactionis suæ offensæ, & ut malitia impunita alterius non crescat, ac alii similia vitent. Hoc enim genus est justitiæ non peccati. Cavendum tamen est, ne cum actu justitiæ passio naturalis odium non immisceat.

25. *Quid de illo judicandum Confessario qui confitetur se remisisse offensam, in præsentia tamen inimici varios sentit motus internos?*

℟. Illum non peccare. *Ratio est:* quia isti motus sunt naturales & involuntarii, orti ex apprehensione objecti molesti. Cum hac tamen clausula, si protunc Pænitens ad deliberatam & gravem aversionem non devenit, aut grave malum Inimico non desideravit, Ita Tamb. Busemb. Bonac t. 2. & alii.

26. *An peccat ille, qui cum inimico non loquitur ideo, quia in ejus colloquiis expertus est astutiam?*

℟. Non peccat, si id ex non odio faciat, sed præcise propter damnum proprium fugiendum; est enim quisq; Dominus juris suæ famæ, & vitæ pacificæ. Hic casus haberetur pro tunc, quando Petrus sæpius colloquens Paulo, ejus dicta coram aliis de quibus sermo erat odiosus, enarravit, tunc Paulus cognita fraude poterit se abstinere ab ejus familiari colloquio. Vel si Pe-

trus

trus in familiari colloquio. soleat rixas excitare.

In tali tamen casu ne alii scandalum sumant qui antea noverunt Paulum esse familiarem Petro, optime faciet si protestaret se coram illis ex toto corde personam Petri diligere, à signis tamen specialibus & societate intima ideo abstinere, quia ejus familiaritas non sit ipsi grata ex justa consideratione.

Iste Casus circa dilectionem Inimici est in toto Orbe planè frequentissimus. Nam si fas dicere, inter omnia novæ legis Præcepta, hoc unicè videtur esse difficilius, ut diligatur inimicus, in cujus observantia etiam Viri Sancti difficultatèm experiri solent.

Hoc unicum consideravi in nostro Regno Poloniæ, quod Viri politici soleant suis Inimicis non tantum signa communia, sed etiam specialia amicitiæ ostendere, intrinsecùs autem sunt pleni odio. Unde merito quærendum est.

27. *An sufficit si diligatur Inimicus externè per signa extrinseca tantum?*

℞. Non sufficere, sed debet diligi ex corde hoc enim est hypocriticum & Machiavelis opus. *Ratio est*: quia dum dicitur *Diliges Dominum &c: ex toto corde, ex tota mente &c.* statim additur *secundum simile huic, Diliges Proximum tuum &c:* ergo sicut DEUS est diligendus non tantùm quò ad apparentiam, sed ex corde, & ex mente, ita & Proximus propter DEUM, nam ly *simile* idem sonat ac *similiter*.

Minus tamen peccat ille, qui ostendit signa amicitiæ retentô odiô in corde, quàm ille qui & intùs Inimicum odiô habet, & extrinsecus manifestat. *Ratio est*; quia ille prior non dat aliis scandalum, neq; turbat communem pacem, non vero secundus.

28.

28. *Quid si intus non haberet odium contra Inimicum, manifeste tamen per signa demonstraret illud?*

R. Superior id non tantum subdito potest facere, sed etiam aliquando debet, ut superius dixi. Si autem sit par offensus, etiam non peccat, (dummodo non adsit scandalum) præsertim si talia ostendat signa, ut offensor cognoscat illum esse læsum & faciat ei deprecationem. *Ratio est:* quia satisfactionem quærere injuriæ sibi illatæ non est peccaminosum, maximè si limites justitiæ non excedat.

Odium Proximi.

29. *Quid est Odium?*

R. Est aversio à Proximo. Hoc autem Odium est duplex. Unum *Inimicitiæ.* Quô volumus Proximo malum, quatenus illi malum est. Alterū *Abominationis* quô non personam Proximi, sed ejus malitiam, vel saltim personam tantum ut malam, aut nobis noxiam aversamur.

30. *Quod ex his est peccatum mortale?*

R. Primum Inimicitiæ est grave juxta gravitatem vel levitatem illius mali quod vult odiosus Proximo. Secundùm vero Abominationis est plerumq; solúm veniale, si fiat aversio Personæ; nullum vero, si sit aversio ejus malitiæ, juxta illud Psalm. 118. *Iniquos Odio habui.*

31. *Quomodo in Confessione aperiendum est illud malum volitum Proximo?*

R. Si non sit mutans speciem, sufficit si dicatur: *volui grave malum Proximo.* Nam ex ly: *grave*, devenit Confessarius quod fuerit mortale. Si vero sit mutans speciem, debet exprimi. Tutiùs tamen semper faciet Confessarius, si Pœnitentem

tem interrogabit de malo volito. Judex enim est ad quem pertinet omni meliori modo facere inquisitionem de re sui Pænitentis.

32. *Quomodo peccet, qui sibi vel alteri mortem desiderat naturalem ob gravem infirmitatem, vel aliam miseriam?*

℞. Si sit infirmitas aut vita graviter miserabilis, non peccat si sibi aut alteri optet mortem. *Ratio est*: quia pro tunc tolerabilior est mors, quàm in tantis miseriis vivere. Peccat vero mortaliter, si ob leves molestias mortem sibi exoptet, nisi à mortali excusent primi motus, aut defectus advertentiæ malitiæ gravis, vel deliberationis, uti sæpiùs contingit in mulieribus.

33. *Quid, si Pænitens confiteatur desiderasse mortem Proximo, ingens malum sibi inferenti?*

℞. Non peccare, quia justum desiderat. Hinc non peccat qui Latroni, aut Tyranno mortem exoptat; si desiderat infirmitatem peccatori, ut convertatur in illa. Vel si tristetur de bono Proximi inquantum in malum aliorum redundat, vg. ex electione Judicis, aut Superioris, quatenus hac potestate sit abusurus. *Ratio est*: quia hi & similes actus non habent pro objecto malum Proximi, sed bonum honestum aliorum.

Invidia Proximi.

34. *Quid est Invidia?*

℞. Est inordinata tristitia de bono alterius, ut est diminutivum propriæ excellentiæ. Differt ab Odio per hoc, quia in Invidia non tristatur homo de bono Proximi, quia velit malum ipsi, sicuti in actu Odii sed quia falso supponit illud bonum esse diminutivum propiæ excellentiæ & honoris.

35. *Quale est peccatum Invidia?*

℞. Ex genere suo est mortale. Ut docent communiter Doctores, quia opponitur charitati Proximi Datur tamen levitas in illo quæ mensurari debet juxta levitatem & gravitatem illius boni, de quo tristatur. Excusat etiam à mortali sicuti in omnibus aliis peccatis inadvertentia & indeliberatio.

36. *Quid si Pœnitens dicat: se reluctari hujusmodi tristitiæ?*

℞. Talem non peccare graviter, sed ad summum venialiter, si aliquomodo semiplenè consensit; si vero nihil consentire videtur, nec veniale commisit; quia tales actus solent à natura procedere non consentiente ratione. Quod etiam de aliis similibus circumstantiis judicandum est. Ut si quis tentatiònem habeat carnis cui minime consentit, sed potiùs pugnat cum illa, & illam repellit. *Ratio est*: quia tentatio non est peccatum sed occasio peccati, cujus victoria est meritum. peccat tamen qui sponte in his moratur, quia se exponit liberè periculo peccandi.

37. *Quæ sunt signa Invidiæ veræ & falsæ?*

℞. Hæc sequentia ex Busemb. & Castrop. t. 1. tract. 6. 1. Si tristamur de illo, quod nobis æqualis, vel non multum inæqualis habeat incrementum honoris, quasi malum nobis, erit vera Invidia. 2 Nō est vera Invidia, si tristitia sit ex eo, quod nobis desit bonum quod alter habet, ita tamen ut illud alteri non discupiamus, pro tunc enim est æmulatio, quæ si versetur circa honestum erit laudabilis, juxta illud Apost. 1. ad Corinth. 12. *æmulamini charismata meliora.* si vero sit circa temporalia & ipsi dolenti improportionata, erit veniale. Ut si Rusticus doleret se non esse Regem. 3. si tristitia sit de bono alterius inquantum est ille indi-

gnus

gnus hoc bono, non erit Invidia sed indignatio, quæ non est peccatum. 4. Si sit de bono alterius tristitia, quatenus timetur ex tali bono vg. promotione malum sibi vel aliis futurum, non erit Invidia, sed timor, qui non est peccatum nisi sit inordinatus.

In his tamen & aliis similibus quæ non sunt per se peccatum, potest aliquando per accidens esse mortale, si vg. ex promotione indigni argueretur Divina Providentia, vel taliter promoto malum aliquod grave desideraretur &c.

Scandalum Proximi.

38. *Quid est Scandalum?*

℟. Juxta D. Thomam. Est dictum, vel factum quod est occasio ruinæ Spiritualis Proximi; scilicet ex quo Proximus sumit occasionem ad peccandum. Hoc autem est Scandalum multiplex, cujus Divisio jam est descripta Part. 1. Art. de Peccatis in specie, ubi aliqua de hoc peccato invenies.

39. *Quomodo confiteri debet Pænitens scandalũ activum per se ac directè inductivum ad peccatum?*

℟. Non sufficit, si dicat: Scandalum dedi Proximo; sed ulteriùs debet explicare speciem peccati ad quam Proximus inducitur vg. Adulterii. Imo juxta Bonacin. & alios tenetur exprimere statum personæ Scandalizatæ, an sit conjungata vel libera, aut voto castitatis ligata.

In Scandalo activo indirecto & per accidens probabilius etiam hujusmodi speciem & statum debet explicare. Ut docet Felix Pot. tom. 1. p. 2. n. 328. Quia quilibet homo tenetur etiam indirecte cavere ruinam Proximi ex Præcepto Charitatis

tis. De his autem interrogare Pœnitentem pertinet ad prudentiam Confessarii.

40. *An debeat exprimi etiam numerus Scandalizatorum?*

℟. Juxta citatos DD. non deberi sed sufficit si dicat; *Fui occasio peccandi pluribus in tali specie vg. Adulterii*, & si scit in quo statu fuerint, addat, ut plenum habeatur judicium. Nisi sint Scandala diverso tempore & loco facta. quia sicuti erunt plura numero peccata, ita quo ad numemerum circumstantiæ erunt aperiendæ ratione numeri peccatorum.

41. *An Scandalum pro tunc est peccatum, quando ruina non sequitur Proximi?*

℟. Negative, *Ratio est*: quia Scandalum ex sua ratione intrinseca includit ruinam Spiritualem Proximi. Unde quoties non datur talis ruina neq; est Scandalum. Sed cavenda est tamen semper occasio Proximi, quia non possumus esse certi moraliter, an sequatur ruina Proximi, nec ne ex dicto vel facto nostro. Hinc licèt aliquando non sit Scandalum ex defectu ruinæ, non excusatur tamen à veniali.

42. *In quibus circumstantiis Scandalum non est propriè peccatum Scandali?*

℟. Universaliter sicuti immediate dixi, pro tunc dictum vel factum turpe coram aliis non est propriè Scandalum, quando non sequitur ex illo ruina Proximi. In particulari autem in his circumstantiis. 1. Si persona coram qua peccas, sit parata ex se ad idem peccatum. 2. Si persona dans occasionem vg. ad fornicationem, sit ita vilis aut turpis, ut potius tentatum moveat ad indignationē quàm ad peccatum. 3. Si persona præsens coram qua fit dictum vel factum inhonestum, est ita prudens

dens, proba ac timorata, ut potius illa dicta vel facta, sint illi causa horroris, quàm amoris. Ita Castrop. t. 1. tract. 6. disp. 6.

43. *Nota* tamen, quòd licèt non sequeretur ruina Spiritualis ex aliquo dicto vel facto in prædictis casibus & similibus, si tamen consultò ac ex intentione directa aliquem inducere ad actionẽ malam intenderes, peccares illo peccato cujus gravitatis esset illud ad quod inducere attentares. *Ratio est*: quia graviter contra Charitatem Proximi ageres. Hinc peccant qui persequendo alios in bonis actionibus se exercentes volendo eos amovere ab illis, eò quod sint contrarii operibus malignis persequentium, non obstante quod virtuosi propter vexationem illam non cessent à suo proposito. Ita communiter DD.

44. *An peccet Mulier ornans se eximiè, ut virorum aspectibus offeratur?*

℞. I. Si ornet se cum recta intentione juxta qualitatem & statum suum ac communem usũ non peccat. *Ratiò est*: quia facit id, quod est juris sui. Quodsi ornatus esset superfluus, solúm peccaret venialiter, quia hæc superfluitas est ita vulgaris, ut regulariter gravem occasionem ad peccatum non præbeat. Ita Cajet. Bonac. & alii.

℞. II. Si ornatus esset rarus cum excessu notabili, uti foret vg. pectus nudum ubi non est consvetudo, peccaret mortaliter. *Ratio est*: quia ista insolita magis movent. Ubi tamen est hæc consvetudo excusatur â mortali non vero veniali juxta Navar. Tambur. & alios.

Deterrendæ tamen sunt Mulieres à Confessariis ne sua nudent pectora, cùm ista pessima consvetudo in Regno Poloniæ sit potius eliminanda, quam nutrienda. Gravius tamen uxoratis danda

est reprehensio quam Virginibus, cùm enim uxoratæ habeant viros quibus solis placere intendunt, ad quid iste excessus movens alios ad libidinem? Virgines autem possunt excusari quidem à mortali, sed venialiter sæpius peccant, maxime si ad id non cogantur à Matribus.

℟. III. Si Mulier sciat ab aliquo concupisci & tamen in gratiam ejus se ornat, aut sine ulla necessitate se illi sponte offerat peccat mortaliter. *Ratio est*: quia obligatio Charitatis est, ut quilibet teneatur ruinam Proximi vitare, quando cõmode potest, quod etiam intelligi debet & de viris propter paritatem rationis.

℟. IV. Mulier uxorata si se ornet cum intentione ut aliis præter virum carnaliter placeat, peccat mortaliter, quia sic intendit ruinam Proximi. Non sic Virgo nubenda, nisi excessus & prava intentio habeatur. *Ratio est*: quia Virgo cùm sit in potentia ad copulari pluribus, debet licitis modis placere illis, juxta qualitatem personæ, cum nesciat cuinam ex his nubat.

ARTICULUS II.

De Præceptis Decalogi Primæ Tabulæ, scilicet Primo, Secundo, & Tertio,

1. Quia jam in superioribus dictis tam Primæ, quàm etiam secundæ hujus partis plura sunt adnotata dispersim in propriis Articulis quæ pertinent ad Præceptum Decalogi, ideo pro complemento illorum in præsenti pauca adferre licebit.

Pri-

Primum Præceptum Decalogi

2. *Quod est Primum Præceptum Decalogi?*

℟. Juxta illud Exod. 20. est hoc: Ego sum Dominus DEUS tuus &c: *Non habebis Deos alienos coram me.* Et hoc Præceptum partim est affirmativum, partim negativum, ex una enim parte aliquid præcipit, & ex altera aliquid prohibet, prout observat Catechismus Romanus, part. 3. cap. 2. & est sensus hujus Præcepti: *Me DEUM verum coles, & Diis alienis cultum non adhibebis.*

3. *Quæ reducuntur ad Primum Præceptum?*

℟. I Quatenus est affirmativum scilicet: *Me DEUM verum coles*, reducuntur actus Religionis, & illa omnia quæ pertinent ad tres virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem, quibus immediate attingimus DEUM tanquam objectum & ultimum finem nostrum. De his omnibus dictum est parte prima. Art. de Virtutibus. pag. 91.

℟. II. Quatenus vero Præceptum negativum est, scilicet: *Diis alienis cultum, non adhibebis.* prout explicat Catechismus Romanus loc. citt. prohibetur per illud non solum Idololatria & omnis superstitio, sed etiam infidelitas, desperatio, odium DEI, & omne aliud simile peccatum. De Infidelitate dictum est pag. 4. De aliis vitiis sive de Peccatis in specie pag. 33.

4. *Quid est Superstitio?*

℟. Est falsa Religio, seu cultus vitiosus veri, vel falsi Numinis. Ita Lessius. Hæc autem est duplex. *Una* cultus indebiti sive incongrui, quo verus quidem DEUS colitur, sed modô indebitô, qui scilicet esset præter vel contra consvetudinē Ecclesiæ ac præscriptum. *Altera* est ratione rei

cultæ, quando nempe cultus DEO debitus falsò Deo vel creaturæ exhibetur.

5. Hæc *Altera* Superstitio dividitur in Idololatriam, Divinationem & vanam observantiam, ad quam Magia vel revocatur, vel potiús quartam Speciem constituit. Ut docet Layman L. 4. t. 10. cap. 1.

6. *Qui Superstitionem cultûs falsi committit?*

℞. Ille qui agit hæc.

I. Qui offert DEO cultum per ceremonias antiquæ Legis vg. per circumcisionem, Esum Agni Paschalis &c. quia hæc significant Christum adhuc venturum & nondum venisse.

II. Laicus qui DEUM colit tanquam publicus DEI Minister vg. sacrificando, absolvendo &c. quod juxta *Suarez* est semper mortale.

III. Qui sua authoritate proponit aliqua facienda tanquam ordinata ab Ecclesia ad DEI cultum.

IV. Qui falsas reliquias proponit venerandas.

V. Qui fingit aliquod factum miraculum per imaginem, sive causa lucri, sive etiam ad devotionem augendam.

VI. Qui fingit aliquas se habuisse revelationes Divinas.

Quæ superstitio quamvis ex genere suo sit mortalis, quia Primæ veritati injuriam irrogat, & Religionem fundat in mendaciis, sæpe tamen excusatur per ignorantiam & simplicitatem, Ut advertunt Lessius, Sanchez & Layman.

7. *Qui Superstitionem cultûs superflui facit?*

℞. Qui agit hæc.

I. Qui ceremoniam habet audiendi Missam vg. ante ortum solis, cum certo numero, situ, & ordine cereorum, vel Sacerdotis, qui vg. dicatur Joannes, hic enim cultus est inanis.

11. Jejunare die Dominico, cúm non jejunas aliis diebus. Item in Missa plures collectas dicere contra Rubricas, vel addere Alleluia, aut Kyrieeleyson dicere 12. in honorem 12. Apostolorum & aliæ similes ceremoniæ denotant Superstitionem cultûs superflui. Si tamen bona intentione fiant venialia sunt ordinariè propter levitatem materiæ Ut docet Navarr. & Layman.

8. De Idololatria dictum est part. 1. quæ sicuti non est in Regno Poloniæ, ita de illa minus prolixe danda est doctrina.

9. *Quid est Divinatio?*

℟. Est invocatio Dæmonis tacita vel expressa ad habendam ab illo opem, ut noscat res contingentes & libere futuras, aliter occultas & naturaliter incognoscibiles. Quæ res si sint, quas solus DEUS scire potest, involvitur tacita Idololatria, quia protunc Dæmoni tribuitur cultus Divinus.

10. *Quotuplex est Divinatio?*

℟. Duplex. Una in qua habetur invocatio vel pactum expressum cum Dæmone, & hæc vocatur generali termino *Necromantia*. *Altera* est, in qua habetur invocatio & pactum tacitum seu interpretativum cum Dæmone.

Prima solet esse, cùm Demon per se docet occulta, vel per Pythones Arreptitios, præstigias. aut per personas mortuorum apparentium, vel alia signa in aere, aqua, igne, speculis &c.

Secunda solet fieri, dum ex linea mentis corporis, vocibus, garritu avium & similibus quibus se Dæmon immiscere solet, quæritur cognitio.

11. *An explicandi sunt modi talis Divinationis in Confessione?*

℟. Explicandum est, an fuerint cum expresso

vel

vel tacito pacto Dæmonis? quia illa invocatio tacita & expressa. sive mutent speciem, sive non, de quo non concordant DD. notabiliter tamen mutant judicium Confessarii.

℟. II. Non esse necesse explicare quod fuerit cognitio rerum ex speculo, aere &c. quia ista neq; mutant speciem, neq; habent specialem malitiam. Ita Layman Sanchez Bonacin. & alii apud Busemb.

12. *Quale sit peccatum Divinatio?*

℟. Ex genere suo est mortale, præsertim cum explicito pacto Dæmonis, ut docent communiter DD. Si vero sit cum implicito pacto potest aliquando excusari à mortali per simplicitatem aut ignorantiam invincibilem.

Non solum autem peccat Divinans, sed etiam ille qui Divinationem consulit, ut si vg. Pythonissam aut alium de futuro eventu suæ fortunæ consulit, & præsertim si firma fide id faciat, quia hoc ipso facit injuriam DEO, & aliquomodo avertit se ab illo, & convertitur ad ejus hostem Diabolum. Venialiter autem peccare sentit Sanchez illum qui ex risu & levitate faciat.

13. *Quæ universaliter continent Divinationem?*

℟. Illa omnia quorum attentâ naturâ, nullã habent connexionem cum effectu ut vg. si quis ex adventu Sacerdotis in partu Mulieris, dicat moriturum infantem, aut quid simile minus connexum. Hoc enim in omnibus superstitionis speciebus Confessario observandum erit. Quod peccatum satis est frequens inter Mulieres plebeæ cõditionis.

14. *An Mulieres illæ sint superstitiosæ, quæ divinant & prædicant futura aut præterita ex cognitione herbarum, vg. cum invocatione nominis DEI, aut Sanctorum?*

℟.

℞. Affirmativè *Ratio est*: quia tam herbæ quã preces nullam habent connexionem cum præscientia rerum. Unde cautus in his sit Confessarius, neq; de facili credat Sanctissimis Verbis Nominis JESU vel MARIÆ, quæ solent invocare vetulæ; quia ista solet permittere Dæmon, ut sic ejus latens occultaretur fraus & astutia.

15. Similiter superstitiosæ sunt, quæ vg. carbones immergunt in aqua pro doloribus infantum mitigandis, cum certo numero precum, quæ inspirant in faciem puerorum &c. hæc enim & alia similia quia nullam habent connexionem cum effectu secuturo, sunt superstitiones. Quodsi Confessarius dubitet de occulta virtute rerum applicatarum? attendat ad modum. an non sit superstitiosus, ex quo poterit devenire in cognitionẽ rei factæ.

16. *Quæ sunt licita sine suspicione Divinationis?*

℞. Hæc seqventia.

I. *Physognomia* quæ ex vultûs dispositione, habitudine corporis & membrorum, cognoscit res futuras naturales.

II. *Chiromantia*, si ex lineis & partibus manuum consideret temperiem corporis, imo etiam animi propensiones. Busemb. l. 3. t. 1. cap 1.

III. *Metoscopia* quæ ex frontis lineis considerat capacitatem ingenii, longitudinem vitæ probabiliter. Non vero quæ certo determinet tempus vitæ, quia sic non potest naturaliter cognosci sine periculo falsi.

IV. *Divinatio* quæ ex somniis conjecturat hominis complexionem, & ex illa affectiones animi diurnas; quia somnia debent esse naturalia complexioni sagvinolentæ, cholericæ, phlegmaticæ aut melancholicæ.

V.

V. Item alia cognitio quæ ex avium volatu, voce, aut piscium apparentia deducit serenitatem, aut pluviam jam aliquoties experimento comprobatam.

VI. *Astrologia* Naturalis, quæ effectus corporeos, uti sterilitatem, morbos, & similia prædicit. Imo quæ ex puncto nativitatis alicujus prædicit affectiones animi &c: Ita Less. L. 2. cap. 43 d. 7.

17. Illicitæ vero sunt omnes prædictæ Divinationes, si ex illis prænuntiantur illa adquæ non sunt proportionata, ut sunt effectus contingentes, & liberi aut quæ pertinent ad dona gratiæ, Divinæ, divitias, nuptias &c. quia isti effectus dependent à libera determinatione voluntatis Divinæ & humanæ. Videatur Bonac. dis. 3. q. 5. p. 3. Suarez Sanchez. Lesius loco cit.

Hæc addidi ut indiscriminatim non judicet Confessarius de omnibus tanquam malis, sed sciat verum à falso, & bonum à malo discernere.

18. *Quid est vana observantia?*

℞. Est illa superstitio, qua mediô aliquô improportionatô & à DEO non institutô procuratur aliquis effectus vg. Sanitas, scientia &c. Ita D. Thom. 22. q. 96. Art 1. Differt à Divinatione, quia hæc tãtũ ordinatur ad cognitionẽ occultorũ Vana autem observantia ad effectum externum. Utraq; autem convenit in hoc: quod ambæ includant pactum cum Dæmone implicitum vel explicitum. Et quod ei tribuant perfectionem DEO propriam.

19. *Quotuplex est vana observantia?*

℞. I. Est duplex sicuti & Divinatio, *Una* cum pacto explicito, *Altera* cum implicito Dæmonis.

℞. II. Item Vana observantia dividitur, in quatuor species. Est enim 1. Ars. Notoria. 2. Magia, 3. Observatio Eventuum, 4. Observatio sanitatum

Ars Notoria Est illa, quæ inspectione certarũ figurarum, vel certo aliquo jejunio, oratione &c. utitur ad scientiam repente & sine labore acquirendam.

Magia: est illa, quæ versatur circa corpora varie immutanda, aliosq; effectus mirabiles.

Observatio eventuum: est illa, qua ex consideratione alicujus eventus conjicitur quid sit futurum? Ut vg. itineranti si occurrat in via cum pleno vase, prognosticat sibi aliquis faustum iter, si lepus, infelicem eventum, & alia hujusmodi, per quæ vanè diriguntur aliquorum actiones.

Observatio sanitatum: est illa, per quam adhibentur aliqua signa, orationes, certus numerus Crucis &c. tanquam necessaria & efficacia ad expellendos morbos. Item gestatio reliquiarum cum vana circumstantia, vg. in tali capsa, tot diebus, cum tali herba &c. Ita Sanchez c. 40. & alii.

20. *Quale est peccatum Vana Observantia?*

℞. Sicuti Divinatio est ex genere suo mortale. *Ratio est*: quia tribuit honorem Divinum creaturæ, expectando ab ea id, quod à solo DEO expectari debet. Tum quia in illa intercedit pactum explicitum vel implicitum cum Dæmone, ita Lessius Bonac. q. 5. p. 4. & alii.

Potest tamen excusari à mortali, ratione ignorantiæ, vel si his non adhibeatur fides; in hac enim Vana observantia illæ causæ excusant à mortali, quæ etiam excusant in aliis speciebus superstitionis de quibus supra dictum est.

Hîs regulîs, divisionibûs, & doctrinîs facile poterit Confessarius regulare quoscunq; Casus in hac materia occurrentes quó ad praxim; à generali enim regula sumenda est semper informatio ad praxim & particulares eventus inclusos in illa.

Secundũ

Secundum Præceptum Decalogi.

21. *Quod est Secundum Præceptum Decalogi?*

℟. Juxta illud Exod. 20. *Non assumes Nomen Domini DEI tui in vanum*. Quod sicuti & primum partim est Affirmativum partim Negativum, nam dum negative prohibet assumere Nomen Domini in vanum, vel scilicet falsò jurando, vel irreverenter usurpando, polluendo, aut contemnendo, hoc ipso affirmative præcipit, debitam Divino Nomini reverentiam esse exhibendam.

22. *Quæ prohibentur hoc Præcepto?*

℟. Ne scilicet Nomen DEI vanè & irreverenter assumatur. 2. Ne falsò juretur. 3. Ne in levissimis rebus Nomen DEI in testimonium adducatur, ut solent Poloni dicere: *Ut DEUM amo*, vel alia similia, abusivè Nomen DEI assumendo. 4. Blasphemia contra DEUM & Sanctos. 5. Vota vovendo, & non reddendo. His enim omnibûs præcipitur Honor debitus Divini Nominis, quod est Sanctum & terribile.

23. Quià autem tam de juramento, quam blasphemia, votò, & aliis ad hoc Præceptum reducibilibus, jam dispersim suis in locis dixi supra, ideoq; illa hic non repeto. Sed quia novi in Polonia freqventissima peccata esse contra hoc Præceptum, quæ plane in consvetudinem pravam devenerunt. ideo brevissime aliqua de illis narrabo.

24. *Blasphemia* quid sit, & quotuplex? dictum est part. I. Art. de Peccatis in specie. Nunc vero adducam solúm qui, & quibûs modîs censendi sunt blasphemare?

I. Blasphemat, qui contra DEUM maledicit, licèt nihil dicat verbîs, sed solùm strideat dentibûs, imo sola mente committi poterit blasphe-

mia,

mia, si contra D. Providentiam quis cogitabit contumeliosum.

II. Qui dicit se aliquid acturum invito, & nolente DEO. vel si dicat DEUM esse Tyrannum injustum, nolle aut non posse nos juvare. Vel non omnia à DEO bene esse ordinata, vel aliqua potuisse melius fieri in creatione. Vel (ut quidam Nobilis congregans triticum in Palatinatu Sandomiriensi exurgente nebula) dicat: Quòdsi Fæmina regeret orbem, melior esset dispositio &c. & alia hujusmodi similia; quæ etiamsi ex ira, vel desperatione effutiantur, erunt blasphemia hæreticalis, seu cum hæresi conjuncta. Et hæc exprimi debet in Confessione, quia specie differt à blasphemia purè Imprecativa. Ut docent communiter Doctores. Svadendum etiam erit Confessario taliter cõfitentibus, ut in similibus peccatis agnito desperationis errore statim illum conentur retractare.

III. Blasphemat, qui in Sanctos vel *S*acra contumeliosus est, non quatenus homines sunt, sed inquantum Beati & cum quadam habitudine saltim virtuali ad DEUM. Unde non est blasphemia si *S.* Crispinum quatenus viator fuit, vocet quis sutorem. Hæc blasphemia contra Sanctos admittit aliquando parvitatem materiæ, licèt contra DEUM non admittat.

IV. Blasphemat, qui injuriosè usurpat membrum Christi, vg. perdat te sangvis, aut mors, aut Vulnera Christi, Sacramenta &c. *Ratio est:* quia ista omnia sunt instituta non ad perdendum, sed ad salvandum. Et qui talium verborum consvetudinem habet, tenetur sub mortali serio illam tollere, & si in his negligens sit, & Confessarius observet, poterit ei negari absolutio cum discretione. Ita Layman t. 2. cap. 3. n. 6. cum aliis.

V.

V. Est adhuc Blasphemia frequentissima in Regno Poloniæ, scilicet. abusus sententiarum S. Scripturæ, nam doctiores homines solent ad quæque levissima & aliquando illicita dicta, adferre Verba Sacra Bibliorum. Quod in aliis partibus coram Inquisitoribus Fidei severè puniri solet.

25. De juramento vide Par 1. Art. de Peccatis in specie, & in hac 2. Par. de Regulis Confessarii, De Voto pag. 185.

26. *Quid sentiendum de Kabala, quæ his temporibus cæpit gliscere in Regno Poloniæ?*

Ante Responsionem.

Nota I. Kabalam derivari ab Hæbraico nomine *Kibel* quod idem significat, ac *recepit.* Hæc ars est satis universalis; nam apud orientalem populum, omnis scientia consistens in Arcanis, vocabatur apud Judæos Kabala. Proprie tamen apud Hæbreos Kabala sumebatur pro mystica S. Scripturæ expositione, ut jam supra dictum est Pag. 390. quæ ibi dicta, hìc in memoriam revocentur.

Nota II. Quòd nuper in Regno Poloniæ cæpit practicari Kabala, sive Ars in Arcano Arithmeticæ consistens; ita, ut hujusmodi Kabalistæ proposita sibi Quæstione de re occulta, dent responsa deducendo ex numeris respõsionis Literas; ex Literis versus. Et quod majus est: tales Kabalistæ, ad ostendendam suæ artis perfectionem, aliquando visi sunt Varsaviæ, Lublini, & Leopoli in Contractibus hoc Anno 1759. dare responsiones ad Quæstiones occultas, & mente retentas; interrogando solùm curiosos homines, quot sint Literæ in unoquoq; verbo Quæstionis mente retentæ? quo numero adnotato, & facta calculatione, ad mentem responderunt interrogantis

Nota III. Quòd Artes Divinatoriæ sunt illæ; quæ

quæ futura prædicunt ex aliquibus rebus, quæ nullam connexionem habent cum effectu, & tales artes damnatæ sunt ab Ecclesia, sive fiant cum pacto Diaboli, sive non; sive tales Divinatores appromittant se certò & infallibiliter prædicturos, sive sub dubio secuturi eventus ab illis prædicti, se protestentur suas prædictiones fecisse. Ut videre est in Bullario Romano, Constit: Sixti V. quæ incipit *Cæli & Terræ*. Annô 1585. die 5. Januarii. Urbani VIII. Constit. quæ incipit. *Inscrutabilis*. Annô 1621 die 30 Martii. Alias Constitutiones omittendo, uti est Innocentii VII. *Summis* Leonis X. *Honestis* Adriani VI. *Dudum* &c.

Excipiuntur solùm tres artes Divinatoriæ ab hac prohibitione in Constit: Sixti V. § 2. scilicet circa Agriculturam, Navigationem, & Medicinam. *Ratio est*. quia Medicus ex signis in infirmo sibi bene notis, tanquam indiciis naturaliter cum sanitate, vel morte futura connexis, potest hæc prædicere. Similiter Astronomus ex Astris pluviam, &c. Cæteræ vero Artes Divinatoriæ quomodocunq; fiant, sunt damnatæ ab Ecclesia, ut legenti constat, citatam Constitutionem Sixti V.

Nota IV. Quòd nomen Kabalæ non est damnatum ab Ecclesia, cum in Ecclesia Kabala est: *Mystica & Symbolica S. Scripturæ Expositio*, qua etiam Expositores Catholici usi sunt. Et ideo Gerson excitans hanc antiquissimam apud Chaldeos artem propter arcanum Aritchmeticæ voluit illam cum suis Sequacibus hoc licito nomine palliare, & Kabalam vocari.

Nota V. In aliqua arte suspecta, potest intervenire duplex Pactum cum diabolo. Unum *Explicitum*, dum homo expresse facit Conventionem cum Dæmone, qui ei narrat res occultas; aliud *Implici-*

Implicitum. quod licet Divinator expresse non faciat, quia tamen hæc Ars vel descendit ab authore diabolo, vel quia primus ejus author fecit expressum pactum cum Dæmone. Sic faciunt sagæ communicando arcana diabolica suis liberis. In quo casu homo exercens artem Divinatoriam, est securus in Conscientia nullum habere commertium cum Dæmone; nescit tamen dare rationem suæ artis, cur ipsi ita succedat. Hoc prænotato; ad quæsitum.

Respondeo

Kabala gliscens nunc in Regno Poloniæ, quæ tota versatur in numeris, ex quibus deducendo Literas, futura prædicit, præterita narrat, præsentia quantumvis occulta manifestat, est ut suspecta damnata ab Ecclesia; adeoq; tam hujusmodi Kabalistæ, quam vanis curiositatibus dediti homines sciscitantes futura, rigide à Confessariis sunt admonendi. *Ratio est*: ex citatis Constitutionibus Sixti V. Urbani VIII. quæ videantur per extensum in Bullario Tom. 2. & 3. *Tum quia* futura, & maxime libera prænoscere est proprium soli DEO, juxta illud Isaiæ Cap. 41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Tum quia ex praxi Kabalistarum cognoscitur fraus & astutia; nam quod verbum Quæstionis mente retentæ habeat vg. 6. Literas, nihil certi per Arithmeticam potest deduci, siquidem verba contraria possunt esse ejusdem numeri vg. *Zgubil*, *Ukradl*. Quare ergo Kabalistæ potiùs non respondent de furto, quam de re perdita? *Tum quia*: Si ista Kabala fuisset licita, licitum foret sciscitari unicuiq; de actionibus occultis proximi sui, & sic

inter

inter conjuges & aliæ Conditionis homines fuissent innumeræ rixæ, sinistræ suspitiones &c. *Tum quia* licèt Chiromantia ex rugis, & lineis in palmis, & metoscopia expressis habeat majorem connexionē ad futuros hominis naturales eventus, quàm Kabala ex numero Literarum, tamen damnata est ab Ecclesia, ut pote plurimorum malorum occasio: ergo à fortiori Kabala. *Tumquia:* species Idololatriæ est, Christianum hominem à Kabala sciscitari occultas res, & futuros eventus. Hoc enim antiqui Gentiles faciebant, falsos Deos in his consuentes.

Si dicas: Hæc Kabala exercetur in Italia, Gallia & aliis Regnis: ergo non est illicita, & damnata ab Ecclesia.

℞. Utiq; luxuria in Italia, Ebrietas in Polonia, Machiavelismus in Gallia, exercentur, ergo jam sunt licita? Sicuti enim ubiq; reperiuntur perversi homines, ita & eorum artes, non est igitur mirum, si Kabala exercetur in aliis partibus clandestinè, sed hoc attendendum est, cur in Academiis & Scholis publicis non exerceatur; sicuti aliæ artes? Nonne ideo, quia est prohibita? Omitterentne gymnasia docere tam curiosam scientiam?

Si dicas: Kabala interrogata de Christo, benè confitetur illum: ergo nulla est suspicio de peccato cum Dæmone.

℞. Utiq; Lucæ 4. v. 41. leguntur Dæmones prohibiti etiam à Christo confiteri eum Filium esse DEI. *Tum quia:* Dæmonum fraudes sunt innumeræ, qui ut mala sua occultent, sæpius bona pro medio suæ astutiæ assumunt, ut patet in Sagis, quæ ad superstitiones suas, orationes ac Verba Sancta admiscere solent. *Tum quia* etiamsi Kabala esset prorsus aliena à Commercio occulto Diaboli, adhuc

huc est illicita propter prohibitionem Ecclesiæ, & alia mala ex ipsa secutura, ut supra probavi.

Hæc addidi, ut sciat Confessarius, quid judicet de hoc novo Poloniæ peccato, de quo vix in aliquo invenire poterit Casuista. Cui ideo aliquas pro & contra injunxi rationes, ut defensoribus Kabalæ respondere possit. Plura de hac arte Kabalistica tradidi in meo tractatu Theologico, quem publicæ Disputationi Leopoli Annô 1759. exposui.

Tertium Præceptum Decalogi.

27. *Quod est Tertium Præceptum Decalogi?*

℟. Esse hoc: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices.* Hoc Præceptum est ideo datum â DEO, ut saltim una die in hebdomada abjectis sæcularibus curis, vacemus laudi Divinæ. Hunc autem diem sanctificandum mandavit ideo, quia Gen. 1. legitur hoc die Creator requievisse ab omni opere quod patrarat, benedixitq; ei & sanctificavit illum.

28. *An hoc Præceptum sit de lege naturæ?*

℟. Esse quidem de lege naturali quo ad substantiam, ut scilicet: aliquo tempore reddamus honorem DEO, ità ut simus alieni à curis sæcularibus & laboribus quotidianis, hoc enim nobis ratio dictat. Non est autem de lege naturæ, ut hoc die & non altero dies sanctificatus sit, & festivus, quia nisi expressum habeamus Præceptum nullâ ex lumine naturali habere possemus hujus temporis notitiam. Ita communiter Theologi.

Unde ex speciali instinctu Spiritus S. Apostoli loco diei Sabbathi diem Dominicam assignarunt observandam, ut patet Apocal. 1. dicente Joanne: *Fui in Spiritu in Dominica die.* Ratio hujus translatio-

lationis fuit: 1. In memoriam Resurrectionis Christi. 2. Ne videremur convenire cum Judaismo. 3. Ut sciat reddere Confessarius rationem Judæis ex S. Scriptura desumptam, assigno tertiam rationem ex illo Isaiæ 66. ubi Propheta postquàm versu 11. tempore adventûs Messiæ disseruerit in Persona DEI de creatione novorum Sacerdotum, subdit v. 23. *Et erit mensis ex mense, & Sabbathum ex Sabbatho.* Quid clariús his verbis contra Judæos?

29. *Quæ opera sunt probibita fieri die Dominica?*

℟. Juxta communem sententiam DD. omnia opera servilia, & quæ versantur circa materiam externam, ut vg. secare &c. sive illa fiant ex lucro, sive ex recreatione, minus excusant à peccato; ut docet Suarez Laym.

30. *Quæ Artes exerceri possunt, & quæ non in die Festo?*

℟. Artes liberales licitè exerceri possunt, quia hæ principaliter occupant liberam mentem hominis, licet aliquando sint etiam cum defatigatione corporis. Artes vero Factivæ & Mechanicæ non non possunt licitè exerceri die Festo, quia hæ sunt servilia opera cum defatigatione corporis, & principaliter manent in sensibus.

31. *Quæ sunt Artes liberales & quæ Mechanicæ sive Factivæ?*

℟. Artes Liberales communiter numerantur septem, hoc versu expressæ:

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Sónus, Angulus, Astra.

Ex quo deducitur, Artem Oratoriam, discursivam, Arithmeticam, Musicam, Geometricam, Astronomicam Mathematicam &c. esse licitam quò ad exercitium die festo, quia istæ Artes magis

mentem occupant, quàm ſensus coporales, ſeu ipsum corpus defatigant.

Artes Mechanicæ ſive Factivæ, ſunt pariter 7. hoc versu expreſſæ.

Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates.

Ex quo deducitur, illicitam eſſe die feſto Agriculturam, Venationem, Artem militarem, Fabrilem, Chirurgicam, Textoriam, & Nauticam, & præsertim quo ad illas partes, quæ ſunt opera ſervilia.

32. *Quæ opera in ſpecie ac in individuo ſunt licita die feſto?*

℟. Hæc ſequentia.

I. Ludere, choreas ducere, inſtrumenta muſica pulsare, iter facere, pedibus, curru, equo, vel navi: dummodo tale iter non ſit ſervile opus vg. cum mercibus. ita Navar. Tolet Laym. & alii. Quòdſi iter cum mercibus ſit inceptum ante feſtum, licitum eſt illud continuare etiam die feſto ob publicam neceſſitatem, vel damnum ex inde emergens, ſi interrumperetur. Ita DD. citt.

II. Licitum eſt ſive gratis, ſive pro pretio ſtudere, docere, imo juxta Armillam Layman. & alios, pingere etiam coloribus, terere tamen colores, aut tingere pannos, dealbare aſſeres non eſt licitum.

III. Videntur etiam excusabiles Typographi Literarum collocatores, præsertim poteſt Divina, ut habet Layman. Imprimere tamen Literas eſt ſervile, quia hoc opus non eſt mentis, ſed fatigatio corporis.

33. *Quæ opera in ſpecie & in individuo ſunt illicita?*

℟. I. Omnia illa quæ feriali tempore ex cen-

su solent fieri. Ut est secare ligna, frumentum ex campo adducere &c. quæ maxime in his partibus practicari videmus.

II. Illicita sunt quædam opera non servilia, quæ dicuntur forensia. Ut sunt mercatura, judicium ad pænam vel mortem, & omnis strepitus judicialis, qui ad decisionem causarum tam civilium, quàm criminalium, tam sæcularium quàm Ecclesiasticarum spectat. Ita communiter DD.

34. *Cui imputandum peccatum, si subditi violent Festa?*

℟. Si inviti id faciunt, sed ex mandato Domini præcipientis, certum est quod soli Domini mandantes peccent. *Ratio est*: quia non est peccatum nisi voluntarium. *Si* vero ex suo arbitrio laborant publicè, uti solent Rustici post prandium in Augusto ad horreum deducere manipulos, peccant principaliter ipsi soli subditi, sed Parochus & ipse Dominus minime excusantur à peccato. *Ratio est*: quia sunt superiores, adeoq; si possunt corrigere & negligunt, participes sunt illius mali.

35. *Nota* I. Quòd in omnibus terrarum partibus adsunt in unoquoq; Regno, & Provincia, familiaria peccata. Sic in Italia libido. In Gallia astutia & fraus, in Regno autem Poloniæ ebrietas, & violatio Festorum, quæ peccata ita solent publicè patrari, ac si nullum foret Præceptum negativum illorum, & jam plane in consvetudinē transierunt.

39. *Nota* II. Quòd ex nullo magis peccato scandalizantur Judæi, ut ego ipse audivi, quam ex violatione Festorum, quæ fieri solet à Christianis, & quidem ita, ut scandalum illorum sit nobis in interritum & condemnationem. Jactant illi seipsos esse, in exilio extra Patriam suam, & tamen

men posse observare sua festa cum omni rigore, quinimo servos Christianos die Sabbathi in gratiam festi sui liberant ab oneribus laboriosis. Quam igitur excusationem habebunt Catholici Domini, qui tot subditos ad laborandum habent expeditos, nulli tamen dierum festivorum parcunt?

37. *Nota* III. Quòd ideo hæc addidi, ut sciat novellus Confessarius admonere sæculares quò ad observantiam Festorum, & omnem conatum adhibeat, ut possint hanc pessimam consvetudinẽ de medio tollere, aliàs si in his peccatis debitam admonitionem omiserit, sciat se in DEI Judicio redditurum rationem. Neq; enim desperandum est Ministro Christi, quod ejus admonitio suùm non sortiatur effectum; ad ipsum enim pertinet docere, castigare, & mederi; ad pœnitentes autem exequi: si eis non dixisset, peccatum non haberent, nam ut plurimum Rustici & rudes non attendunt an liceat, sed quia alios vident impunè similia facere; quo & ipsi promptiores redduntur.

Plura de his Sect. IV. de Præceptis Ecclesiæ dicentur inferiùs.

ARTICULUS III.

De Quarto Præcepto Decalogi.

1. *Quod est quartum Præceptum Decalogi?*

℟. Esse hoc: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam.* Cujus promissio subditur Exod. 20. *ut sis longævus super terram*, sæpius enim DEUS punit filios inobedientes suis Parentibus, aut brevi vitâ, aut in filiis filiorum. Sæpissime vero experimur illos puniri eadem pœna, ita ut etiam illi seniò confecti, inobedientes sibi reperiant filios.

2.

2. *Qui comprehenduntur nomine Parentum & Filiorum?*

℞. Nomine Parentum comprehenduntur non tantum secundum carnem Pater & Mater, sed etiam omnes alii Superiores & Professores, hi enim omnes sunt Parentes secundùm Spiritum. Nomine vero filiorum intelliguntur etiam discipuli & subditi, Sicuti enim honorandi sunt Parentes carnales, quià dederunt vitam carnalem, ita Professores & Magistri qui tribuunt vitam Spiritualem; Magis tamen peccat, qui Parentes non honorat, quàm ille qui suis Professoribus detrahit & contumax existit, ut dicetur inferiùs.

3. *Quid per honorem Parentibus debitum intelligitur?*

℞. Juxta Catechismum Romanum & omnium DD. sententiam, intelliguntur hæc tria. Amor, Reverentia, & Obedientia. Addunt aliqui sustentationem Parentibus indigentibus subministrandam, sed hæc facile reducitur ad amorem eis debitum. His itaq; tribus Pietatis officiis, potest tam filius respectu Parentum, quàm subditus respectu Superiorum peccare per oppositos actus. Semper tamen major obligatio erit illas tres virtutes exercere erga Parentes, quàm Superiores & Magistros, ut pote sibi conjunctissimos à quibus vitam & esse suum post DEUM acceperunt liberi.

4. *Quomodo & quot vicibus contra Amorem peccat Filius?*

℞. Si signa odii Parentibus ostendat, & asperè Parentes suos tractet.

II. Si ex malitia consultò contrarium mandatis eorum faciat.

III. Si torvô oculô illos aspiciat, ac ita asperè loquatur ad illos, ac si odio haberet eos.

IV.

IV. Si non subveniat in gravi eorum necessitate corporali aut Spirituali.

V. Si grave malum vg. mortem illis exoptet.

VI. Si non impleat ilorum testamenta & legata, à quibus lege non excusantur. In his omnibus pro gravitate delicti peccat mortaliter. Ita Busemb. Navar. Reiff. & alii.

5. *Quomodo & quot vicibus peccat contra Reverentiam Filius?*

℞. I. Si percutiat etiam leviter suos Parentes. Imo si tantùm manū deliberate ad percutiendum attollat.

II. Si animô deliberatô ad gravem iram eos provocet, verbîs aut factîs, quibus prævideat graviter fore offendendos.

III. Si maledicta, convitia, contumeliosa verba in eos conjiciat.

IV. Si in foro externo illòs accuset etiam de vero crimine. Excepto tamen crimine hæresis, proditionis, aut conjurationis in Principem; si non habebit alium corrigendi modum, & ex zelo, non pravo animo id faciat.

V. Si deliberate quocunq; modo illos graviviter contristet.

VI. Si pauperes despiciat, vel nolit agnoscere. Quodsi tantùm exteriùs se illos novisse dissimulet ex justa causa, dummodo eis provideat de necessariis, excusatur à mortali. Juxta Bonac.

6. *Quomodo & quot vicibus contra Obedientiam peccat Filius?*

℞. I. Graviter peccat si sit inobediens circa illa, quæ pertinent ad gubernationem Domûs, bonos mores, vel animæ salutem.

II. Si contra voluntatem Parentum ducat uxorem se indignam. Indigna vero dicitur, cum qua

non potest contrahere matrimonium sine dedecore, juxta usum suæ Regionis, ut in nostra Polonia, si ignobilem ducat Nobilis.

III. Si absq; justa causa nolit eam ducere quā vult Parens, maxime si per tale Matrimonium sopirentur odia, & levaretur Parentum necessitas. Justa vero causa est, si sit deformis, fatua &c. ad quam non sentiret affectum.

IV. Si nubat Parentibûs inconsultîs. Quos tamen si consuleret, poterit nubere etiam negantibus, cum sit Dominus in electione sui statûs, maxime cum digna.

V. Si Parentibûs summe indigentibûs, & negantibûs ad sustentationem sui, ingrederetur Religionem.

7. *Quomodo Filius ad sustentandos Parentes obligatur?*

℞. Tenetur jure naturali. Et ideo si sint in extrema necessitate Parentes, & Filius jam sit ingressus Religionem ac professus, tenetur egredi, petitâ prius licèt non obtentâ licentiâ à suis Superioribus. Quodsi tantum in gravi necessitate fuerint constituti, in qua utcunq; possint vivere, tunc Filius quidem egredi non tenetur, poterit tamen, si Prælatus sui Ordinis permittat, & adsit certa spes quod egrediens possit eis subvenire. In quo casu teneretur habitum Religionis deferre, & postquàm subveniret, iterum ad Monasterium regredi. Ita Lessius.

8. *An filius possit ingredi Religionem invitis Parentibus?*

℞. I. Si sint in extrema necessitate positi, non potest, juxta immediate dicta. *Ratio est* quià lex naturalis & Divina per quam obligatur Filius subvenire Parentibus prævalet Professioni Religiosæ.

℞. II.

℞. II. Imo etiamsi Parentes sint in gravi solùm necessitate, non potest ipsis invitis ingredi Filius Religionem, propter rationem superius datam. Nisi adsit illi periculum salutis, si in mundo permaneret. tunc enim amor propriæ salutis præva. let omni bono temporali Parentum suorum, & amore illorum.

℞. III. In aliis autem casibus semper Filius est liber in eligendo sibi statu negantibûs Parentibûs. Ut docet D. *Thom.* 22. q. 18. Art. 1.

9. *Quæ est obligatio Parentum erga Filios?*

℞. Jure naturali obligantur ad hæc tria respectu liberorum. 1. Ad alimentum necessarium, 2. Ad instructionem in fide, Religione & bonis moribus. 3. Ad curam, studium, & diligentiam ut in certo vitæ statu pro conditione personæ collocentur. Nomine autem Parentum, non solùm intelligi debent Genitores Prolis, sed maxime in defectu horum, intelliguntur etiam Avus, Proavus & alii ascendentes, Ita communiter DD.

10. *Cui Parentum & quando incumbit alere Prolem?*

℞. Juxta communem sententiam, ad Matrem pertinet alere Filios & Filias, usq; ad finem tertii anni. Post triennium vero liberorum educatio usq; ad emancipationem spectat ad Patrem. In Regno tamen Poloniæ usus invaluit, ut educatio Filiorum ad Patrem, Filiarum vero ad Matrem pertineat, qui modus non est vituperabilis, cum Mater melius possit cognoscere proclivitatem suæ Filiæ, & ejus necessitati familiariùs subvenire. In hoc tamen vituperandi sunt Poloni, quòd in aliquibus Domibus Patres totaliter se excusant de expensis circa Filiarum educationem, maxime illi qui annuos reditus recipiunt de suæ Uxoris dote.

11. *An*

11. *An Pater teneatur curare alimenta non tantum suæ Proli legitimæ, sed etiam spuriæ?*

℟. Affirmativè. In hoc enim Jus Civile à Canon co est correctum cap *Cum haberet. Ratio est:* quià communiter; qui dat esse, dat etiam illa quæ consequantur ad esse. Porro alimenta sunt consequentia ad esse vitæ spuriæ prolis, cui vitam dedit Pater. Non enim leæna reliquit sine cibo suum catulum, cur autem homo sit hac in re pejor brutis?

12. *Quomodo peccet Pater dilapidando bona fortunæ?*

℟. Si per talem dilapidationem reddat se impotentem ad educandam honestè suam prolem juxta statum suum, peccat graviter contra charitatem & justitiam. Similiter peccat, si absq; legitima causa Filiæ suæ dotem neget, vg. quià est ingressa Religionem, vel quià nupsit Parentibus suis invitis. Ita Bonac. d. 6. q. 1, p. 6.

13. *An Filius possit aliquando privari à Patre hæreditate?*

℟. Potest ex justa tamen causa in testamento expressa. Causæ vero justæ talis privationis sunt sequentes:

I. Si Filius fuerit ingratus Patri, afficiendo eum gravi injuria.

II. Si vitæ Patris fuerit insidiatus, vel manus in illum injecerit.

III. Si Maleficis se immiscuit. Ita Bonac. Sanchez & alii.

IV. Si Novercam sive Patris Uxorem carnaliter cognoverit.

V. Si Patri amenti aut in carcere detento noluerit succurrere.

VI. Si Patrem impediverit testari.

VII. Si bona Parentum dilapidaverit cum gravi illorum dispendio.

IX. Si Filia minor 25. annis luxuriosam vitam elegerit, poterit illi denegare dotem Pater.

Hæ autem causæ protunc valent, quando Filio provisum est aliunde unde vivat: nam alimentis ad vitam necessariis privari non potest per jus civile, cum debeantur jure naturali.

14. *Ad quid obligantur Tutores & Curatores (qui sunt loco Parentum) respectu pupillorum?*

℟. Ad hæc sequentia, & quidem tam in foro externo, quàm interno, seu in conscientia & coram DEO, ac Judicio humano.

I. Tenentur bona pupilli fideliter administrare, unde si in hoc sint notabiliter delinquentes & negligentes, tenentur ex bonis propriis ad compensationem damni, exinde pupillo emergentis.

II. Tenentur quó ad educationem in moribus, defensionem in judicio pupilli, sicuti Pater.

III. Tenentur ad restitutionem si pecuniam pupilli, converterint ad suos usus, vel si de bonis illius aliquid donaverint vel debitum remiserint. Excipe donationem remuneratoriam. Ita Lugo. Diana.

IV. Tenentur officio finito reddere rationes. *Ratio est:* quia hoc onus est commune omnibus, qui bona aliena administrant.

Licèt autem pupilli coram Judicio non conquerantur de suo damno contra Tutores, ut solet fieri in Polonia sæpius, vel quià Tutores sunt potentes, vel quià sunt consangvinei, & plane Parentes, & ideo pupilli timorem habent reverentialem, si tamen absq; extorsione injuriam suam non donent; non propterea Confessarius tales injustos Tutores absq; restitutione imposita dimittat absolutos; quià rem alienam debent. Imo talibus justus scrupulus

pulus est faciendus, maxime si id pro levissimo aut nullo peccato judicent, ex eo, quia sunt cum pupillo ejusdem Nominis & familiæ, nam etiam Frater Germanus Fratri ablatam rem tenetur restituere.

Neq; valet excusa illorum, si dicant Confessario: sibi illa damna imputari debere in præmium pro cura circa pupillum & solicitudine. Quià tales aut in testamento habebant assignatum pretium annuæ tutelæ; & ideo ultra hoc, si plus sibi appropriarunt est alienum, adeoq; reddendum. Aut nihil pro tutela assignatum fuit, sed illam susceperunt ex amore consangvinei pupilli, & sic volenti & consentienti non fit injuria. Hoc peccatum est frequentissimum in nostra Polonia, nec plane jam pro peccato gravi æstimatum prout laxa conscientia quorundam extenuavit illud. Sed Confessarius ut fidelis Minister Christi aliter judicet.

15. *Quæ obligatiò Dominorum erga famulos?*

℟. Obligantur ad hæc sequentia sub gravi culpa

I. Tenentur habere curam tam famulorum quà etiam subditorum aliorum ut patet ex Apost. 1. ad Timoth. cap. 1. *Si quis suorum* &c.

II. Tenentur attendere, ut Præcepta DEI custodiant & Ecclesiæ. Item peccandi occasiones removere, graviter delinquentes corrigere.

III. Pecccant, si suos famulos sine justa causa impediant, ne diebus festis Missam audiant. Itē si die festo onera eis imponant servilia. Aut jubeant facere omne id, quod sine peccato fieri non potest.

IV. Si eum non reprehendant aut de domo non expellant, qui verbo aut moribus Liberos corrumpit. V.

V. Item, si eos gravibus injuriis, aut plús justo pænâ afficiant. Si mercede defraudent.

VI. Item, si ante elapsum servitutis terminū temerè de domo expellant, in quo casu, (nisi gravissima causa urgeat) tenentur ad solutionem integræ mercedis pro toto annō. Ita Navar. Molina. & alii.

16. *An obligantur Domini dare mercedem servis infirmis & ad obsequium inutilibus?*

℟. Absolute non teneri, si non ex occasione ipsorum infirmitas acciderit, nisi ex charitate, si sint in magna ac extrema necessitate. Imo sumptus pro ejus curatione poterit Dominus ex salario debito repetere. Ita Escob. t. 3. c. 9.

17. *Quæ obligatio famulorum erga Dominos?*

℟. Eadem ducta proportione quæ est Filiorum erga Parentes, & ideo tenentur suis Dominis reddere amorem, reverentiam, & obedientiam, sunt enim illis quasi loco Parentum. Ut docet D. Thom. Insuper obligantur ad fidelitatem & sincerum obsequium.

Unde graviter peccant, si non serviant fideliter, si damnum aliquod faciant vel permittant fieri, in quo casu tenentur ad restitutionem. Ita Lessius L. 2. c. 23. p. 30.

Item, si in rebus magni momenti non obediant suis Dominis; si absq; gravissima causa discedant à Domino ante terminum elapsum; & maxime in urgenti negotio ac necessitate eorum servitii, vg. in itinere Auriga &c.

18. *An peccent famuli si propria authoritate mercedem justam aut sustentationem clam surripiant?*

℟. Juxta Molin. Bonac. & alios. Si injuste Domini negent mercedem debitam ex pacto, aut

avari

avari sustentationem subtrahant laborantibus, possunt famuli sibi subvenire ac providere, sed salvis conditionibus. 1. Si non adsit illis alius modus impetrandi. 2. Si non sequatur exinde scandalum, aut aliud incommodum; ut v.g. si Petrus pro compensatione suæ mercedis acciperet Domino aureũ nummum, & Paulus tanquam de furto suspectus vexaretur. 3. Si illa compensatio justam mercedem non excedat. Nam contrarium permittens propositio, est damnata ab Innocentio XI.

19. *Quæ sit obligatio quò ad hoc Præceptum quartum inter Virum & Uxorem?*

℟. I. Uxor debet esse obediens Marito in omnibus illis quæ spectant ad gubernationem domûs & bonos mores. Vir autem Uxorem non ut servam sed ut sociam vitæ tenetur tractare. *Ratiò est*, quià Vir est caput, Uxor vero commembrum. Ita Navar. cum communi DD.

℟. II. Peccat graviter Maritus 1. Si verbis contumeliosis vel infamatoriis afficiciat Uxorem. 2. Si suspicionem de continentia ejus sine fundamento habeat. 3. Si illam impediat circa Præcepta DEI vel Ecclesiæ sine justa causa. Si vero impediat illam circa illa bona quæ sunt de consilio, ut est Communio, solùm venialiter docet peccare Bonac. 4. Si illam graviter cædat, licèt enim ex justa causa, tenetur moderate illam castigare. 5. Si alimenta Uxori neget, nisi hæc à consortio Mariti propria culpa discesserit. 6. Si negligat domûs gubernationem. 7. Si cum Uxore non habitet, vel sine justa causa diu absit.

℟. III. Uxor graviter peccat. 1. Si Maritum rixis, vel alio modo ad gravem iram vel blasphemiam provocet. 2 Si notabile quid expendat contra voluntatem Viri. 3. Si spreto Viro sibi imperium

perium & gubernationem vendicet. 4. Si nolit sequi Virum domicilium mutantem 5. Si debitum sine justa causa neget. 6. Si male judicet ex sola suspicione de continentia Viri. Ita apud Busemb, communiter DD.

20. Ex his facile colligi poterit obligatio Discipulorum erga Magistros & è contra: peccata enim illorum nihil de speciali habent difficultate.

ARTICULUS IV.
De Quinto Præcepto Decalogi.

1. *Quod est Quintum Præceptum Decalogi?*

℟. Juxta illud Exod. 20. est illud. *Non occides.* Quô Præceptô in secunda Tabula negativô primô locô positô prohibetur non tantum occisio injusta hominis, sed etiam quæcunq; alia læsio corporalis Proximi, uti est mutilatio, vulneratio &c.

2. *An solus actus externus Homicidii consummatus prohibetur hoc Præcepto?*

℟. Ita putabant Judæî utpote duræ cervicis populus, nos autem in nova Lege habemus à Christo explicatum hoc Præceptum Math. 5. *Antiquis dictum est: non occides &c. Ego autem vobis dico: Omnis qui irascitur Fratri suo, reus erit Judicio &c:* Ex quibus verbis patet, non solùm esse prohibitum homicidium, sed etiam ulterior deliberata voluntas occidendi vel lædendi Proximum ex iracundia.

3. *Quot sunt gradus Homicidii Interni?*

℟. Ex Lessio L. 4. Gradus Interni homicidii ex supra citatis verbis Christi sunt tres.

1. Est ira interna optans mortem proximi 2. Est eadem ira prorumpens in contumeliam sed

leviorem

leviorem. 3. Est eadem ira erumpens in contumeliam gravem & manifestam. Insuper hoc Præcepto quinto Decalogi prohibetur quodcunq; convitium aut verbum injuriosum ex ira vel appetitu vindictæ prolatum, in Proximum. Item omnis iræ motus, præscriptum à ratione modum excedens, & injustus appetitus vindictæ, etiamsi neq; actu neq; verbo aut signo exteriori probatur. Licet in his juxta quantitatem mali appetiti aut intensionis actûs iræ poterit dari levitas materiæ. Ita cum Reiff. communiter DD.

4. *Quotuplex est Homicidium?*

℟. Duplex generaliter, unum *Simplex*, quod solet communiter fieri. Aliud est *Qualificatum*, quod ratione alicujus qualitatis Personæ occidentis, aut occisæ, vel aliarum circumstantiarum habet sibi specialem annexam malitiam & pænam. Et tale est homicidium, occisio Parentum, Consanguineorum, quod vulgo *Parricidium* appellatur. Et talis circumstantia est in Confessione aperienda, quià est specie distincta à simplici homicidio.

5. *Quotuplex est Homicidium qualificatum?*

℟. Esse triplex. Primum est qualificatum ratione Personæ occisæ, ut si Pater Filium vel è côtra occidat, (& tunc vocatur *Parricidium*) Vel Clericum aut Personam Sacram, & tunc vocatur *Sacrilegum* homicidium.

Secundum est qualificatum: Ratione modi occidendi, ut si quis occidat Proximum proditorie, hoc est vel sub specie amicitiæ, vel saltem securum nihilq; mali prævidentem vg. venenò, vel à ergo de nocte, & per incendia. Et tale Homicidium vocatur *Proditorium*.

Tertium est. Ex fine qualificatum, ut dum quis data aut accepta pecunia conducit occisorem, vel

ipse

ipse solus occidit. Et tale Homicidum dicitur per *Assessinium* fieri. Item si fætus animatus occiditur, ne puellæ fornicatio reveletur.

6. *An omnia ista Homicidia qualificata debeant in Confessione explicari?*

℟. Debent omninò. *Ratio est:* quià primum specie differt à Simplici Homicidio. Alia vero duo posteriora specialem deformitatem continent & malitiam. Ita Azorius p. 3. L. 2. c. 18. & alii.

7. *An sufficiat, si dicat Parens Abortum deliberate procurasse?*

℟. Non sufficit, si proprium aut animatum occiderit fætum. *Ratiò est:* quià licet abortus fætûs animati, sit qualificatum Homicidium, adhuc tamen specie differt, si est occisio proprii fætûs, quia est Parricidium.

8. *Quid dicendum de illò, qui procuravit Abortum fætûs inanimati, seu potius impedivit poculô, vel aliô mediô illicitô, ne fætus animetur & nascatur?*

℟. Talis peccat quidem mortaliter, non tamen vere Homicidium sed quasi Homicidium committit. Quod etiam judicandum est de illis Mulieribus, quæ ob multitudinem prolis vel dolorem partûs, jubent obstetrices procurare sterilitatem, nûllo enim fine id cohonestari potest, quod est contra ordinem naturæ. Ut docent communiter DD.

9. *Quando in procuratione Abortûs incurritur Irregularitas?*

℟. juxta communem sententiam, solúm protunc quando est fætus animatus. *Ratio est:* quia protunc duntaxat committitur verum Homicidium, cùm sit occisio hominis viventis. Non vero dum adhuc fætus non sit animatus.

10 *Quo*

10. *Quo tempore fœtus solet animari?*

℟. Non concordant quidem Medici, nam Hyppocrates ut notat Leſſius poſt organizationem embrionis, docet in Masculis die 32. in Fæminis die 42. Et aliquando citiùs vel tardiús, quia id pertinet ad meliorem dispoſitionem materni uteri calidioris vel frigidi. Medici plures ut Themiſtius dicunt animam rationalem ordinariè infundi circa ſeptimum à conceptione diem. Sed.

11. Benignior eſt ſententia Gloſſæ *Clem.* communiter receptæ, quæ docet animatioaem Masculi 40. Fæminæ 80. à conceptione die fieri communiter. Sed data & admiſsâ hac doctrinâ, adhuc nulli poterit eſſe omnino certum, an jam ſint tot dies vel non à conceptione? ſiquidem multiplicatîs copulîs & ipsa Fæmina ignorare poteſt in qua conceperit. Unde:

12. *Quomodo judicandum Confeſſario in dubio fœtûs animati?*

℟. Si nullum habeatur indicium neq; pro hac neq; pro altera parte, quòd ſcilicet fætus fuerit jam vivens, vel adhuc necdum, quando procuratio abortus interceſſit, censendum eſt non fuiſſe animatum. *Ratio eſt*: quia ſicuti in aliis dubiis, ſemper judicium debet eſſe in favorem rei, ita & hic in casu,

13. *An ſoli ſint obnoxii peccati & pœnarum contra procurantes Abortum, qui procurant?*

℟. Etiam comprehendi consulentes, consentientes & mandantes, juxta Bulllam Sixti V. & Greg. XIV. ut notat Barbosa p. 3. n. 136.

14 *Quæ pænæ ſunt impoſitæ procurantibus Abortum?*

℟. I. Juxta Bullam Sixti V. ultra alias pænas inſeriùs adducendas, fuit peccatum ſoli Papæ

reservatum propter Excommunicationem annexam ℟. II. Greg. XIV. in Bulla quæ incipit. *Sedes Apostolica.* concessit tale peccatum posse à quolibet Confessario privilegiato absolvi, quo ad alias vero pænas nihil diminuit, sed easdem reliquit, quas constituit Sixtus V. sunt autem sequentes.

I. Subjacent procurantes abortum Excommunicationi, etsi non soli Papæ reservatæ, & omnibus aliis pænis in utroque jure tam civili quàm Canonico homicidis constitutæ.

II. Si procurantes sint Clerici cujuscunq; status & dignitatis, privantur beneficio Ecclesiastico; & sunt inhabiles in posterum obtinendi illud.

III. Item injuncta est talibus degradatio & traditio curiæ sæculari.

Quas pænas (: ut constat legenti Bullam citatam Sixti V. quæ incipit *Effrenatam* ac refertur Tom. 2. Bullarii Const. 87. ejusdem Sixti V. :) non tantum incurrunt procurantes abortum fætûs animati, sed etiam inanimati, imo consulentes aut præbentes venena sterilitatis Mulieri. Excepta irregularite, quam incurrunt illi tantum, qui procurant abortum fætûs animati.

15. *An Irregularitas incurritur etiam si delictū procurationis Abortûs sit occultum?*

℟. Affirmative, ipso enim facto incurritur, adeoq; taliter delinquentes Missam & actus Ordinis exercere non possunt, ut docetur in jure Canon. L. 5. Decret. tit. 10.

16. *An eô ipsô, factô delictô ante sententiam teneantur Clerici Beneficium relinquere?*

℟. Non tenentur per se, attamen per accidens obligantur, siquidem Irregulares neq; Missā absolvere possunt, neq; alia Sacramenta administrare propter Irregularitatem, adeoq; suo benefi-

cio

cio ampliús fiunt inutiles nisi dispensentur à Sede Apostolica; nam ab Irregularitate non possunt ab illo absolvi à quo ab Excommunicatione absolvuntur.

17. *An Irregularitatem incurrit procurans Abortum fœtûs animati, si non sequatur ipse abortus?*

℞. Negative, quia sicuti in homicidio attentato, & non secuto, non incurritur Irregularitas, ita pariter neq, in procuratione abortûs; procuratio enim si non sequatur effectus, est quidem mortale, non tamen reale & verum homicidium, sed potius attentatio illius

18. *An aliquando licitum sit seipsum occidere vel mutilare?*

℞. Absq; Divina Authoritate seu revelatione non est licitum seipsum directe & ex intentione occidere ad cavendum quodcunq; malum. *Ratio est:* quia est contra legem naturalem & charitatem sui, & fieret per hoc injuria DEO, qui solus est absolutus Dominus humanæ vitæ.

19. *An licitum est se periculo mortis exponere?*

℞. Ex justa causa licitum est in avertendam injuriam DEO, ut fecerant Martyres, vel damnum Reipublicæ, ut solent facere milites in custodiis & bello constituti. Pro ratione hujus liceitatis est praxis continua.

20. *Quæ sunt causæ justæ exponendi se periculo mortis?*

℞. Hæ sequentes.

I. Potest miles imo debet persistere in statione, & si sit moraliter certus se occidendum fore.

II. Ad evertendam turrim hostilem aut perdendos hostes pulverem incendere, navem mergere ne hostis illa potiatur cum damno Reipublicæ.

III. Licitum se objicere telo aut ictui ad ser-

vandam vitam Principis vel amici injuste occidendi.

IV. Servire peste infectis. Ad fugiendum incendiū ex alto præcipitem se dare.

V. Ad servandam virginitatem licet se periculo mortis exponere. Ut docet Layman.

VI. Similiter licitum est mortificare carnem vigiliîs, inediâ &c.

Qui tamen adverteret vitam notabiliter minui per indiscretas mortificationes, & tamen continuaret illas, peccaret graviter. Quamvis multi in his ob bonam fidem, & zelum DEO placendi excusentur, ut notat Lugo.

21. *An tenetur unusquisq; sub peccato specialibus auxiliis tueri vitam suam?*

℞. Negative. *Ratio est*: quià juxta Gobat. tract. 5. sufficiat si unusquisq; servet vitam suam mediis ordinariis & communibus. Unde Religiosus propter sanitatem servandam non tenetur extorquere vinum aut fercula extraordinaria, aut translationem ad salubriorem Conventum, licèt non peccet si id petat. Ita Reiff, t. 9. d. 3. q. 2.

Potest tamen sumere medicinam si pretium ejus non excedat statum paupertatis Religiosæ; quià medicina est medium ordinarium conservandæ vitæ.

Ubi agitur autem de vita spirituali infantis quem non potest parere Mater, si adsit Chirurgus, debet fieri sectio, Cæsarea vulgò appellata, scilicet Materni uteri, quià hæc licet difficilis existat, & sæpe periculosa, praxis tamen docuit esse fructuosā & aliquando extra periculū tam Matris quàm prolis.

22. *An, & quando licita est occisio hominis?*

℞. Hominis innocentis nunquam est licita occisio

cisio etiam â publica potestate mandata. *Ratio est.* quia id est contra jus Naturæ Unde etiamsi Hostis obsidens civitatem comminationem faciat toti Magistratui, nisi ab illis occidatur innocens, non possunt id licite facere.

℟. II. Licita est occisio in bello justo tam defensivo quam offensivo, ut docent communiter DD. de quo inferiùs.

℟. III. Licita est occisio alterius quando fit authoritate publica, per justitiam punitivam ob patrata scelera. Juxta illud exodi 22. *Maleficos non patieris vivere.*

23. *An licitum est Lictoribus & Satellitibus occidere Malefactorem, si sit publica Authoritate jussus capi?*

℟. Si se opponat armîs, nec alio modo comprehendi poterit, licitum est eum occidere, juxta DD. apud La Croix L. 3. p. 1. *Si* adsint sequentes 6, conditiones. 1. Ut crimen ejus sit atrox. 2. Ut Satellites habeant mandatum illum capiendi. 3. Ut capiendus armata manu resistat. 4. Ut sit jam diffamatus de tali crimine. 5. Ut si aliô modo comprehendi non possit, nisi occidatur. 6. Ut timeantur graviora mala si evaderet.

24. *An liceat alium aliquando occidere privata Authoritate?*

℟. I. Extra casum necessariæ defensionis nulli id licet, nisi authoritate publica & servato juris ordine. Unde etiam publica Potestas peccat graviter, si aliquem condemnet ad mortem non servato juris ordine, scilicet non citatum, vel non auditum, etiamsi privatâ scientiâ constet illum esse nocentem & morte dignum. Ita Bonac.

II. Non licet Marito Uxorem, aut Patri Filiam in actuali adulterio deprehensam vel ipsum

adulte-

adulterum occidere; quia leges civiles id permittentes sunt à jure Canonico correctæ tanquam iniquæ. Pro quo:

Nota ex Pittono tomo 2. Licet verum est, quòd Patri sit licitum de Jure civili Filiam deprehensam in adulterio impunè occidere, prout dixit textus *in L Patri ff. ad L. Jul. de adult.* non tamen hæc impunitas datur Marito occidendi suam Uxorem etiam in adulterio deprehensam, Etsi ratio differentiæ perquiratur? ea redditur à textu in *Lib.* *Nec in ea § fine* ibi *Ideo autem Patri & non Marito Mulierem & omnem adulterum permissum est occidere, quod plerumq; pietas Paterni nominis consilium pro liberis capit, cæterum Mariti & calor & impetus facile sævientis fuit refrenandus &c.*

Hæc tamen licentia Juris Civilis sublata est per Jus Canonicum tanquam impia ut refert Reinffest.

25. *An licet occidere privata authoritate Invasorem?*

℟. I. Si sit Invasor iniquus ad tollendam vitam invasi, & alio omni meliori modo, vitari nec defendi possit periculum & damnum, licitum est occidere illum per modum inculpatæ tutelæ, non obstante quod talis aggressor sit ebrius aut furiosus seu amens, quià æquè ac sanæ mentis possit inferere damnum.

Neq; in tali casu debet se defendens expectare prius ab insidiatore ictum, sed poterit prævenire eum, dummodo sit certum. quod insideat vitæ suæ & paratus ad occidendum.

Quodsi invasus potest se defendere cum levi percussione, vel absq; gravi suo dedecore aut incommodo poterit fugere aut clamare. Vel si jam

jam fugiat aut recedat Invasor, non erit licitum in his casibus illum occidere. *Ratio est*: quia semper ad futurum malum est respiciendum, ad quod duntaxat vitandum conceditur justa defensio. Unde si aggressor per solam amputationem brachii poterit repelli, hæc est tutela inculpata, & non occisio.

℞. II. Etiam pro defendenda pudicitia licitum est occidere Invasorem, qui tentat aliquam personam violare, si aliud remedium defendendi pudicitiam non suppetat. Ita Lessius. Et *Ratio est*: quia pudicitia est bonum summæ æstimationis ac pretiosior multis opibus, adeoq; per extrema licitum est illud defendere.

Quòdsi solùm à lascivo tentatur contrectatio pudendorum fæminæ, vel impudica oscula, poterit non solùm verbis, sed & alapâ se defendere etiam Clerico, non enim svadente Diabolo talem percussisset, sed potius dictante Spiritu S. amatore castitatis. Ita Lugo.

29. *An licitum sit etiam Clericis occidere Invasorem vitæ?*

℞. In casibus in quibus alio modo non potest defendi vita, probabiliùs licet viâ defensivâ sine Irregularitatis nota. Quando enim jura in contrarium adferri solent, intelligenda sunt, quando non servatur modus inculpatæ defensionis. Ita Layman & alii.

27. *An licet occidere furem?*

℞. Cum communi DD. Quod si sit nocturnus, aut diurnus sed armis se defendat, nec spes est aliâ viâ recuperandi ablata bona, licitum est eum occidere, si res ablatæ sint magni pretii. Ita Diana & alii. Quod etiam Clericis licitum est ut supra dixi de Invasore. Dictum autem notanter:

Si

Si sit nocturnus, quia diurnus fur facilius capi potest & repelli clamoribûs quàm nocturnus.

28. *Quanti pretii res esse debent, ut sufficiant ad occisionem furis?*

℟. Non concordare Doctores, Molina putat: unius aurei, sed propositio damnata est ab Innocentio XI. quæ est ordine 31. Alii apud Dianam duorum aureorum, sed & hoc pretium videtur exiguum. Si tamen repetenti illud. fur resistat armis, docet cum aliis Diana: posse eum occidere. *Ratio est*. quia nemo tenetur se exponere periculo amittendi res suas. Ita cum Diana Navar. Lessius & alii.

Meo tamen judicio, non potest universaliter assignari tale pretium sine relatione ad statum hominis damnificati per furem, nam res vg. aureo numero constans, potest esse vilissima respectu divitis, & pretiosa respectu pauperis, adeoq, pensanda hac in re conditio damnificati & ipsum damnum non nudè sumptum & prout consideratur in se, sed per respectum ad damnificatum. Sæpius enim tota fortuna pauperis uno constat Hungarico.

29. *An liceat occidere furem dum jam cum rebus ablatis fugit?*

℟. Licitum est. si res ablatæ aliâ viâ recuperari non possent, præsertim si talis fugiens clamore præmoneatur, quod nisi rem dimittat, sclopeum vg. in eum explodetur. Ita Sporer La Croix. L. 3. p. 1,

30. *An etiam liceat calumniatorem occidere, qui verbô aut alapâ ignominiam intulit honorato Viro, & aliter hæc ignominia recuperari non potest?*

℟. Non concordant Doctores; Aliqui enim apud Tannerum t. 3. d. 4. q. 8. putant esse lici-
tum

tum, à paritate rationis, si enim bona fortunæ licet defendere per occisionem Raptoris, cur non bonum famæ, quod est præstantius Viris honoratis quàm bonum fortunæ?

Ne tamen via patens aperiatur homicidiis damnatæ sunt propositiones id permittentes ab Innocentio XI. & præsertim illa quæ est ordine 30. unde probabilius est non esse licitum.

Quare etiam liceat occidere aggressorem in bonis fortunæ non vero in bonis famæ? *Ratio* disparitatis est *Prima*: quià si id permitteretur, tenderet in maximam perniciem Reipublicæ, sic enim multiplicarentur duella & homicidia infinita.

Secunda Disparitas est: qiia per occisionem furis possunt recuperari bona fortunæ, non vero famæ, quinimo per occisionem diffamatoris magis diminueretur bona æstimatio occidentis, cum & Jus Civile id prohibeat.

Tertia Disparitas est: quia contra Diffamatorem offensus potest Jure & Judicio procedere ac sic suam famam repetere. Non vero contra furem, qui subito cum furtò evanescit.

Duellum.

31. *Quid est Duellum?*

℞. Est certamen duorum vel plurium, èx condicto, uno scilicet indicente, & alio acceptante, quod est ex genere suo mortale, & proinde tam à Jure Civili quàm Canonico sub gravissimis pœnis prohibetur.

32. *Quando licitum est Duellum, & quando non?*

℞. In omnibus privatis inimicitiis, damnis, offensionibus, illicitum est suscipere duellum. *Ratio*

tio est: quia nullus homo privatus potest esse Judex in propria causa ad vindicandam injuriam. Ut docetur communiter in Jure. Neq; juvat ratio status Militaris ut acceptetur Duellum, ne aliàs incurrat timiditatis notam. Nam ab Alexandro VII. sequens propositio quæ est ordine 2. damnata est: *Vir Equestris ad Duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditas notam apud alios incurrat.*

R. II. In duobûs ad summum casibus licitum est Duellum. 1mo: Quando tempore belli hostis exercitui Duellum offert, agitur enim protunc in favorem communis boni, sicuti fecit David cum superbo Goliath. 2do: Quando provocatus ad Duellum videt se injuste occidendum à provocante, neq; alius modus suppetat se à morte liberandi nisi acceptet Duellum. In tali enim casu potius est defensio vitæ suæ, quàm Duellatio. Ita Mastr. dis. 11. & alii.

Addit Reiff. ex P. Pichler adhuc tertium casum, licitum provocandi ad Duellum si nimirum officialis Cohortis obscuro genere natus, sed officio bellico Nobilis ac proinde in honore constitutus nobilissimam Uxorem acceperit. Tandem aliquo casu à Cajo eminentis Officii Viro bellico arundine percussus Nobilitatem Invasoris reveritus, nullam defensionem sui fecerat. Ex quo facto Cajus divulgavit ejus ignominiam in Exercitu, & ideo alii Collegæ protestantes negant cum illo consortium & tanquam imbellem è castris exesse jubent. In tali enim casu quià agitur de modo vivendi, non vero de puncto honoris, licitum putant ad Duellum provocare Cajum. Cui opinioni favet Lessius Layman & alii.

33. *An licita sunt Duella cum illa conditione proposi-*

proposita, ut desinant Duellantes post certum congressum vel solam vulnerationem levem ad satisfaciendum prætensæ?

℟. Regulariter loquendo esse illicita. *Ratio est*: quià Clemens VIII. in Bulla quæ incipit: *Illius vices* prohibuit etiam non fatalia Duella. Tum quià exinde oriretur scandalum aliorum credentium tale Duellum esse serium.

34. *Quæ sunt pœnæ Duellantium?*

℟. Omissîs illîs quæ sunt à Jure Civili impositæ. In Conc. Trid. Sess. 25. cap. 19. *de Reformat*: talibus injuncta est: 1. Excommunicatio? Omnium suorum bonorum proscriptio. 3. Perpetua infamia. 4. Si in ipso conflictu decesserint, privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Quæ priores tres pænæ etiam extenduntur ad ipsos Patrinos, sive ut Poloni vocant *Secundantes*.

Item Excommunicationem incurrunt. 1. Dantes consilium ad Duellum faciendum. 2 Spectatores ex proposito. 3. Principes concedentes locum ad Duellum.

35. *Quando sepeliendus est in Ecclesia in Duello, vel ex Duello mortuus?*

℟. *Si* quis moriatur in acie Duelli, vel eodem die etiam in alium locum translatus, privatur sepultura Ecclesiastica, etiamsi ante obitum ediderit signa pænitentiæ, non vero si uno vel altero die moriatur post Duellum, & Sacramentis sit munitus *Ratio* primæ partis est: ex Rituali Romano jussu Pauli V. edito, ubi habentur hæc verba: *Negatur sepultura Ecclesiastica morientibus in Duello etiamsi ante obitum signa dederint Pœnitentiæ. Ratio* secundæ Partis est: quià hæc pæna à Trid. lata est pro illis qui moriuntur in ipso Duello.

Bellum.

36. *Quid est Bellum?*

℞. Est conflictus armorum authoritate Principis Superiorem non cognoscentis indictus. Differt à seditione & Rixa, quià est conflictus multitudinis contra multitudinem ejusdem Communitatis. *Rixa* vero paucorum vel singulorum, contra paucos vel singulos.

37. *An Bellum sit ex Natura sua licitum?*

℞. Sive defensivum, sive offensivum, dummodo sit justum & habeat omnes conditiones justitiæ est licitum, quià jure naturæ licitum est vim vi repellere.

38. *Quot, & quæ Conditiones requiruntur ad Bellum justum?*

℞. Juxta D. Thomam 2. 2, q. 40. Art. 4. tres sunt. 1. Authoritas legitima Principis Superiorem non recognoscentis. 2. Justa causa. 3. Recta intentio. Si adsit defectus conditionis 1mæ vel secundæ erit Bellum injustum cum onere restituendi damna illata. Si desit tertia, erit contra charitatem.

39. *An possit esse Bellum justum ex utraq; parte?*

℞. Juxta Mastrium & alios non potest esse justum per se & quò ad se, quia ad illa bona propter quæ agitatur Bellum non possunt duo Principes habere idem jus. Per accidens tamen & ratione ignorantiæ invincibilis, potest esse justum ex utraq; parte. Unde in omni Bello semper una pars peccat, si non excusetur per ignorantiam invincibilem, quæ raro evenire potest, cum Principes habeant Ministros, Consiliarios qui eos illuminare possunt, nisi sint Adulatores, in quo grauissime peccant, & sunt causa omniū damnorū quæ Bello inferri solent.

40.

40. *An in dubio de justitia Belli teneantur Milites obedire Principi?*

℟. Si ſint ſubditi tenentur. *Ratio eſt;* quia in dubio tenetur qvisq; obedire Principi, vel Superiori ſuo. Si vero ſint voluntarii, & extranei, debent magis examinare cauſam juſtitiæ Belli, & ſi dubium non deponant, non poſſunt ſe exponere periculo graviſſimæ inferendæ injuriæ proximo. Ita Layman L. 3. t. 3. c. 12.

41. *Quid de illis Militibus qui parati ſunt quemcunq; ſequi vocantem ad Bellum?*

℟. Qui ſine ullo ſcrupulo ſequuntur ſive juſtũ ſive injuſtum Principem, dummodo bonum illis ſtipendium præbeat, ſunt in malo ſtatu conſcientiæ, & niſi propoſitum mutent, à Confeſſario absolvi non poſſunt. Ita communiter DD.

42. *Cui cedere debent bona ab hoſtibus capta?*

℟. In Bello juſto jure gentium bona mobilia fiunt occupantis Militis, niſi leges particulares cõtrarium ſtatuant. Bona vero immobilia Principis, Bellum juſtum indicentis.

43. *Ad quem pertinent bona mobilia temporalia per hoſtem ablata, & denuò per Milites defenſores illius Regionis recuperata?*

℟. I. Si illa bona, boves vg, & alia mobilia hoſtes nondum ad caſtra deportaverunt ad locum tutum, Milites recuperantes illa tenentur ruſticis quibus ab hoſtibus ablata ſunt reſtituere, aliàs ſic non eſſent ſervi & defendentes bonum commune Reipublicæ, ſed quærentes privatum lucrum & commodum.

℟. II. E contra ſi bona ablata ſint in caſtris hoſtium poſita, vel in fortalitio, & à Militibus recuperentur, transeunt in ſpolium & prædam illorum. Ita ſtatuitur Lege *Si quid Bella* 28.

44. *An bona mobilia quæ ab hoste in Bello justo capta & postmodum Incolis illius Regionis in qua spolium contigit vendita, possint denuo prætendi à primis Dominis?*

℟. Si Emptoribus illud pretium quod dederunt, offerant Domini quibus ablata sunt, possunt prætendi jure Postliminii, saltim in locis ubi hæc lex est in usu. Ita Reiff. t. 4. d. 7. q. 4.

45. *Qualia sunt specialia peccata, quæ in Bello possunt committere Principes, Duces, & Milites?*

℟. Hæc sequentia.

Principes peccant 1. *S*i debita stipendia non solvant Militibus. 2. *S*i negligant restituere damna, quæ Milites ex denegatione stipendii, necessitate pressi subditis inferunt. 3. *S*i temere exercitum maximo exponant periculo.

Duces Militiæ peccant gravissime 1. Si plures Milites representent, quàm secum habeant ut plura stipendia à Principe accipiant, & sibi retineant. 2. Si pabula & victualia jam corrupta dent Militibus parte meliori sibi retenta. 3. Si plures vias itineris cum exercitu fingant. ut illæ Civitates avertendo illud malum quod sequi posset per itinerantem exercitum magnam illis peccuniam offerant. 4. Si non fideliter Bellum administrent revelantes adversæ parti quæ facturi sunt.

Milites peccant 1. Si temere & absq; urgenti necessitate periculo se exponunt. 2. Si tempore pacis stipendia accipientes, in Bello de exercitu fugiant. 3. Si à rusticis apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, aliquid auferant, vel per extorsionem dono accipiant ad quod restituendum tenentur. 4. Si pabulationem equorum instituunt, cum damno plebis, etiamsi alibi pascere possint.

Huc

Hucusq; dicta sunt de Bello prout respicit omnes Provincias, Regna, & loca; Sed quantum attingit ad circumstantias & statum Regni Poloniae, de cujus peccatis est mihi discurrere speciale intentum, & de quibus exteri Casuistae tacent, eò quòd ignorent singulorum Regnorum privatum situm & conditionem. Hinc aliqua pauca adnotare breviter intendo. Pro quo

46. *Nota* I. Quod etiamsi in Polonia non sint continua Bella, quia tamen adesse solent post mortem Regis Revolutiones. & saepius non bene concordantium Senatorum placita & dissensiònes, ratione quorum exsurgunt conflictus ad invicem, & aliquando introductio extranei exercitûs; imo & domestici Milites tempore interregni solent esse *Inimici hominis Domestici ejus.* Ideò quidquid superiùs dictum est de peccatis Ducum & Militum quò ad damna per illos subditis illata, hoc ipsum & de domesticis judicandum est, qui tenentur ad restitutionem omnis damni injuste illati ultra suum stipendium, neq; de facili sunt absolvendi, si restitutionem non faciant si possunt.

47. *Nota* II. Quòd frequentissimum est illud peccatum in Polonia. ut potentior Nobilis adinvento levi fundamento & praetensa ad aliena bona immobilia sive fundum, soleat ea cum armis & Cosacis; aut alio populo invadere & occupare, antequam res ad Tribunal deferatur & ab illo decidatur. Et saepe contigit. ut talis Invasor sciens esse leve fundamentum suae invasionis, per corruptionem artificiosè & sub praetextu Juridicae dilationis judicium hac in re differat, ut ita expulsi pauperculi haeredes, propria bona tandem post tot damna, pertitionibûs repetant, & injuriam suam ac damnum politice inviti donent.

48. Ad tales igitur practicabiles casus Confessarius

fessarius DEUM præ oculis habens attendat & invigilet, ut restitutio habeatur parti læsæ, etiamsi in foro externo aliter, dummodo sit certum, quod injuste sit judicatum.
Si enim cum mala fide alterius invasit bona, non solúm gravissime peccavit, sed tenetur ad restitutionem omnium damnorum exinde emergentium & lucri cessantis. Cæterum lacrimas innocentis, fletu penitentiæ redimat.

Si bona fidè occupavit aliena bona, non quidem in conscientia peccavit. sed ad restitutionem tenebitur, etiam damnorum illatorum, quod etiam in dubia occupatione dicendum est.

Si tandem per Activitatem & amicitiam Judicum Tribunalis Regni habeat Decretum pro sua parte, conscientia tamen arguit illum de mala possessione, de qua est certus, tenetur illa restituere hæredibus legitimis; Nam per judicium pravum & Decretum injustum minime excusatur. (quod etiam & de injustis Successoribus dicendum est.) Neq; in restitutione excipere debet litis expensas, quia volenti & consentienti non fit injuria.

Similiter qui alteri injuste provocato ad Judicium est causa expensarum, tenetur ad restitutionem illarum. Hæc enim omnia dicta fundantur in jure naturali, ut de se patet. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Quapropter in talibus peccatis debent Confessarii habere lingvam ut gladium accutum, quâ conscientiam & cor similiter delinquentis penetrent, & quos deterrere non possunt metu Gehennæ, saltim temporalibûs pænîs eos à mala via avertant, demonstrando: quod de male acquisitis non gaudebit tertius hæres.

49. *Nota* III. In Ukraina Palatinatus Kijoviensis & Bracłaviensis solent sæpissimè in æstivo

tempore

tempore excursiones facere Cosaci vulgo dicti *Haydamacy*, qui nocturno tempore tanquam latrones invadunt domos Nobilium, aliquando vitam cum bonis fortunæ auferentes. Unde jure merito & de horum circumstantiis aliqua quærenda & scienda sunt Confessario; Et ideo quæres:

50. *An licitum sit tales Grassatores occidere privata authoritate?*

℟. Licitum esse. *Ratio.* hujus desumitur ex antedictis de aliis in communi Invasoribus. Imo hos non tantum per modum inculpatæ tutelæ licet occidere privato homini, sed etiam capi possunt ab omibus & singulis, etiam cum periculo occidendi eos. *Ratio est:* quia bonum commune cujus sunt damnificatores, est semper præferendum particulari, malitiosæ, ac nocivæ vitæ eorum. Si tamen commode capi possunt, non licebit illos occidere, sed ad judicium statuendi sunt, sic enim aperiretur via homicidiorum, aliquando ex sola suspicione innocentis hominis.

51. *An Milites ex Castris Regni capientes dictos Cosacos licitè possunt sibi usurpare eorum spolia?*

℟. Non possunt, sed tenentur illa obsignare & Dominis suis restituere, aliàs non essent custodes bonorum Regni, sed fures. *Tum* quia illi nocturni Latrones, non sunt Patriæ hostes sed fures; sed qui recipit aliquid à fure, tenetur restituere suo Domino. ergo & illi milites.

Id ipsum judicandum est, & de aliis quibuscunq; recipientibus res ablatas à prædictis Cosacis, cujuscunq; sint dignitatis & conditionis, propter rationem secundam immediate dictam. quia à fure recipientes res alienas, tenentur jure naturali reddere Domino proprio. Neq; habemus in Polonia quò ad hoc specialem legem aut privile-

gium. Nisi ignoretur Dominus harum rerum.

52. *Nota:* quôd gravissime aliqui peccant Nobiles ad rippam Borysthenis fluvii vulgò *Dniepr* dicti, qui egredientes hujusmodi Cosacos de finibus suis, tolerant & parcunt eis; dum autem cum spoliis revertuntur, sedulò invigilant, ut res ab illis ablatas recipientes sibi approprient.

Tales enim sunt putrida membra Reipublicæ proprium duntaxat bonum curantes. Tum quia eo ipso, quia accedentes ad latrocinium permittunt, & dum possunt non resistunt, ad omne illorum malum cooperantur, suntq; causa moralis, & ad restitutionem tenentur.

Similiter peccant, qui scientes tales grassatores latitantes in sylvis, vel campis, non manifestant, nam inter alias causas morales peccati, est: mutus, non obstans, & non manifestans, ut suo loco inferius dicetur.

53. *Quid dicendum de illis qui talibus Grassatoribus manifestant Domos & Dominos benè se habentes?*

℟. I. Si id faciant ex ignorantia, nescientes tales esse homines, non peccant, quia eorum intentio & voluntas est recta. Aut si certò sciant illos esse tales, sed timore gravî cadente in Virum constantem, eò, quia illi minati sunt mortem non peccant mortaliter; à veniali tamen vix excusantur, nisi cum mendacio affirment pauperem esse divitem, tunc probab iliùs peccare mortaliter, quià fiunt causa majoris torturæ à talibus grassatoribus, qui putantes occultari à paupere pecuniam, sæpius usq; ad mortem torquere solent.

℟. II. Si suspicio adsit, quod Grassator interroget? quatùm fieri potest sine mendacio, amambiguô verbô respondendum est, vel saltim nihil

adden-

addendum, & si potest fieri, debet talis præmonere illum de quo fuerat interrogatio. De illis vero qui scienter inducunt Grassatores in Domum alicujus, nulli est dubium, quod gravissime peccent, & ad restitutionem tenentur.

Hæc autem omnia quæ dicta sunt hucusq; de Grassatoribus Cosacis in Ukraina, debet applicari & similiter intelligi de aliis Invasoribus, qui solent excurrere in diversis partibus Poloniæ, uti sunt in Diœcesi Præmisliensi & Cracoviensi montani vulgò dicti *Smolacy* vel alio nomine appelati. Quantum enim ad circumstantias restitutionis, eadem currit ratio, si ab illis ablatum recipiatur.

Restitutio pro injusta Mutilatione vel Homicidio.

54. *Ad quid restituendum tenetur injuste occidens Proximum?*

℟. I. Teneri mortui animam juvare precibus ac Sacrificicio Missæ, quod poterit injungi pro aliqua parte satisfactionis Sacramentalis.

℟. II Tenetur etiam omnia damna tam mortem antecedentia quam succedentia ipsius occisi resarcire in foro conscientiæ, ante Sententiam Judicis.

Damnum Antecedens mortem, est vg. expensa pro medicinis, si occisus non statim fuerit mortuus. Damna subsequentia mortem, sunt illa: quæ inferri solent familiæ, Uxori, & liberis ipsius occisi, Unde.

℟. III. Injustus homicida non tantum obligatur solvere omnes expensas pro curatione occisi, sed etiam tenetur omnes illas personas alere,

quibus alimenta præbebat ex justitia, occisus. Tales sunt Uxor, liberi, & Parentes, nisi hi babeant unde vivant, vel jam Uxor occisi æque bene se habenti nupserit. Quódsi occisus fuerit liber non uxoratus, neq; jam Parentes habuerit, tenetur ad restitutionem expensarum pro curatione ejus, etiamsi Consangvinei ejus expenderint aut ipse solus vulneratus læthaliter, tunc Consangvineis erit restituendum. Ita cum Lessio, Sporer, Molina & alii.

55. *Quamdiu homicida debet alere occisi propinquos?*

℞. Usq; ad illud tempus quo prudenter credebatur alere supervicturus ille, qui fuit occisus, respiciendo ad ætatem, robustas vires, vel imbecillitatem ejusdem. Quodsi jam fuerit Senex, & his omibus inutilis, negligens &c. qui potiùs à suis alebatur, ad talem restitutionem homicida non tenebitur, quia ejus propinqui nullum habent damnum ex morte occisi.

56. *Ad quid tenetur Proximum mutilans, aut vulnerans?*

℞. Tenetur ad compensationem pecuniariam, non solum pro expensis factis in curatione, sed etiam respondere debet damno quod mutilatus patitur pro futuro tempore per mutilationem membri abscissi, vel vulnerationis. Ut si vg. mutilatus fuerit Fidicen, & digiti sunt ei abscissi, vel si Tibicen, & pulmo eidem vulneratus, tunc mutilans ultra expensam mutilationis, tenetur ei providere de modo vivendi. Ut constat ex jure Can. c. 1. *de injuriis & damno.*

57. *An vulnerato pro cicatrice, dolore, & tristitia debeatur aliqua restitutio à vulnerante injuste?*

℞. Jus Civile utpote parum sollicitum de his quæ pertinent ad forum conscientiæ, nullam pro
his

his restitutionem assignat, sed pro curatione duntaxat Medicorum. Tamen in coscientia juxta D. Thom & alios tenetur ex æqualitate naturali ad compensationem.

ARTICULUS V.
De Sexto Præcepto Decalogi.

1. *Quod est Sextum Præceptum Decalogi?*

℞. Juxta illud Exodi 20. est hoc: *Non mœchaberis* quod est pure negativum Præceptum.

2. *Quæ hoc Præcepto prohibentur?*

℞. Principaliter quidem prohibetur adulterium, quod proprie dicitur *Mæchia*, universaliter tamen prohibetur omnis illicitus concubitus, & inordinatus actus in materia venerea, ut communiter docent Casuittæ.

De Castitate opposita Luxuriæ dictum est Parte 1. Art. de Virtutibus in specie, adeoq; ut opposita juxta se posita magis elucescant in mente Lectoris, remitto ad superius dicta pag. 96.

3. *Quot sunt species Luxuriæ?*

℞. Juxta communem sententiam sunt septem species. 1. Simplex Fornicatio. 2. Adulterium. 3. Incestus. 4. Stuprum. 5. Raptus. 6. Sacrilegium. 7. Vitium contra naturam. Ita Mastrius, Sannig. Reiff. & alii. Licèt aliqui omittant Sacrilegium. Alii vero ut est Herinx Disp. 2. q 3. solùm putant, quod Fornicatio & vitium contra naturam specie distingvantur in genere Luxuriæ. Cætera vero conveniunt cum Fornicatione, cui tamen singula addunt specialem malitiam extra genus Luxuriæ; communiori tamen adhærendum est doctrinæ.

4.

4. *Quotuplex est Vitium contra naturam?*

℞. Triplex: Mollities, Bestialitas, & Sodomia; alii addunt indebitum concubendi modum, ut Mastrius, Reiffent, & alii, de his singulis speciebus singularis nobis erit sermo.

Fornicatio

5. *Quid est Fornicatio?*

℞. Est peccatum Luxuriæ quo solutus cum soluta per carnalem commixtionem peccat.

6. *Quale est peccatum?*

℞. Ex genere suo est mortale. Et est de fide & constat ex Doctrina S. Pauli Apost. ad Ephes. 5. dicente: *Omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in Regno Christi & DEI.*

7. *An Fornicatio sit simpliciter & intrinsece mala?*

℞. Dicebant olim aliqui non esse intrinsece malam, quià est juxta legem naturæ, sed solùm ideo esse peccaminosam, quià est prohibita. Sed hæc propositio damnata est ab Innocentio XI. quæ est ordine 48. Unde modo certum est, quod sit intrinsece mala. Nam ex vago concubitu incerta redditur proles ex parte Patris, quod est contra rationalis naturæ instinctum, ut notat D. Thomas.

8. *Quotuplex est Fornicatio?*

℞. Duplex: *Perfecta & Imperfecta.* Prima contingit, quando semen Viri soluti immitiitur in vas debitum Fæminæ solutæ. Secunda vero exercetur, quando Vir aut nullum semen emittit, aut extra vas consultò, ut impediat imprægnationem.

9. *An istæ duæ Fornicationes sunt in Confessione necessario aperiendæ?*

℞. Esse aperiendas omnino. *Ratio est:* quia differunt

ferunt specie. Nam secunda si nullum emitteretur semen, non haberet rationem fornicationis sed impurissimi tactus. Si vero consultò emitteretur extra vas, pertineret ad speciem Mollitiei cum animo copulæ fornicariæ.

10. *An debeat exprimi copula fornicaria, quo situ sit facta?*

℞. Non debet necessario exprimi, si ex aliis modestis terminis poterit Confessarius intelligere, an fuerit perfecta vel potius imperfecta fornicatio. *Ratio est*: quia diversus modus & situs coeundi, non mutat speciem fornicationis, sed tantùm aggravat malitiam ejus, si sit vg. more brutorum à tergo, vel stando. Unde Confessarii in talibus non debent esse solliciti, ad interrogandas præsertim Fæminas. Ut docet Sporer p. 4. cap. 3. Sect. 1.

11. *Quid de Concubinariis judicandum sit Confessario?*

℞. Juxta communem sensum DD. non debent absolvi, sicuti & Meretrices, nisi prius dimissâ concubinâ eaq; de domo ejectâ. *Ratio est*: quia nisi Concubinarius id faciat, non præsumitur in ipso adesse firmum emendationis propositum, & talis in continuo proposito saltim virtuali peccandi manet.

Similiter non debet absolvi, qui in domo sua Meretricem fovet, etiamsi cum illa non peccaret, dummodo illa sit publica aut saltim pluribus nota ut talis. *Ratio est*: quia aliàs hoc ipso cæteris daret scandalum. Ita Navar. Sanchez L. 1. Mor. cap. 8.

12 *Quomodo Confessarius providere debet illi Concubinario, in cujus potestate non est expellere de domo Fæminam cum qua fornicatur?*

℟. Si talis est servus & peccat cum serva ejusdem domûs, & Domini. Vel si peccat cum sola Domina, tunc si non potest à se removere talem Personam, debet ipse omnino recedere & egredi de eadem domo, quàm primum finietur ejus servitii annus, ne suspicio aliqua oriatur si ante tempus discedat. Per illud vero spatium assignet ei Confessarius, ut cum illa Fæmina nunquã secretas collocutiones habeat; & pro custodia suæ animæ oculis non intendat, ac frænum petulanti carni per jejunium & mortificationem imponat. Quodsi id serio promiserit, absolvi debet, quia est rite dispositus.

Hic etiam dandus est vitandi peccatum modus Filio Patris, qui de domo neq; seipsum removere potest, neq; concubinam suam. Si tamen poterit alius recedendi modus adinveniri svadendus est omnino à Confessario. Et quia sæpius tales Pænitentes soleant difficultates proponere, eo quod alligatum cor habeant ad personam fornicariam, hinc bonus Confessarius jaculatoriîs tales deterreat verbîs, demonstrando infernales pænas sine fine lugendas pro momentanea delectatione, ut saltim sic eorum posset lucrari animas. Plura de his dixi Sect. I. de Regulis Confessarii ad quem locum pro praxi remitto.

13 *An Fornicatio cum alterius sponsa de futuro Matrimonio addat specialem malitiam in Confessione explicandam?*

℟. Non concordant DD. Aliqui affirmant, plures negant: uti Mastrius. *Ratio* illorum est: quia per sponsalia de futuro Matrimonio nondum sponsus acquisivit jus in corpus sponsæ; adeoq; Confessarius in praxi quamcunq; vult pro opportunitate temporis eligat sententiam. Certum tamen

est,

est, quod talis Fornicatio aggravat malitiam peccati.

Meo tamen judicio probabilior est sententia prima. *Ratio est*: quia eo ipso, quod sponsa per sponsalia appromisit soli sponso nubere, hinc jam nulli alteri promisit commisceri. Et tale jus est inchoatum. Unde saltim ipsa sponsa tenetur explicare statum suum in Confessione; quia per fornicationem videtur inferre injuriam præsenti sponso & futuro Marito, maxime si putet illam esse Virginem, quæ est corrupta, in spe brevi venturo Matrimonio.

14. *An tenetur Fornicarius exprimere in Confessione, si peccet cum infideli vg. Judæa vel Turcissa?*

℟. Pariter non concordant DD. Affirmat Sanchez L. 7. d. 5. *de Matrim*, cujus *Ratio est*: quia Matrimonium cum infideli est prohibitum ab Ecclesia, tum ratione fidei, tum etiam prolis educandæ: ergo etiam & accessus fornicarius. Negat Azorius. Tambur. Diana & alii. *Ratio* illorum: quia nullo jure probatur malitiam illam esse distinctam specie.

Adulterium.

15. *Quid est Adulterium?*

℟ Est peccatum Luxuriæ quo violatur fides conjungatis & fit accessus ad alienum thorum. Et in hoc peccato major invenitur malitia specie distincta, quã in simplici fornicatione, quia fit injuria tertio, cujus thorus violatur. Intercedit etiam perjurium fidelitatis Maritalis, quam spondere solent contrahentes Matrimonium.

16. *Quot modis solet fieri Adulterium?*

℟. Tribus. 1mo. quando solutus peccat cum conjuga

conjungata. *2do.* quando conjungatus cum soluta. *3tio.* quando conjugatus cum conjugata. Primis duobus modis committitur Adulterium simplex, tertio autem modo fit duplex Adulterium, adeoq; in Confessione est aperiendum. *Ratio est*: quia protunc committuntur duæ injuriæ in utriusq; conjugem innocentem. Tum quia duplex conjugalis fides violatur, & duplex Matrimonium.

17. *Quale est peccatum Adulterium & quæ ejus pœna?*

℟. I. Est, ex genere suo mortale, & quidem Duplex in se continet Peccatum Luxuriæ specie distinctum, nempe: Fornicationis, & specialis injuriæ consortis suæ ac Sacramenti Matrimonii.

℟. II. Pæna pro Adulterio est Capitalis, juxta leges civiles L. *Quamvis* 30. De Adulteris. Quãvis DD. velint hanc pænam statutam fore pro duplicato Adulterio tertio modo accepto, vel aliquoties repetito, & jam sæpius punito. Quæ pæna in Fæminis ob fragilitatem sexûs mitigata est. *Auth. Sed hodie* Cap. *Ad legem Julian. De Adulteris*, ubi inter alia statuitur, quod: *Hodie Adultera verberata in Monasterium mittatur.*

18. *Estne grave Adulterium si vg. Vir consentiat in copulam suæ Uxoris cum altero?*

℟. Esse omninò, quia licèt protunc Marito volenti & consentienti non fiet injuria, adhuc tamen esset specialis malitia ob injuriam fidei conjugalis, & Sacramenti Matrimonii. Unde merito ab Innocentio XI. damnata hæc est Propositio, quæ est odine 50. *Copula cum conjugata consentiente Marito, non est Adulterium, adeoq; sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.*

19. *Quomodo peccant Mariti qui inebriati, vel etiam leves, protestentur non denegasse amico Uxo-*
rem

rem suam ad actum veneream?

℞. Illos plerumq; pecare mortaliter. *Ratio est:* quia per tales locutiones possunt esse scandalum Uxoris, & alterius Viri, & sæpius exinde lascivæ Fæminæ assumunt audaciam ad violandum thorum. Dixi *plerumq;* peccare mortaliter, quia levitas & ratio joci poterit eos excusare à mortali, vix tamen aliquando à veniali.

20. *Quomodo illi peccant qui ignorant statum Mulieris, cum qua fornicantur, an sit libera vel potius uxorata?*

℞. I. Si invincibiliter ignorent, & putent esse liberam, ex sua parte simplicem fornicationem committunt. *Ratio est:* quia tale est peccatum, quale est voluntarium.

℞. II. Quod si putent esse uxoratam, & commiscentur ei, Adulterium faciunt, non obstante quod sit libera, propter rationem supra datam. Quod etiam Confessario observandum erit in cogitationibus solis impudicis, cum consensu: Quia malitia peccati semper conformatur malitiæ voluntatis peccatoris.

21. *Quid observandum in Adulterio commisso quantum ad restitutionem?*

℞. I. Si partus aut aliud damnum non sit secutum conjunx adulterans ad nihil tenetur, nisi coram DEO ad pænitentiam pro peccato. Si vero sit publicum, aut notum conjungi innocenti, tenetur deprecationem facere pro injuria thoro, & fidelitati matrimoniali illata.

℞. II. Quòd si partus sit secutus, tenetur adultera quantum fieri potest sine famæ dispendio, & vitæ periculo procurare, ne legitimi successores & hæredes, ac alter conjunx innocens ratione hujus suppositæ prolis aliquod damnum patiatur.

Maxime

Maxime si sit parvæ, aut plane nullius dotis respectu Viri innocentis; nam si ejusmodi adulteræ foret major fortuna, facilior modus erit subvenire spuriæ proli de propriis bonis. Ita cum *Scoto* in 4. d. 15. q. 2. alii DD.

22. *Quibûs modîs adultera potest compensare damnum legitimorum hæredum per spuriam prolem illatum?*

℞. Multi adsunt modi dandi à Confessario juxta conditionem & statum adulteræ pro arbitrio æstimabiles. Quorum principales tres assignat *Scotus* loco cit.

I. Si adultera habeat bona parapharnalia, debet quantum jura permittunt eadem relinquere legitimis Filiis, in compensationem damnorum; quod idem facere poterit ex dote sua.

II. Tenetur diligentiam adhibere in gubernatione domûs, ut ex labore & industria sua, bona possit augere, in compensationem illius avulsæ partis, quam illegitima proles sit acceptura.

III. Debet solitos sumptus diminuere, quantum status ejus permittit, maxime si sit vidua & sui Mariti bonorum vitalitia Domina, tunc enim de propriis reditibus compensaret legitimorum filiorum damnum.

23. *An teneatur adultera revelare suum crimen Marito, aut Filiis legitimis ut cedant injuriæ suæ?*

℞. Cum communiori non teneri, ne quidem in mortis articulo aut per Confessarium; sed sufficienter providebit & damno illato & conscientiæ suæ modis supra enumeratis. *Ratio est;* quia sine sui infamia id non potuisset facere. Tum quia ex tali revelatione potuissent graviora mala sequi quam sit ipsa restitutio, ut est scissio & discordia inter liberos, ac perpetuum odium inter eos.

Neq;

Neq; obligatur sub secreto proli illegitimæ revelare, ut se abstineret à portione hæreditatis non suæ, utpotè non sui Patris *Ratio est*: quia ex una parte non facile crederet ei, imo secundum Fugnanum non debet credere; ex altera parte cum remorsu conscientiæ possideret fortunam, quam nullo jure amittere posset.

24 Curiosè quædam Mater adultera fecit, jamjam moritura; quæ vocans ad se tres Filios, revelavit eis solis secretò, quod unus ex eis sit spurius, ac proposuit ut illum Spurium, aut omnes acceptent spontè ad portionem hæreditatis; aut illum revelabo, & excludetur. Filii circumspicientes ad invicem. ac unusquisq; timens de se; responderunt Matri: talem acceptaturos libenter in Fratrem, & donare ei suum damnum in divisione fortunæ. Ingeniosus quidem hic fuerat modus, melius tamen restitutio fit illîs tribûs modîs. *Ratio est*: quia illîs modîs Mater adultera providet & suæ famæ, & bono Filiorum, sine extorsa voluntate & consensu Filiorum, porro in casu habetur politica extorsio condonationis sui damni ut consideranti patet,

25. *An tenetur ad restitutionem adultera, si nesciat certò, sed prudenter dubitet, num vg. sit proles concepta ex Marito vel adultero?*

℟. I. In tali casu juxta La Croix L. 3. p. 2. n. 335. & alios, tam adulter quam adultera ad nihil tenentur. *Ratio est*: quia in dubio, pro Matrimonio præsumitur. cui proles tanquam favor adjudicatur.

℟. II. Quod si sciret certo prolem esse conceptam ex adulterio; sed nesciret à quo, cum Fæmina intra breve tempus cum pluribus Adulterium commiserit; tunc in tali casu juxta La Croix

singuli

ſinguli adulteri juxta, proportionem dubii ſunt obligati ad reſtitutionem alimentorum & partis hæreditariæ proli legitimæ ſubtractæ: Ita tamen, ut dimidium Mater, alterum dimidium reſtituere teneantur Adulteri, loco Patris certi.

℞. III. Quando unus adulterat, non de facili tenetur credere Mulieri adulteræ, dicenti hanc prolem natam, fuiſſe ex ipso conceptam, ut paſſim docent Doctores. *Ratio eſt*: Quia potuit concipere ex Marito, & ab Adultero reſtitutionem extorquere. Niſi ei certò conſtet, vel quia Maritus abſuit, & tempus partûs correspondet cum tempore habitæ copulæ; tunc in conscientia obligatur compensare illa, quæ expensa ſunt in alimenta prolis à tertio ejus ætatis Anno, ac deinceps, & ad omnia damna unà cum Adultera.

Stuprum.

26. *Quid eſt Stuprum?*

℞. Eſt peccatum Luxuriæ, quô Stuprator per vim invitam corrumpit Virginem, quod eſt gravius adulteriô, cum per illud gravis infertur injuria virginitati Puellæ, quæ maximè æſtimari debet.

27. *Quæ Pæna Stupratoribus eſt impoſita?*

℞. Juxta jus commune Cæsareum, pæna mortis eſt injuncta, ſive illa persona ſit Virgo, ſive corrupta, ſcilicet maritata, vel vidua; nam etiamſi tali violentia fiat, Stuprum committi dicitur. Licèt & ſcelus gravius, & pæna major debeatur pro defloratione Virginis, cui per vim integritas corporis adimitur.

28. *Ad quam reſtitutionem teneatur qui Virginem conſentientem defloravit abſq; vi, fraude & promiſſione Matrimonii?*

℞.

℞. I. In Foro Conscientiæ ad nihil tenetur, ut docet Mastrius, Lessius, & alii communiter. *Ratio est*: quia volenti non fit injuria. Quamvis non desint aliqui DD. tenentes, aliquid restitui debere Parentibus, aut illis, sub quorum est cura. *Ratio* illorum est: quia hi debent augere majorem dotem corruptæ, quàm si fuerit Virgo, adeoq; habent damnum. Primæ tamen adhærendum est opinioni in praxi Confessario.

℞. II. In Foro autem Contentioso & in Jure Civili tenetur ei nubere, aut si Pater noluerit eam dare in Uxorē, reddet pecuniā juxta modū dotis. Ante tamen sententiam Judicis corruptor ad id in conscientia non obligatur. Ut docet Lugo Reiff.

℞. III. Quodsi Deflorator diffamaverit occultum crimen, vel aliquod aliud damnum deflorataæ accesserit, talis à Confessario adstringendus est ad omne damnum emergens defloratæ restituendum, quod bene notandum.

29. *Ad quid tenetur qui vi, aut fraude defloraverit Virginem?*

℞. Tenetur vel Matrimonio copulare, vel damnum reparare. Ita Lessius loco citato. *Ratio est*: quia protunc per deflorationem intulisset ei damnum ad quod restituendum tenebitur. Nisi Puella æque commodis núptiis posita esset, tunc ad nihil horum teneretur, quia nullum detrimentum haberet Puella, præter solam deflorationem, quæ irreparabilis est, & pretio inæstimabilis.

30. *Ad quid tenetur, qui cum promissione futuri Matrimonii ad deflorationem induxit Virginem?*

℞. Juxta communem sententiam, tenetur in conscientia illam ducere, etiamsi fictè promisisset. *Ratio est*: quia etiam fictè promittens futurum Matrimonium, tenetur eam in Uxorem du-

cere

cere ratione injustæ deceptionis: Nisi hoc onus Puella aliâ recompensatione concederet sibi compensari.

Excipitur tamen Casus, in quo deflorator talia signa dederit, quibûs Fæmina facile agnoscere poterat promissioni subesse dolum, & simulatam fore nuptiarum promissionem, vel propter inæqualitatem statûs, vel ex alio signo & motivo; in tali enim circumstantia in conscientia ad nihil tenetur deflorator. *Ratio est* quia protunc Puella non præsumitur fuisse decepta, sed fingere deceptionem, & ex sua libera voluntate consensisse in actum turpem. Ita Mastrius noster cum aliis.

De illo autem qui invitam defloraverit, nulli dubium est, quod teneatur illam in Uxorem ducere, si ipsa velit, vel aliô justô pretiô damnum illatum compensare, etiamsi sit peccatum occultum ante sententiam Judicis ex onere conscientiæ, quam obligationem, sub denegatione absolutionis; tenetur Confessarius violanti claustrum Virginitatis imponere; imo & si non fuerit Virgo sed corrupta, quia in utroq; casu nolenti Fæminæ per vim damnum infertur.

31. Sed in his casibus oportet esse prudentem Confessarium; Nam Fæminæ solent quidem renuere accedenti luxurioso Viro, non tamen semper sincerè, unde si poterat clamare, aut alio modo se defendere, & tamen tacuit, non videtur fuisse vera violatio. Qui enim tacet, consentire videtur. Nisi fuisset in tali loco constituta, ubi nullum adjutorium propter absentiam hominum sperare potuit.

32. Hos igitur & sequentes casus de restitutione diligenter cognoscat Confessarius, quia propter ruborem utriusq; partis, solent esse plerumq;

occulti Pænitentes & in solo Sacramentali foro judicari. Et certe, aliæ sunt pœnæ taxatæ à Jure Civili, ut supra dixi, & aliæ à Jure Canonico & in foro interno conscientiæ. Videatur de his Jus. Canon. lib. 4. Decret. tit. 1. § 4. n. 133.

33. *Ad quid tenetur Stuprator si ex copula sequatur impraegnatio?*

℟. Tenetur post annum tertium conceptam ex copula fornicaria prolem alimentare: & si opus fuerit nutricem ac alia necessaria proli suæ subministrare. Ad tertium vero annum ad maternam curam spectabit, juxta Glossam Jur. Can. Et hoc intelligi debet etiamsi Stuprator neq; appromiserit Puellæ futurum matrimonium, neq, vi, aut dolo induxerit, sed consentientem sponte defloraverit. Ita communiter Casuistæ.

Incestus.

34. *Quid est Incestus?*

℟. Est peccatum Luxuriæ cum Consangvinea vel affine intra gradus jure prohibitos commissum. Et hoc est mortale ex genere suo, & addit specialem malitiam in Confessione aperiendam, ut docent communiter DD. Hoc enim peccatum etiam Gentes naturali instinctu damnabant.

35. *Ad quos gradus Incestus extenditur?*

℟. Juxta Constit. Trident. Ses. 24 *De Reformat. Matrim.* C. 4. Si sit ex copula illicita seu fornicaria, extenditur ad secundum gradum inclusive Consangvineitatis. Si vero proveniat ex copula licita Maritali non peccaminosa, extenditur usq; ad quartum gradum; sed de his jam dictum est Par. 1. de impedimentis Matrimonii.

36. *An Incestuosus teneatur confiteri in quô gradu peccaverit?* Tt ℟.

℟. I. Non concordant Doctores qui in hac re sunt in 3. sententias divisi: *Aliqui* enim ut Nav: Valentia. Vasquez. volunt indiscriminatim omnes istos gradus specie distingvi, adeoq; in Confessione aperiendos esse. *Alii* vero è contra, ut Tambur. Cajet. Scotus cum S. Thoma, volunt esse ejusdē speciei. *Ratio* illorum, quia in omnibus est peccatum contra eandem Virtutem Pietatis. Tertia sententia est media. Cum qua.

℟. II. Probabiliùs Incestum cum Consangvinea distingvi specie ab Incestu cum Affine. *Ratio est:* Quia ista vincula cognationis specie differunt. Ita Lessius L. de Just. & Jure C. 3. Qui etiam specie distingvit Incestum cum Consangvinea in linea recta vg. cum Matre, ab Incestu cum aliqua persona in linea Collaterali vg. cum Sorore, vel Consobrina. *Ratio est:* quia aliquando licuit Incestus cum Collaterali, uti in veteri Testamento, non vero cum illla quæ est Consangvinea in linea recta vg: cum Matre, Avia. Videatur Tabula Consangvineitatis Part. 1. pag. 135.

Omnes autem istæ Sententiæ gaudent sua probabilitate & fundamento: Tutiorem tamen semper pro opportunitate temporis sequatur Cōfessarius; neq; sit deses in interrogando, ut omni ex parte qua potest, plenum habeat Judicium; Neq; autem nimis sit de his sollicitus, quia in Regno Poloniæ solent incestuosi Pænitentes solitò exprimere affinitatis gradum. Dummodo sciant illos prompte distingvere.

Raptus.

37. *Qid est Raptus?*

℟. Raptus committitur, dûm persona aliqua invita abducitur per vim ad libidinem explendam. vel

vel matrimonium contrahendum. Sive illa Persona ſit Maſculus, ſive Fæmina, ſive Virgo, ſive corrupta, nupta vel innupta. Quod peccatum ex genere ſuo eſt graviſſimum.

38. *Quod Conditiones requiruntur ad Raptum propriè dictum?*

℟. Juxta DD. Tres. 1. Ut abducatur persona à domo ſua vel Paterna, & in alia detineatur. 2. Ut abductio illa, ſit cauſa libidinis, vel Matrimonii contrahendi. 3. Requiritur vis illata; unde quando Puella ſponte conſentit, etiamſi inſciis Parentibûs, aut repugnantibûs, cum Amaſio diſcedit, non committitur Raptus propriè, ſed potius fuga voluntaria.

39. *Quæ ſunt pœnæ impoſitæ Raptoribus?*

℟. In Jure Civili, eſt pœna Capitis. In Jure Canonico, publica pœnitentia, & ut Raptor ſine ſpe Conjugii maneat. Cap. *Raptor.* His pœnis noviſſime Trid. Seſſ. 24. *de Reform. Matrim.* C. 6. addit alias, nempe: Pœnam Excommunicationis, à Raptore, & omnibus illi conſilium, auxilium, aut favorem præbentibus, ipsô factô incurrendam. 2. Perpetuam infamiam. 3. Ut inter Raptorem & Raptam, quamdiu hæc in poteſtate Raptoris manſerit, nullum poſſet conſiſtere Matrmonium. Videantur alia de Raptu Part. 1. de Impedim. Matrim. pag. 139.

Sacrilegium.

40. *Quid & quotuplex eſt Sacrileginum?*

℟. Eſt violatio rei Sacræ ſeu dicatæ DEO. Eſtq; triplex; Reale, Perſonale, & Locale. Quorum videatur explicatio Part. 1. de Peccatis in ſpecie; nobis in præſenti eſt tantum ſermo de Sacrilegio Perſonali.

41. *Quot modis fiat Sacrilegium Personale?*

℟. Hîs 4*tor* modîs.

1. Homicidiô Personæ Sacræ, seu DEO in obsequium dictæ, qualis est Clericus, Monialis &c. 2. Percussione ejusdem Sacræ Personæ. 3. Tractione Personarum Ecclesiasticarum ad Tribunal sæculare, incarceratione, & alia ignominiosa tractatione. 4. Fornicatione cum Persona DEO dicata, Voto Castitatis obstricta. De Sacrilegio hoc quarto modo sumpto in præsenti loquimur. Nam de aliis alibi jam dictum est.

42. *Quot modis potest fieri Sacrilegium per fornicationem?*

℟. Duobus modis 1. Quando fornicatur Persona libera cum Sacra, seu voto castitatis obstricta vg. Aulicus cum Moniali; vel è contra, Clericus aut Religiosus cum sæculari Fæmina. 2. Quando utraq; Persona fornicans est Voto Castitatis DEO consecrata: ut vg. Clericus cum Moniali. Et hoc est Sacrilegium duplicatum, quod in Confessione exprimi debet, sicuti adulterium Maritati cum Uxore alterius.

43. *An Sacrilegium committitur à Personâ fornicante, quæ est solum obstricta* Voto *simplici Castitatis?*

℟. Affirmativè; quia non minus fit promissio DEO Castitatis servandæ per simplex Votum, quam solemne; in utroq; enim Casu læditur fidelitas DEO servanda

44. *Quibûs actibûs committitur* Sacrilegium?

℟. Non tantum committitur actu & opere consummato fornicationis, sed etiam actu interno seu voluntate consentiente. *Ratio est*: quia cogitationes deliberatæ cum consensu, ejusdem speciei habent malitiam, sicuti & externa opera consummata-

summata, ut patet de omnibus peccatorũ malitiis.

Unde Religiosi Professi aut Clerici in Sacris constituti, ratione Voti Castitatis, tenentur abstinere ab omni deliberata venerea delectatione, actuq; tam externo quam interno, qui est contra Castitatem. Nam quod est in sæcularibus extra conjugium peccatum contra Castitatem, id in Clericis & Religiosis est Sacrilegium ratione Voti. Et sæpius contigit, ut ille tactus, aspectus, aut osculum, quod veniale fuerat in sæcularibus, in Religiosis aut Clericis erit mortale, & hoc propter sublimem eorum statum & obligationem.

45. *Quotuplicem continet malitiam Actus venereus in Religiosis Monialibus & Clericis?*

℞. Sive sit actus exterior sive interior, ut sunt delectationes morosæ; aut pollutiones voluntariæ, duplicem continet malitiam; unam contra Virtutem Castitatis, alteram contra Voti obligationem. Ita tamen, ut malitia Sacrilegii contra Votum, in illis duntaxat sit mortalis, in quibus actibus malitia libidinis est mortalis, Venalis vero in quibus illa est venialis. Ita Lessius. Sylv. Layman & alii.

26. *An Religiosus Professus habens duplicem obligationem servandi Voti Castitatis, ratione Professionis, & Sacri Ordinis, teneatur exprimere in Confessione?*

℞. Probabilius non tenetur, quia moraliter unam committit malitiam, ratione hujus duplicis obligationis. *Ratio est:* quia hæc duplex obligatio, provenit ab eodem Voto Castitatis, in Sacro Ordine implicito & tacito; In Professione vero explicito. Ita Sanchez Diana Lugo & Bonacin. q. 4. p. 17. Duplicem autem ut supra dixi committit malitiam, si aliquomodo peccet actu venereo,

quia

quia peccat contra Virtutem Castitatis, & Votum, quæ obligationes sunt diversæ, ac numero distinctæ.

48. *Quomodo sit prohibitus Regularibus & aliis Clericis accessus ad Moniales?*

℟. Id prohibitum est sub gravissimis pœnis, & onere conscientiæ sub mortali peccato à diversis Constitutionibus; & præsertim quo ad Regulares Personas confabulantes ad Crates Monialium, adest stricta prohibitio S. R. Cong. 1590. ex mandato Sixti V.

Et quia mens humana semper est prona ad libertatem & explicationem prohibitionis Apostolicæ; hinc plures putabant non esse id prohibitum ad modicum tempus v.g. ad quadrantem horæ cum dimidio. Facta est iterum nova prohibitio *S.* Cong. 11. Maii 1669. In qua omissis antecedentibûs verbîs hæc subjungo, quæ habent rationem sententiæ diffinitivæ; Quorum tenor est talis.

S. *Cong. declaravit Regulares cujuscunq; Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, & etiam ipsis Regularibus subjecta, vel aliàs speciali mentione digna, absq; legitima facultate accedunt, colloquendó etiam per quodcumq; modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter: N. B. eosq; sub Excommunicationis, privationis activæ & passivæ, aliisq; contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium, statutis pœnis, posse ab Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ delegato, coerceri.* Hucusq; sunt verba Decreti S. Cong. Conc. quæ Constitutio 7. Junii ejusdem Anni approbata fuit à *SS.* Papa.

48. *Nota*: quod hæc Constitutio tam graviter sub mortali prohibens allocutionem cum Monialibus, à paucis, vel plane a nullis soleat observari, ideoq; multos illaqueatos esse hoc peccato, tam Regulares quam etiam sæculares reperies.

Sunt nonnulli dicentes: hoc Decretum valere in Italia, ubi propter caliditatem auræ adest major æstus libidinis, non vero in Polonia: sed quam stulta est opinio. Numquid Poloni sunt Angeli, in carne? quis te discernit, qui talia præsumis? an habes constrictos lumbos ut D. Thomas? & si haberes: uno verbo una cogitatione, utpote ignis ad stipulam approximatus, totum infernum animæ tuæ accendere poteris.

Deinde, & hoc notandum est; quod prædicta Prohibitio non est præcise facta, ut occurratur actui Sacrilego fornicationis consummatæ; sed etiam, ut Moniales DEO consecratæ, non fabulosis collocutionibûs occupentur, sed in laude DEI, in tranquillitate animæ, & pace interna persistant.

49. *A quo petenda est licentia accedendi ad alloquendas Moniales?*

℟. Juxta declarationem S. Cong. jussu Urbani VIII. editam; pertinet hæc licentia ad Ordinarium Loci, aut ejus Vicarium & Superiorem Regularium, nisi alia sit consvetudo introducta, ut solet fieri in Polonia, sed hæc consvetudo in tantam devenit licentiam, ut unusquisquè pro libitu suo, absquè scientia Superioris adeat Crates Monialium.

Quàm autem displicuerit hæc familiaritas loquendi cum Monialibus, S. P. N. Francisco, patet ex Annalibus Vadingi: ad Annum 1219. Num 44. Cum enim quidam F. Stephanus de licentia sui Commissarii Visitatoris accessisset ad Moniales

contra

contra Præceptum S. Paris, de quo resciens, Indulgentiam petentem graviter increpando, jussit illum hyemali tempore Mense Decembri in Amnē, ut erat vestitus, immergi, quod & factū est; dicente interim S. Patre *Extingve hâc aquâ scintillas, quas in te lenis & mitis, sed periculosus ignis accendit, lava & absterge his undis, secretas sordes, quæ te inscio, tibi fortasis hæserunt.* His dictis S. P. ivit per duo milliaria, Fratre illum in madefactis Vestibus & intensissimo frigore subsequente.

Unde meritò Nicolaus III. & Benedictus XII. districtius inhibuit Custodibus & Gvardianis, ut Fratres sui Ordinis sibi subditos, ab accessu ad Monasteria Monialium quarumcunquè arcere studerent, pænas providè ordinatas transgressoribus infligendo. Et ex mandato Sixti V statuit S. Cong. quodsi alicui cum licentia Superiorum detur facultas accedendi ad Monialium Ecclesiam pro Celebranda Missa aut Concione, prohibetur: *Ne dicti Religiosi ullo quæsito colore Moniales Sorores, aut quamlibet aliam Personam intra Claustra degentem, alloqui possent.*

Hoc idem statutum est in Capitulo Generali Toletano ac Vallisoletano, prout legenti constat eadē Statuta nostri Ordinis. Sed quid frustra his documentis occupabo paginā, numquid mea persvasio auferre poterit hunc abusum jamjam in omnibus planè Religionibus gliscentem? Certe nihil novi adduco, cum prius sint iisdem Commi-nationibûs repleti libri, attamen video, Lex est in Codice, & favor in Iudice. Si Superiores dissimulant peccata, quid pagina corrigere poterit? omnes quidem verbîs curant, & nemo succurrit.

Molliti-

Mollities

50. *Quid est peccatum contra naturam?*

℟. Est actus Luxuriæ, ex quo non potest sequi generatio. Et hoc peccatum inter omnes Luxuriæ species est gravissimum, quia opponitur non tantū legi positivæ, sed etiam naturali & inditæ. Dividitur in quatuor species: scilicet in Mollitiem Bestialitatem, Sodomiam, & Indebitum concumbendi modum.

51. *Quid est Mollities?*

℟. Est peccatum contra naturam, per quod voluntarie pollutio seu seminis effusio quæritur extra concubitum. Est gravissimum mortale, si sit voluntaria. Juxta Apostolum 1. ad Corinth. 6.

52. *Quotuplex est Mollities?*

℟. Duplex. Una *Simplex* quæ solet fieri extra concubitum. Et alia *Qualificata*, quæ fit in ipso concubitu. Ut dum fornicans ne fiat imprægnatio effundit semen extra vas consultò. Quod peccatum est communissimum etiam aliquando inter Conjuges. Sunt & aliæ divisiones de quibus infra.

53. *An detur etiam in Fœminis Pollutio?*

℟. Datur juxta Busemb. & Henno. Et est effusio Materni seminis intra vas, & extra concubitum, proveniens ex delectatione Venerea. Addidi *ex delectatione Venerea* ne confundatur cum humore menstruo, qui sine delectatione solet effundi. Et hæc est tertia species Mollitiei. De qua.

Nota: (Sine offensione castarum aurium prudens Confessarie) quod compertum est aliquas Mulieres in Cælibatu viventes, aut viduas juvenes, sibi facere aliqua instrumenta ex panno serico vel alia molli materia, quibus se excitent ad delectationem venerеam

neream & pollutionem; aliquæ in absentia Viri fricationem faciunt, ut possint satisfacere internæ libidini. In his casibus sit quidem Confessarius instructus, non tamen in interrogationibus curiosus sed cautissimus, quia hæc & pudorem maximum excitant in Pænitente, & aliquando scandalum parerent, doceret enim aliàs modum hunc pessimum ignorantes; Unde si alio modo ex verbis poterit cognoscere malitiam talis Mollitiei, desistat ab ulteriori interrogatione.

54. *An licitum est aliquando procurare Pollutionem?*

℞. In nullo casu directe licitum est, nequè per medicamenta. Unde Medicis id facientibus gravissime prohibetur: Cap. *Cum infirmitas.* Nequè valet paritas de emissione sangvinis ad conservandam vitam, aut amputatione manus; Nam disparitas est: quia semen est ordinatū ad propagationem speciei. Unde nec ejus usus licitus est aliter, quàm ad hunc finem. Cæterū sangvis & manus &c. sunt instituta ad conservationem & functiones individui.

55. *Quod est majus peccatum vg. in Religioso aut alia Persona Sacra, an peccatum carnale consummatum cum Fæmina, an potius voluntaria pollutio?*

℞. Certissimum esse majus ac gravius pollutionem. *Ratio est:* quia per illam ex una parte peccat contra virtutem Castitatis & Votum; ex altera parte superaddit malitiam contra legem naturæ, quæ non reperitur in alia Sacrilega fornicatione. Non enim per Votum Castitatis transfertur semen de lege naturali in frustraneum & vacuum, sed si effundi contigerit sponte & libere, debet effundi modo naturæ debito, & sic fiet peccatum contra legem positivam, non vero naturalem. Tū

quia

quia in pollutione voluntaria, plura violantur Præcepta, scilicet DEI & Naturæ; non sic vero in fornicatione, præsertim cum libera.

56. *An omnes Pollutiones æque voluntariæ, sint ejusdem speciei & malitiæ?*

℞. Secundùm se spectatæ, sunt ejusdem speciei, quia habent eandem deformitatem & contrarietatem rectæ rationi. Prout tamen sunt qualificatæ, habent specialem malitiam. Nam si polluit se Persona Sacra? additur nova malitia Sacrilegii; si conjugatus? nova malitia contra Castitatem conjugalē & bonū Matrimonii &c. Ita Bonac. Azorius & alii.

57. *Quid observandum est Confessario circa Pœnitentes pollutione immundos?*

℞. In praxi has tres interrogationes facere debet 1. de statu Pænitentis quisnam sit, num solutus, vel ligatus, aut Voto Castitatis obstrictus? nisi aliunde sciat statum ejus. 2. An non accesserit tactus impudicus, aut oscula alterius sexus? Quodsi solus secum fecit pollutionem. 3. Interroget: Utrum protunc non habuerit reflexionem & affectum vel etiam desiderium ad alias Personas coëundi cum illis? Quod si sic? An talis Persona fuerit soluta vel ligata; aut Sacra uti Monialis aut Sacerdos? tunc ultra pollutionis malitiam, addidit aliam juxta qualitatem illius Personæ quam desiderabat ad coëundum.

Quodsi dicat: se quidem habuisse protunc reflexionem ad Fæminas multas in confuso, ad nullam autem determinatam, vel si ad aliquam determinatam, non tamen desiderando cum illa peccare, sed in mente contemplatus sum ejus pulchritudinem; tunc in simili casu simplex Pollutio fuerat, sine speciali malitia qualitatis: Ut notat Sporer. p. 4. c. 3. Sec. 5.

58.

58 *Quomodo formandæ sunt Interrogationes à Confessario in omni materia Luxuriæ?*

℟. Sunt faciendæ modestè, sine extorsione usquè ad verba turpia, si prudens Confessarius ex modestis terminis intelligere poterit qualitatem peccati Luxuriæ. Unde si confiteatur Pænitens generaliter se peccasse contra sextum Præceptum, 1. Interrogetur: *Quomodo, Cogitatione, verbo aut opere?* Si dicat: opere, jam præsumitur præcessisse cogitatio, & aliquando & verbum turpe. 2. Interrogetur: *Cum quali persona, libera an ligata?* Quidquid responderit: 3. Interrogari debet. *Quot vicibus?* vel si cum solutis & ligatis peccaverit. *Quot vicibus cum quibusvis?* Quòd si dicat: pertactus impudicos longos & cum delectatione factos peccasse. 4. Interrogetur *Quoties? diversâ vel unâ conversatione cum Amasio?* Nam si una conversatione sint plures impudici tactus & oscula, unum duntaxat erit continuatum peccatum. Post has Interrogationes superaddat Confessarius: *Num aliquid aliud pejus non sit exinde subsecutum?* Si dicat *nihil.* Desinat jam ulterius ab Interrogationibus. Habebit enim plenum Judicium, quod illi impudici tactus quia fuerant cum summa delectatione, signum est, quod debuerat habere pollutionem talis Fæmina, de qua tamen directe non est interroganda, quia plerumq; non posset se ipsâ de illa explicare, quia plures Fæminæ illam invincibiliter ignorant.

59. *An pollutio indirecte voluntaria sit peccatum mortale?*

Antequam Resp. *Nota*: quod illa pollutio est indirecte volita; quæ prævidetur secutura ex positione alicujus causæ, quæ evitari posset, & deberet. Et protunc est voluntaria in causa.

℟.

℞. I. Erit mortalis, si ipsa causa in genere Luxuriæ, sit graviter peccaminosa, & ex se multum excitativa talis effectus; Ita communiter DD. Et sic peccat, qui prævidet ejusmodi pollutionem secuturam, tamen libere vacat libidinosis osculis, tactibus &c. *Ratio est*: quia in talem causam consentiens, hoc ipso in effectum inde sequentem consentire arguitur.

℞. II. Quod si hæc operans scilicet tactus &c. nullô modô advertit ad periculum secuturæ pollutionis; tunc illa neque in se, neque in causa erit voluntaria, neque peccaminosa mortaliter, nisi aliàs sibi in illa complaceret pollutus Quod bene observandum est Confessario, ut sciat discernere lepram â lepra, & mortale à veniali.

60. *Quid agendum, si prævideatur Pollutio ex causa, quam vitare neque potest, neque debet?*

℞. Secluso consensu Pollutionis non imputatur ad culpam, *Ratio est*: quia talis causa ex quo est licita, non est per se & ex natura sua connexa cum pollutione, sed tantum per accidens.

61. *Quæ sunt tales Causæ excusantes à peccaminosa Pollutione?*

℞. Esse sequentes 1. licitum est tangere se ex necessitate, aut tangi à Medico. 2. Sumere medicinam calidam ex qua per accidens, sequatur Pollutio. 3. Equitare. 4. Alloqui, ac modeste juxta morem Patriæ osculari Fæminam. 5 Studere Casibus. 6. Audire Confessiones: Et alia opera ex se honesta, ex quibus per accidens sequatur Pollutio, dummodo in illã libidinosè non consentiatur Ita Sanchez Lessius. Bonac. & alii communiter.

62. *Quid de illo Confessario judicandum, qui expertus est, sæpius pati pollutionem ex materia Luxuriæ audita in Confessione?*

℞.

℞. Si non sit expertus sæpiùs consentire in delectationem Veneream, potiùs hanc suam miseriam contemnat, quàm apprehendat: Ut monet Layman. Si vero ratione supervenientis delectationis agnoscat se multoties lapsum in mortale; ab audienda Confessione quantumvis licita abstinendū est illi, ac relinquat officium suum. Et si est subditus, uti Religiosus; manifestet id in Confessione propter majorem fidem suo Superiori, ut liberetur à tanto periculo. *Ratio est*: quia bonum Spirituale proprium, est præferendum alieno: ordinata enim Charitas incipit ab ego. Ita Navar Sanch. Filli: & alii.

63. *An licitum sit aliquando desiderare pollutionem, aut delectari ex illa naturaliter secuta?*

℞. Licitum est cum simplici affectu, ac naturali, non venereo; Vel quia prodest sanitati, vel quia minuit tentationem, tanquam exoneratio naturæ, dummodo illa sit naturaliter secuta, absquè ulla procuratione. *Ratio est*: quia isti fines sunt honesti, Ita Lessius Layman. Navar. c. 16. Man. n. 7. Illicitum vero gaudere ob delectationem; ut docent omnes DD. communiter.

64. *An liceat permittere Pollutionem in somno vg. cæptam, aut in vigilia naturaliter factam?*

℞. *Secluso* consensu & delectatione, licitum docent Gerson, Tambur. & alii. *Ratio est*: quia id non est procurare, sed pati, ut effluat, quod alias corruptum, sanitatem læderet. Imo docet Sanchez licitum est sinere illam, etiamsi orta foret ex culpa, dummodo de illa doleat & consensum ulteriorem abstrahat sine ullo tactu membri. *Ratio est*: quia dum semen exit de suo loco, corrumpitur & nocet sanitati, nequè ulterius est aptum ad generationem tanquam finem à natura intentum.

65.

65. *Quando Pollutio in somno facta, est mortalis?*

℞. In his duobus Casibus 1. Si ante somnum est directè procurata, in causa, puta per cogitationes cum consensu, quas antequam obdormiat non retractat. 2. Quando post somnum placet, & per delectationem approbatur. Ita Trull. & alii. In aliis autem casibus, est pura exoneratio naturæ, de qua non est sollicite curandum.

66. *Quid de illis judicandum, qui ex levi aspectu Mulieris, habent pollutiones valde frequentes?*

℞. I Si fiant sine ulla delectatione, aut valde modica commotione, non est de illa curandũ. *Ratio est:* quia talis est potius distillatio quædam humoris, qui est medius inter urinam & semen, qui humor potest vocari salivalis vel sputalis juxta Gerson p. 2. tract. de *Pollut:* nec facile discernitur ab humore seminali, propter similitudinem coloris; nisi per delectationem veneream, quæ in exitu seminis solet haberi; nihilominus tamen parum liquidior est semine. Et hunc solent habere aliqui sine ullo aspectu in Fæminam, aut alia causa præsertim circa plenilunium: Ut docet idem Gerson loc. cit. illi præsertim qui sunt pleni humoribꝰ & accredine; & solet effluere cum pruritu propter suam salsedinem; Unde in ejus exitu licitam putat noster Marchantius fricationem in genitalibus.

℞. II. Si fiat cum magna carnis commotione est illicitus. *Ratio est:* quia sic præsumitur adesse vera pollutio, aut saltim inchoata, & protunc habetur commotio Spirituum ex quadam complacentia venerea & turpi. Ita Sanchez cum aliis.

Bestialitas.

67. *Quid est Bestialitas?*

℞.

℞. Est peccatum Luxuriæ contra naturam, & tunc fit, quando quis concumbit cum re animata diversæ spei ab homine. Et hoc est peccatum gravissimum, quod etiam in foro sæculari pœnâ combustionis punitur.

68. *An variatur species Bestialitatis ex diversa specie animalis cum quo committitur?*

℞. Negative. *Ratio est*: quia omnia animalia conveniunt in hac una ratione, quod non sint ejusdem speciei cum homine. Unde non est necesse explicare in Confessione, quod peccaverit cũ equa, ove, vel cane: Ut docet Filliuc. T. 30. c. 8. & alii communiter.

69. *An Bestialitatem committit, qui cum ave attentat coire cum effusione seminis?*

℞. Negative. *Ratio est*. quia in casu non est commixtio humani sangvinis in vase animalis alterius speciei, sed est qualificata Mollities, necessario tamen exprimenda in Confessione

70 *An Concubitus cum Dæmone sit species Bestialitatis?*

℞. Est: sive enim Dæmon assumat speciẽ belluæ, sive humanam, quia tamen est in se diversæ speciei ab homine, ideo Bestialitas cum ipso committitur. Cui semper annexum est vitium Irregularitatis & superstitionis ob societatem cum Dæmone inimico DEI.

71. *An una sit species Luxuriæ in concubitu cũ Dæmone?*

℞. Sæpius adesse plures juxta effectum concumbentis, nam si quis cum Dæmone coeat in forma Mulieris suæ Consangvineæ, aut alterius Uxoris, ultra peccatum Bestialitatis & superstitionis erit peccatum Incestus & adulterii, juxta pravum affectum voluntatis, quem habet taliter peccans. Ita Reiffenst. t. 9. d. 4. q. 6.

72.

72. *Qualis Pænitentia in praxi est taliter delinquentibus à Confessario assignanda?*

℟. Juxta gravitatem peccati est gravior imponenda; Et quia est carnis peccatum, jejunium longius imponi debet; & omnis occasio ad similia peccata conducens, removenda erit. Ut si per crapulam cum bestia commixtionem habuit, aqua est ei bibenda, nisi conditio & status sanitatis, id non permittat. Gravis etiam in similibus casibus danda erit reprehensio, ut vel sic deterreatur delinquens à simili enormi scelere. & ad propositum constans erigatur.

Quò si cum Dæmone frequens ab aliquo tempore fuerit concubitus; providebit prudens Confessarius de remediis misero Pænitenti, ut se ab hinc desendere possit ab infestationibus Diaboli; muniendo se Cruce sæpius, portando Reliquias die & nocte. Non aspiciendo Dæmonem in Persona formosæ Mulieris apparentem, nec loquendum est ei, ne iterum decipiatur.

Sodomia.

73. *Quid est Sodomia?*

℟, Est peccatum contra naturam, quo ex affectu venereo ad indebitum sexum, Vir concumbit cum Viro, vel Fæmina cum Fæmina. Ita D. *Tho*mas 2. 2. q. 154. Art. II. Differt a Bestialitate, quia in hac est mutatio speciei, in Sodomia sexûs. Hoc scelus si est uni involuntarium, est peccatum in Cælum clamans vindictam à Domino; qui Gen. 19. ob simile vitium Sodomam & Gomorrham cum finitimis Civitatibus Cælesti igne consumpsit. Unde etiam à Sodoma Civitate, Sodomia vocatur.

74. *Quæ sunt pœnæ in Jure Sodomitis impositæ?*

Un ℟.

R. Jure Civili tanti sceleris rei, igne concremantur. Jure vero Canonico olim Laici excommunicabantur: Clerici autem deponebantur, & ad Monasterium detrudebantur. Nunc vero quod attinet Clericos juxta Bullam Pii V. quæ incipit: *Horrendum*: Clerici Sodomitæ, ipso jure sunt privati privilegio Clericorum, dignitate, officio, & beneficio Ecclesiastico. Hæc tamen Constitutio utpotè pænalis, licèt obliget in conscientia, quó ad ad Excommunicationem tamen, requirit sententiam Judicis; Ut notat Reiffenst.

75. *Quotuplex est Sodomia?*

R. Duplex: *Perfecta & Imperfecta*. *Prima* est illa: in qua peccatum committitur contra sexum & debitum instrumentum: sic Masculus cum Masculo peccat. *Secunda*. In qua unum ex his non habetur. Ut dũ Masculꝰ cũ Fæmina extra vas debitũ peccaret; aut Fæmina cũ alia Fæmina Nam in primo casu nõ esset peccatũ contra sexum. In secundo nõ haberetur vas indebitum: Non enim inter Fæminas dari potest copula proprie dicta; Ut advertit Felix Potestas.

Quotiescunquè reservatur Sodomia; debet intelligi *Perfecta*; cum effusione seminis in vas præposterum, & Masculi cum Masculo, non vero cum Fæmina, licet sit utrumquè grave. Probabilius autem putat Tambur. quod sub reservatione non comprehendatur patiens, sed solum agens; nisi exprimatur. *Ratio est*: quia reservatio est odiosa, adeoquè restingenda.

76. *An Sodomita teneatur in Confessione exprimere, utrum fuerit agens, vel sponte patiens?*

R. *Negat* Diana, quia dicit tales circumstantias non mutare speciem, sed solùm aggravare; Nam uterquè contra naturam peccat, & uterquè alterius peccato cooperatur. *Affirmat* Leander. *Ratio est*:

quia agens se polluit, non vero patiens. Certum autem est, quod si etiam patiens polluatur, tenetur circumstantiam confiteri.

77. *An status Personæ cum quo fit actus Sodomiticus debeat exprimi?*

℟. Affirmativè; quia læditur diversa honestas; Unde exprimendum est, an cum Masculo vel Fæmina, an cum uxore, vel aliena id fecerit.

Indebitus concumbendi Modus.

78. *Quid est Indebitus concubendi Modus?*

℟. Est peccatum contra naturam, per quod Vir concumbit cum Fæmina modo indebito, ita, ut impediatur generatio. Sic peccat qui extra vas effundit semen, aut præpostere cum uxore coit. Sic enim fit injuria naturæ, quæ ad generationē ordinavit semen.

79. *Quando peccant mortaliter Conjuges, si à tergo more brutorum coeunt?*

℟. I. Si consultè id faciunt ut impediant generationem, peccant contra naturam, & quidem mortaliter; & licet ex tali modo sequatur imprægnatio, tamen ratione pravæ voluntatis peccant graviter.

℟. II. Si vero id faciant ex sola voluptate, peccant graviter sub veniali culpa; & tales sunt reprehendendi à Confessario ob periculum impediendæ prolis.

℟. III. Nec venialiter autem peccant, si habent justam causam vg. quia Mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio propter molem aliter fieri non permittit; melius enim sic coire quàm pollutionem pati. Ita Mastrius, Filliuc: Bonac: & alii. Unde non sufficit talia Confessario audire, sed etiam debet rationes & intentionem de-

linquentis intelligere, ne innocentem condemnet.

80. *An teneatur Uxor reddere debitum Conjugale Marito modô indebitô, sine ulla justa causa, sed ob solam voluptatem?*

℟. Non tenetur. *Ratio est*: quia Conjuges habent jus ad invicem in sua corpora modô humanô non brutali; adeoquè si aliquis illorum hunc excedit, non tenetur ei altera pars obedire. Quin imo si uxor experiatur consultô id facere Maritum ut impediat generationem si ei reddat debitum non vi aut timore impulsa, peccat mortaliter. *Ratio est*: quia hoc ipso cooperatur ad peccatum côtra naturam. Ut igitur à tali peccato sit libera, instruenda est à Confessario, quatenus remonstret Viro id esse illicitum & à Confessario in Confessione rigide prohibitum. Hoc enim peccatum est frequentissimũ inter Conjuges. *Pro quô.*

Nota: Quòd Maritalis copula consultò facta cum impedimento generationis, nullo fine cohonestari potest ut sit licita, etiamsi fiat ex consensu utriusquè partis. *Ratio est*: quia fit injuria naturæ & Sacramento Matrimonii, quod est institutum ad propagandam speciem humanam. Unde peccant graviter, si præposterè coeunt, aut partim extra vas Vir seminat, ut non subsequatur generatio, ob hunc finem: quia jam satis habent numerosam prolem, & fortunâ exiguâ. Vel quia Uxor cum periculo vitæ generare solet. Vel tandem, quia semper soleat abortum habere sine ulla sui causa. Similiter peccat Mulier, si propter dictos fines statim surgit à copula ut effluat semen. Omnes enim istæ actiones sunt contra naturam & institutionem Sacramenti Matrimonii.

Quod si experti sint Conjuges quolibet anno propter defectum Materni uteri generasse Abortũ mortu-

mortuũ qui in utero moritur; tutiꝰ persvadebit talibꝰ Confessarius, ut se abstineant à Maritali copula, & seorsim dormiant, propter damnum spirituale fætûs non baptizati. Non vero ut contra naturam coeant impediendo prolis generationem ad sedandam libidinem *Ratio est*: quia quod fætus nascatur mortuꝰ, id fit per accidens & præter intentionẽ eorum permissivè à DEO, talis autem illicita copula fieret ex intentione contra legem naturæ & DEI: non sunt autem facienda mala, ut vitentur æque aut minus alia mala, si unum illorum potest vitari scilicet copula.

Impudici Tactus, intra & extra Matrimonium.

81. *In quo consistit Impudicitia?*

℞. Generaliter consistit in Tactibꝰ, aspectibꝰ, impudicis verbis, obscænis cogitationibus, & similibus; quæ virtuti pudicitiæ opponuntur.

82. *Qui sunt Tactus & oscula Impudica?*

℞. Sunt omnes illi, qui de se ordinantur ad ad Venerem. Hujusmodi sunt tactus mamillarum Fæminæ, aut pudendorum, oscula, quæ disponunt ad actûs venereos. Unde oscula aut alii tactus honestiores, juxa morem Patriæ, non sunt impudici neque peccaminosi, nisi pravo fine fiant, ac cum excitatione Veneris. Ut docet Filliuc. Unde in talibus semper Confessario distingvenda est intentio & delectatio venerea; ut sciat dignoscere an fuerint pudica vel impudica, mortalia vel venialia.

83. *Quale sunt peccatum Tactus impudici, oscula, & verba obscena?*

℞.

℟. Juxta communem sensum DD. sunt mortalia ex genere suo; & quidem habent eandem specie malitiam, quam habet actus Luxuriæ consumatus ad quem ordinantur. Unde in Confessione non sufficit dicere. *Feci, oscula tactus*: Sed ulterius explicandum est cum quali persona, nam si cum uxorata? habebunt malitiam adulterii. Si cum Consangvinea, Incestûs. Si cum Moniali? Sacrilegii, & sic deinceps, quod bene notandum, quia plerumque Confessarii sistunt suum judicium, in sola apprehensione tactus aut osculi confessi. & aliquando interrogant tantum de consensu & delectatione, non vero de specie.

84. *An solus osculans aut tangens peccat?*

℟. Non, sed etiam illa persona, quæ sponte permittit se tangi aut impudice osculari, aut cum risu audit obscæna verba. *Ratio est*: quia in illa præsumitur affectus malus & consensus ad hæc. Et hoc quidem adjungitur quæsitum, quia in Polonia, vix aliqua Mulier culpabilem se censet in hoc, putans solum Virum Amasium in his peccare.

85. *An detur levitas in Tactibus osculis?*

℟. Datur si fiant ex levitate, joco, curiositate, petulantia; sine affectu venereo, quæ juxta *Sanchez*, Dianam & alios, culpam venialem non excedunt; Licet contrarium teneat Trul. l. 6. C.1. d. 12. *Ratio est*: quia ad peccatum mortale requiritur perfecta deliberatio, non petulantia & levitas. In omnibus autem tactibus, osculis verbis &c. attendat Confessarius an non fuerit scandalum; quia aliàs de veniali ad mortale transirent.

86. *Quid de osculis in Regno Galliæ?*

℟. Ibi quia est mos Patriæ ut Vir Virgini etiam det oscula ad Os, causâ urbanitatis, ac in signum puri affectûs & amicitiæ, ideo sunt licita.

In Regno autem Poloniæ, regredientes Viri de Gallia. si talia faciant oscula, peccant. Hoc enim est cum scandalo pusillorum, & contra morem Patriæ, in qua permissum est solum osculum manûs alterius sexûs; insuper neque in Gallia sunt licita oscula pressa, morosa & studiosa, voluptatis causâ, sed modesta & honestatis gratiâ.

87. *An inter Sponsos nondum Matrimonio ligatos, liciti sunt tactus & oscula &c?*

℞. Non sunt liciti, si sint impudici, cum voluptate venerea. *Ratio est*: quia cui non est licitus actus, neque dispositio ad illum, porro hujusmodi tactus sunt dispositio ad actum carnalē nondum Sponsis licitum. Ita *Sanchez*.

88. *An inter Conjuges sint liciti tactus aspectus &c.?*

℞. *Si* sint facti ad excitandam Maritalem copulam, sunt liciti. *Ratio est*: quia cui permissus est finis. etiam permittuntur & media. Quod si fiant ex sola voluptate, erunt peccata venialia. *Ratio est*: quia illos Matrimonium cohonestat.

Ex duplici autem capite possunt fieri mortales 1. *Si* ex illis pollutio sequatur, quod sæpius fieri solet inter illos Conjuges, qui generationem prolis nolunt, sed solîs tactibûs & aspectibûs delectantur. 2. Si fiant cum scandalo aliorum. Unde reprehendendi sunt Conjuges, qui talia agunt præsentibûs liberîs, aut junioribûs famulîs.

Debitum Conjugale.

89. *An teneatur Vir reddere debitum Uxori & è contra?*

℞. Tenetur. *Ratio est*: quia unusquisque illorum non habet jus in suum corpus; sed translatum

tum est per contractum Matrimonialem in alterius potestatem: *Erunt enim duo in carne una.* Gen. 2.

90. *Quomodo peccat Mulier denegans Viro debitum?*

R. Si id faciat sine ulla justa ratione, peccat mortaliter, maximè si adsit in illo periculum incontinentiæ aut pollutionis secuturæ, fit enim injustitia innocenti, si ei non reddatur quod suum est; maxime si petat seriò. Venialiter autem, si ipso non urgente & liberè consentiente ad excusationem Uxoris.

91. *Quæ sunt justæ causæ denegandi debitum Conjugale?*

R. Hæ sequentes. 1. Si Mulier inde timeat grave damnum mortis, infirmitatis, aut suffocationis prolis, si sit gravida, aut Vir morbô contagiosô sit infectus vg. Gallicô Leprâ &c. 2. Si Uxor sit menstruata. 3. Si modô illicitô petat debitum. 4. Si sit Conjunx adulterans sciente altero Conuge. In quo casu si fiat deprecatio innocentis, & roganti adultero si libere reddat debitum, jam eo ipso non potest amplius ei denegare ex vi prioris adulterii, quia facta semel remissione, per copulam Maritalem acquisivit jus adulter ad petendum ex justitia. Ita Felix Potest n. 4294.

92. *An Senes teneantur sibi mutuo reddere debitum?*

R. Si nulla sit spes seminandi intra vas, nec debent nec tenentur. *Ratio est:* quia sic intenderent mollitiem ab intrinseco malam. Possunt vero & debent, si sit spes seminandi intra vas, licet aliquando propter debilitatem seminet extra: *Ratio est:* quia dant operam rei sibi licitæ, procuran-

curando copulam sibi possibilem & permissam, licèt per accidens aliter eveniat. Ita Tambur. Busemb. & alii.

93. *An peccet Mulier si ex aliquo odio aut ira sine consensu Viri discedit, aut alibi dormit, ut sit libera à debito Conjugii?*

℞. Peccat, & quidem pro qualitate incontinentis Viri & periculo pollutionis ejus, mortaliter. Hoc autem peccatum inter Nobiles est frequentissimum; adeoquè pertinaces Conjuges sponte se avertentes à consortio alterius Conjugis sine ejus licentia, non sunt facile absolvendi, nisi promittant regressum.

Nequè excusatio valet Fœminæ in Confessione, quod nullam delectationem; sed potius summam abominationem habeat ex Maritali copula; nam hanc Apostolus prædixit: *Tribulationem tamen carnis habebunt, hujusmodi.* Non enim Maritata est sui juris. Unde talis à Confessario erigenda est in spem meriti coram DEO, si id offerat & sufferat propter amorem DEI, (qui sic ordinavit naturam humanam, & placuit ei illam constituere in hoc statu Maritali, plenô tribulationibûs & angustiis) nam habebit meritum.

94. *Quomodo peccat Uxor si in Copula cum Marito habeat affectum ad alium, quasi cum illo rem fecisset?*

℞. Peccat peccato adulterii, & quidem mortaliter. *Ratio est.* quia id facit non animo Conjugali, sed adulterino, & si habeat affectum ad Personam consecratam DEO, peccabit peccato Sacrilegii; & sic discurrendum de aliis speciebus peccati Luxuriæ.

95. *Quibûs modis solet amitti jus ad petendum debitum?*

℟. 1. His sequentibus: 1. Amittit adulter Conjunx, ita ut licet possit rogare, non tamen cogere ex justitia. Hæc tamen pæna non incurritur, dum est occultum, neque sciat illud alter Conjunx. Ut notat Felix Potest. n. 4294. 2. Si habeat copulam licitam vel illicitam cum Consangvinea vel affine, de qua supra dictum est, tunc non potest etiam petere debitum, licèt requisitus teneatur reddere, innocenti Conjugi. 3. Si habeat simplex Votum Castitatis.

96. *Qui possunt dispensare in hac pœna non petendi debitum?*

℟. Episcopi, & ex Privilegio Provinciales Regulares. & de eorum licentia Confessarii Regulares, ut supra alibi innui. In casu vero voti simplicis Castitatis, debent monere pænitentes, quod mortua Uxore non possint licite nubere, sed teneantur ad Votum. Quod si tales commiscerentur cum alia præter Uxorem, peccarent non solum peccato adulterii, sed etiam Sacrilegii, & côtra votum Castitatis. Ita Diana. Tambur. Leander & alii.

97. *Quomodo possunt dispensare prædicti Superiores Regulares & de eorum licentia Confessarii in jure commisso petendi debitum?*

℟. Cum hac restrictione. 1. Possunt dispensare in Confessione Sacramentali non vero extra. 2. Non nisi in propriis domibus, seu Ecclesiis, sui Ordinis. Ita Diana. quia hoc exprimit Privilegium, ut legenti constat. Hoc enim Privilegium concessum est in favorem meritorum Ordinis erga Ecclesiam Romanam.

98. *An etiam eandem licentiam possunt dare suis Confessariis subditis locales Priores, Gvardiani?*

℟.

℟. Negative, imo neque ipsi inquantum Superiores Locales sunt, possunt dispensare, nisi habeant specialem licentiam à Generali suo vel Provinciali, *Ratio est:* quia Pius V. solis Provincialibus & Generalibus id concessit, cum hi solùm habeant quasi Episcopalem potestatem in suos subditos, ut legenti constat prædictam Cost. Pii V. Hæc autem licentia Generalis aut Provincialis, durat ad libitum eorum, quæ revocari potest. Ita Diana p. 3. t. 2. Resol, 14.

99 *An Pænitens invincibiliter ignorans pœnam privationis debitum petendi ex affinitate vel cognatione spirituali, indigeat dispensatione?*

℟. Negative. Ita Diana & alii contra Leandrum. *Ratio est:* quia Ignorantia pænæ à lege positiva impositæ excusat à pæna: sive illa privatio juris petendi debitum oriatur ex copula, sive ex cognatione Spirituali in Baptizmo aut Confirmatione.

Delectatio Venerea.

100. *Quid est Delectatio Venerea*

℟. Est simplex amor & complacentia in re Venerea, absquè tamen desiderio executionis: Per quod differt à desiderio, quia hoc consistit in voluntate efficaci in ordine ad executionem actûs Venerei.

101. *Quotuplex est Delectatio Venerea*

℟. Duplex. Una *Subitanea* quæ constit in simplici complacentia rei Venereæ, absquè ulla reflexione ad malitiam talis Complacentiæ. Altera *Morosa*, quæ est complacentia deliberata de actu turpi. Et hæc non dicitur *Morosa*, à mora têporis, quia potest in momento perfici, sed quia *deliberatè* in illa delectans moratur.

Utraquè alia est: *Cum consensu pleno* & hæc desiderium includit actus illiciti. Et alia *sine tali consensu.* Item una est *Voluntaria*: quæ fit deliberate, uti est Delectatio Morosa. Alia est, *Involuntaria*: quæ sine deliberatione subitò, vel etiam permanenter absolvitur.

De his Delectationibus Venereis ac desideriis dicetur plenius infra, loquendo de nono & decimo Præcepto Decalogi, quibus specialiter prohibentur peccata cordis, ac prava desideria, ad quem locum remitto Lectorem.

ARTICULUS VI.

De Septimo Præcepto Decalogi.

1. *Quod est Septimum Præceptum Decalogi?*

℟. Juxta illud Exod. 20. est hoc, *Non furtum facies* Quod Præceptum est negativum, ut patet ex ipsis terminis, adeoquè obligat semper, & pro semper.

2. *Quænam prohibeantur hoc Præcepto?*

℟. Juxta communem sententiam DD. non tantum prohibetur furtum, sed etiam quæcunq; injusta rei alienæ contrectatio aut damnificatio, non solùm in bonis fortunæ sed etiam in bonis famæ. Insuper hoc Præcepto præcipitur Restitutio rei alienæ. *Ratio est*: quia sicuti Præceptum affirmativum vg. de diligendo Proximo, includit virtualiter aliud Præceptum negativum, de non inferenda ei injuria; Ita pariter hoc Præceptum negativum *Non furtum facies*, includit virtualiter aliud affirmativum, ut injuste ablatum restituamus. De his igitur omnibus, in præsenti Articulo erit sermo.

3. *Quid est Furtum?*

℟. Est occulta acceptio rei alienæ Domino rationabiliter invito. Ita communiter Theologi.

4. *Quænam requirantur ad rationem Furti?*

℟. Hæc quatuor. 1. Quod sit acceptio occulta. Nam per hoc, Furtum differt à Rapina, quæ est occupatio rei alienæ apertè cum violentia. 2. Quod sit rei alienæ acceptio, sibi nullo modo debitæ. 3. Quod Furtum sit propter lucrū furis factum. Per hoc enim differt ab injusta damnificatione. per quam destruitur res aliena, absquè ullo lucro damnificantis, ut solet fieri per incendium. 4. Quod Furtum debeat esse acceptio: *Domino rationabiliter invito*. Per hoc enim excusatur à furto ille, qui amenti aufert gladium, licèt enim invito id faciat, non tamen rationabiliter. Item Uxor excusatur à furto, si Mariti pecunias servet ne ludîs deperdat, aut illarum expensâ inebrietur, & rixas ac alia damna faciat. Similiter non committit furtum, qui positus in extrema necessitate, auferat alteri aliquid, quod sibi ad vitæ sustentationem est necessarium, quia in tali casu Dominus ablatæ rei, non videtur rationabiliter invitus, cum in extrema necessitate, juræ naturæ sunt omnia communia. Alia autem quæcunquè acceptio rei alienæ invito Domino, rationabiliter, habet rationem Furti.

5. *Quale est peccatum Furtum?*

℟. Ex genere suo est mortale, licèt in illo detur parvitas aliquando materiæ seu rei ablatæ.

6. *Quænam quantitas requiratur & sufficiat ad constituendum peccatum mortale Furti?*

℟. I. Tot esse hac in re Doctorum sententias, quot plane sunt capita. Ratio autem talis diversitatis est; quia malitia & gravitas Furti; attendi debet ex gravitate damni proximo illati per

Furtum

Furtum. Et quia non omnes sunt homines ejusdem statûs & conditionis: hinc si vg. unus sextarius auferatur Principi, minus damnum habetur quam pauperculo.

℟. II. Qantitas igitur Furti ad mortale peccatum sufficiens, non potest una certa absolute & in omni casu taxari, sed illa pudentum arbitrio definienda est, non solùm ex quantitate rei ablatæ, sed etiam ex circumstantiis Personæ per furtum læsæ, temporis, locorum, & aliorum hujusmodi. Hæc enim sententia est communior, & patet ex dictis in prima responsione. Nam auferre vg. calamum ad scribendum, est modica quantitas, sed si attendatur circumstantia Personæ & temporis, erit mortale Furtum; si nimirum in Palestra vivens Petrus ex sola scriptura, & unum hìc & nunc habeat calamum, quem ei consultò abstulit ejus emulus Paulus, ut occurrens cum lucro scriptura peremptoriè, Paulo potius committatur qui habet calamum, & non Petro cui ablatus est calamus, qui hìc & nunc non possit haberi; tunc in tali casu Paulus auferens calamum Petro peccabit mortaliter, quia per rem quidem parvi momenti, multum damnificavit Petrum. Quo casu, etiam alii casus similes resolvi possunt.

℟. III. Cum Sannig. & Layman lib. 3. Tract. 3. p. 1. n. 3. probabile esse, quod illa quantitas sufficiat ad constituendum peccatum mortale Furti, quæ ad victum unius diei sufficit illi homini cui injuria furti infertur, attentâ circumstantiâ statûs & dignitatis hominis, quali victu soleat vesci.

7. In qua sententia hoc notandum est, quod diurnus victus hominis per Furtum læsi, non debet attendi cum tota sua familia; quia aliàs Rex cum sua Aula & exercitu, aut Princeps vel potens

tens Dominus, cúm magnam qulabet die expensam habeat, sequeretur quod per furtum non potuisset lædi mortaliter, nisi hanc ingentem fur ei auferret pecuniam. Debet ergo Furti gravitas pensari, per ordinem ad sustentationem diurnam, proportionatam cuilibet statui, prout est singularis homo, non respiciendo ad ejus magnam vel parvam familiam. *Ratio est*: Ex La Croix quia indigere sustentatione diurna est commune omni homini, & de jure naturæ; quod autem hebeat magnam vel parvam familiam, id se tenet per accidens.

8. *An licitum est in extrema necessitate auferre rem alienam ad sui sustentationem?*

℟. I. Licitum esse. *Ratio est*: quia in tali casu sunt omnia communia. Ut supra dictum est. Quod si & ille cui auferatur res, fuisset constitutus pariter in extrema necessitate, pro tunc non posset illi res auferri licitè. *Ratio est*: ex V. Scoto in 4. D. q. 2. quia in tali casu extremæ necessitatis, res illa duplici jure debetur Domino suo. 1. Propter æqualem extremam necessitatem. 2. Propter particulare Dominium, quod habet in rem propriam.

℟. II. In gravi necessitate, non est licitum furari rem alienam. *Ratio est*: ex Decreto Innocentii XI. qui 2. Marti 1679. inter alias propositiones damnavit hanc, quæ est ordine 36. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Ratio ulterior est: quia sic daretur ansa & licentia non tantum pauperibus, sed etiam aliis in gravi necessitate constitutis surripiendi res alienas. Per quod turbaretur continuo Respublica, & nemo divitum securus esset de suis bonis.

9 *An in reb9 sacris detur parvitas materiæ si auferantur?*

℟.

R. I. In illis rebus quæ sunt pretio æstimabiles, ut est Calix, Patena &c. datur parvitas, quæ taxari debet ad constituendum mortale, juxta communem æstimationem; eo modo sicuti in rebus profanis.

R. II. In illis vero rebus, quæ sunt adæquatè Sacræ, uti sunt Reliquiæ, putant aliqui non dari parvitatem materiæ. *Ratio est*: quia Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. excommunicant ipsô factô illos, qui absquè consensu Præfectorum Ecclesiæ extrahunt minimas particulas rerum Sacrarum.

Notat tamen Sachez, Bonac. Castrop. & alii cum Diana, illud Decretum valere in districtu Romano, in locis vero extra Districtum Romanum, posse dari parvitatem materiæ; & in tali Furto considerandam esse dignitatem aut raritatem Reliquiarum; Unde citati DD. judicant esse mortale, si quis minimam particulam S. Crucis furaretur. E contra veniale, si de Corpore alicujus Sancti Corporis, pulverem aut capillum, vel aliquid simile aufert, per quod non deformaretur ipsa Reliquia.

Minuta Furta Domesticorum.

10. *Qualia sunt peccata Minuta Furta?*

R. *Si* non perveniant ad graviorem quantitatem collectivè sumpta, sunt tantum venialia, & ad restitutioem illorum solúm sub veniali tenetur surripiens. Ita Layman & alii. *Ratiô est*: quia per illa non læditur graviter proximus.

11. Notet tamen Confessarius. quod dum talia confitentur Pænitentes & præsertim famuli, interrogandi sunt, an non habuerint animum plura surripiendi si adesset ocasio? Quod si adfuerit ta-

lis voluntas, jam ſufficiet apud DEUM pro peccato mortali: Interrogandi etiam ſunt ſecundo, an per talia modica Furta non intendebant diteſcere, & cumulare notabilem pecuniæ quantitatem? *Si* ita evenit, peccarunt mortaliter prava voluntate deliberatè facta. Ut docent communiter Doctores.

Hoc peccatum ſolet committi maxime in Mercatoribus; qui ſæpius fraudant pondera, menſuras. &c. In Telonariis; qui modicum aliquid ſolent extorquere ultra debitum & taxam communem: Item à Præfectis militiæ, qui ſolutionem accipiunt, etiam pro illis militibus qui deſunt in cohorte; & in aliis ſimilibus. Hi omnes animô pravô defraudantes, tenentur facere reſtitutionem illis quos defraudarunt, vel ſi hi amplius conveniri non poſſunt, erogent injuſte aggregatum pauperibus. Contrariam autem Propoſitionem damnavit Innocentius XI quæ eſt ordine 38. Quando enim ſupra n. 10 dixi ſolum ſub veniali teneri ad reſtitutionem minutorum Furtorum, id intelligendum eſt de illis, quæ ad magnam quantitatem non aſcendunt.

12. *An defraudans aut auferens animo diteſcendi ex modicis Furtis, toties mortaliter peccat, quoties Furta Minuta committit?*

℟. Cum Leſſio Cap. 12. In ſingulis Furtis non committitur novum peccatum mortale, ſed ſolùm continuatur cæptum. *Ratio eſt*: quia ſingulæ acceptiones ſunt moraliter una executio illius pravæ intentionis.

13. *Quandonam peccat mortaliter, Minuta Furta faciens, abſquè animo ex illis diteſcendi?*

℟. Talis auferens quando ſe reflectit materiam hanc aliàs ex ſe levem concreſcere cum præce-

cedentibus ablatis in summam aliquam notabilém, tunc si habita hac reflexione, nihilominus modicum aliquid aufert, peccat mortaliter, & tenetur id restituere sub mortali, quod cum tali conscientia abstulit, non obstante, quod sit ex se & in se consideratum quid leve. Ita Sporer, La Croix lib. 3. p. 1. n. 1005. Excipe tamen illum casum, in quo taliter auferens haberet intentionem efficacem restituendi ex præcedentibus Minutis Furtis tantam quantitatem; ut amplius cum hoc ultimo Furto non exurgat magna summa, tunc enim hæc ultima ablatio non foret peccatum mortale, sed veniale tantùm.

14. *Quid, si Minuta Furta faciens, neque haberet intentionem ditescendi ex illis, neq; reflexionem ad magnam quantitatem ex illis frequentatis accumulatam?*

℞. Juxta Sporer communior est Doctorum Sententia, talem non peccare quidem mortaliter; tenetur tamen ad restitutionem, si illa gravis quantitas adhuc existat in specie vel in æquivalenti apud ipsum; ita, ut ditior ex talibus Furtis reddatur. *Ratio est*: quia rem alienam & maxime gravem tenemur ex conscientia reddere Domino proprio. Non desunt tamen cum Diana aliqui, qui excusant talem sub mortali à restitutione facienda, præsertim si ex his Furtis ditior non evadat.

15. *Quænam quantitas requiratur ad grave peccatum in Minutis Furtis?*

℞. Non potest quidem certa assignari quantitas. Hanc tamen Regulam observent Confessarii. 1. Quod scilicet major quantitas requiratur in pluribus Minutis Furtis, (maxime si longis intervallis facta sint) quàm si semel auferatur;

ita

ita, ut si vg. ad mortale sufficiat unus aureus nummus simul acceptus; per intervalla plura minuta Furta, facta excedere debent ad mortale quantitatem aurei nummi. Ita Lessius. *Ratio est*: quia non ita facile sunt inviti Domini in his Furtis interpolatis, quæ non ita ægre ferunt, quàm si eadem quantitas simul ac semel auferatur.

2. Secunda Regula est: Quod major quantitas requiratur ad mortale in Furtis Minutis, si pluribus ac diversis auferantur res, quam si uni duntaxat etiam interpolate. *Ratio est*: quia damnum divisum in plures, censetur minùs sensibile. Hinc Diana, Molina, & alii putant, in talibus Furtis diversis hominibus factis requiri ad mortale in duplo quantitatem, quam si eidem simul & semel auferatur. Sanchez & Cardenas extendit ad unum aureum illam quantitatem, si plures illi quibus aufertur res unam communitatem constituant. La Croix lib. 3. p. 1. ulterius illam extendit, si communitas sit dives; ut sunt Mercatores, aut opulenti Cives.

16. Sed in his prudens Confessarius post factam diligentem inquisitionem taxam ponet attentîs omnibûs circũstantiis. Porro in talibus Minutis Furtis hæc Confessario attendenda erunt. 1. Quantitas materiæ ablatæ. 2. Persona damnificata per talia Furta, cum suo statu & situatione ac tempore. 3. Malitia Furis, an hæc Furta fortuito, an potius ex malitia fecerit. 4. Damnum illatum Proximo. 5. Prava voluntas Furis, puta si plene adverterit hæc Minuta Furta, jam in magnum pretium excrevisse, vel quia habuit voluntatem ex illis ditior fieri, aut plura furari si occasio adesset.

17. Ut autem in his aut similibus Casibus plenius judicium habeat Confessarius, interrogandi

sunt Pænitentes: An in præcedenti Confessione similia Minuta Furta non habuerint? Nam poterit esse, quod præsens materia in Minutis Furtis sit levis, conjuncta tamen cum antiquioribus erit gravis & mortalis.

18. *Quid sentiendum est de Furtis Minutis Sartorum, Textorum, & aliorum Opificum?*

℟. Cum Lugone, Diana, Sporer & aliis de his ita resolvendum est, sicuti dixi immediate de aliis Furtis. *Si* enim reliquiæ sint parvi momenti, de quibus Domini parum curare solent, erunt venialia. Si majoris ponderis sint, erunt mortalia. Utrobiquè enim par est ratio.

19. *Quid observandum est circa Minuta Furta à servis facta?*

℟. Juxta communem sententiam DD. certum est, quod major quantitas in illis requiritur ad Furtum grave quam in extraneis. *Ratio est*: quia Dòmini sciunt non posse moraliter loquendo ita à famulis res domesticas administrari, quin aliquid præsertim in esculentis & poculentis adhereat manibus contrectantium.

20. *Quænam quantitas sufficiat ad peccatum mortale in famulis & ancillis?*

℟. Hæc difficultas à multis pendet circumstantiis: præsertim & præcipue à liberalitate & tenacitate Dominorum, quorum aliqui liberaliores sunt, nec volunt erga famulos rigorem juris exercere, sed humana & communi fidelitate contenti esse, dummodo sua munia exactè præstent. Confessarius tamen tales arguat ne ullo prætextu id faciant, sunt enim custodes bonorum Domini sui, hinc si præter esculenta aliquid aliud auferant, turpius videntur peccare, quam alii qui ad hanc fidelitatem non obligantur. De his enim jam supra

dixi

dixi loquendo de materia Sacramenti Pœnitentiæ; quæ ibi videri possunt.

Cooperatores ad Furtum, vel injustam Damnificationem.

21. *Quotupliciter potest fieri injusta Damnificatio Proximi?*

℟. Duobus præsertim modis. 1. *Immediate* ac per se ipsum: Ut dum quis per se ipsum furatur aut damnificat res Proximi sui. 2. *Mediate* ac per alium, sive illi mandando, sive consulendo ad inferendum damnum Proximo suo.

22. *Quot modis potest Damnum inferri Proximo mediate ac per alium?*

℟. Novem modis, his versibus expressis.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans,

Ex quibus sex priores modi sunt positive cooperantes ad Furtum vel Damnum Proximi. Alii vero tres ultimi sunt negative cooperantes, scilicet omittendo id, quod ex officio atquè justitia, facere tenebantur.

23. Omnes autem hîs novem modîs cooperantes ad Furtum vel injustam Damnificationem alterius, non tantum peccant graviter juxta gravitatem damni illati, sed etiam tenentur ad restitutionem in solidum. Hoc tamen servato ordine: quod si ille qui per se ipsum fecit damnum alteri, potest facere restitutionem, & aliunde ad damnum faciendum fuit liber, ipse solus obligatur restituere; In defectu autem illius, tenebitur Jubens, Consulens. Consentiens, Palpans, Recursum Furis ad se acceptans, Participans, Mutus, non

Obstans

Obstans, aut non Manifestans.

24. Quidquid autem in præsenti dicitur de cooperatoribus ad damnum injustum in bonis fortunæ; hoc totum intelligi etiam debet de cooperatoribus ad damnum Proximo inferendum in bonis famæ; Utrobiquè enim par ratio habetur.

25. *Explicantur autem singuli 9. modi cooperationis ad damnum Proximo injuste illatum*

Jussio: Hoc nomine ille significatur, qui ita jubet, ut animum alterius ad Furtum vel damnum moveat inferendum. Sic Pater Filio, Dominus servo aut suo subdito.

Consilium: Hoc nomine denotatur ille, qui pravô Consiliô, adhortationibûs, precibûs ac promissione alterum movet ad damnum inferendum alteri. Quod Consilium etiamsi non sequatur Damnificans, ipse tamen Consulens peccat graviter.

Consensus: Hoc nomine denotatur, efficax approbatio aut suffragium ad malum inferendum alteri. Hoc autem modo licèt possunt per pravam voluntatem omnes homines peccare graviter; quãtum tamen ad restitutionem, illi tantum obligantur, quorum consensus est causa efficax ad malum inferendum; Uti sunt Superiores, Magistratus &c: non vero alii, qui authoritatem nullam habent.

Palpo. Hoc nomine intelliguntur illi, qui adulantur et laudant Damnificationem, aut scelus patratum commendant. Item exprobrantes ignaviam alteri, quod non ulciscatur suam injuriam. Hi omnes non tantùm peccant graviter, sed etiam tenentur ad restitutionem damni si defacto sequatur. Tale peccatum inquirendum est à Confessario inter Aulicos, qui similia flocci æstimant, quorum aliqui ne quidem pro scrupulo habent.

Recursus: intelligitúr hic, pro illo, qui refugium

um, securitatem, aut aliquo modo receptaculum sive protectionem præbet malefactori, ex quo audacior redditur ad inferendum damnum alteri.

Participans est ille: qui aliquo modo ex his duobus participat ex damno inferendo alteri. 1. Vel quia aliquid participat de Furto aut præda à damnificante facta. 2. Vel quia adjuvat Damnificantem in actione damni: vg. scalas tenendo, excubias faciendo, vel prædam asportando.

Mutus est ille; qui tacet ac omittit id, ad quod ex officio tenebatur vg. si omittit prohibere aut præcipere si sit Superior; consulere si sit Consultor, clamare aut strepitum facere, si Custos.

Non Obstans dicitur: qui omittit Operam vel Opem, quâ poterat damnum impedire ad quod ex officio tenebatur. Si sit Princeps. Custos &c.

Non Manifestans dicitur: qui licèt ex officio suo teneatur, omittit tamen manifestare malefactorem ante vel post damnum illatum.

Contractus, Promissio, & Donatio.

26. *Quid sit Contractus?*

℟. Est reciprocus consensus duorum, quo scienter, libere & legitime, uterquè se vicissim vel saltim una pars se alteri acceptanti oblgat, quocunquè signo externo id fiat. Dixi notanter: *scienter libere &c*, quia si aliqua fraus ignota ab una parte habeatur, erit invalidus Contractus; Et taliter defraudans ultra peccatũ, tenetur ad restitutionẽ.

27. *Quid est Promissio?*

℟. Est actus quo quis sponte & liberaliter pollicetur alteri aliquid dare vel facere. Hæc si erit acceptata, obligat in conscientia & sub mortali, si materia sit gravis juxta V. Scotum in 4.

d.

d. 28. q. contra plures docentes non peccarê mortaliter, qui mutat Promissionem suam, sed esse mendacem solùm & infidelem. Sed hæc discordia est, de nomine, quia etiam mendacium est grave peccatum in re gravi. Promissio non obligat si sit interna: *Ratio est.* quia Contractus obligatorius debet esse signis externis expressus. Nisi sit DEO facta. Nec obligat, si nondum sit acceptata ab altera parte.

28. *Quid est Donatio?*

℟. Est datio liberalis seu translatio Dominii alicujus rei non debitæ ex justitia in alium. Et hæc est duplex: una *Imperfecta*, quæ est facta solo verborum officio, & acceptata, absquè tamen traditione rei. Altera est *Perfecta*, quæ fit cum traditione rei. Donatio potest revocari ante acceptationem, etiamsi per instrumentum sit facta.

29. *Quando Donatio est invalida?*

℟. 1. Si fiat sub conditione impossibili aut turpi. 2. Si fiat omnium bonorum, inter vivos est invalida jure Civili: Non vero si Ecclesiæ sit facta. 3. Si fiat in fraudem propriæ Prolis, ita, ut illi Pater non relinquat quantum legitima petit eorum statûs proportio.

30. *An Donatio acceptata & tradita possit aliquando revocari?*

℟. Potest in pluribus Casibus; ex quibus speciales sunt. 1. propter ingratitudinem donatarii erga donatorem: has tamen res non tenetur reddere, nisi post sententiam Judicis, si probetur ingratitudo. 2. Donatio facta causâ mortis, potest revocari à donatore, usquè ad mortem, sicuti legatum & Testamentum. 3. Prole carens, si magnam donationem fecit, revocare poterit superveniente prole. 4. Qui ex motivo Matrimonii do-

navit

navit aliquid Uxori, si non perveniat ad Matrimonium; aut ex errore invalide contraxit, poterit revocare donationem suam.

Testamentum.

31. *Quid est Testamentum?*

℟. Est nostræ voluntatis justa sententia, de eo quod de bonis suis quis vult fieri post mortem suam, cum institutione Hæredis.

32. *Quotuplex est Testamentum?*

℟. Duplex. Unum *Scriptum*, quod fit scripto cum obsignatione Testium. Aliud est *Nuncupatum*, quod fit sine scriptura coram Testibus.

Ad Scriptum requiruntur 7. Testes ex jure, qui sint: Liberi, Masculi, Puberes, ratione pollentes, non infames, non pauperes, nec infideles. Ita Busemb. Felix Potest. & alii.

In Testamento Militis aut ad pias causas sufficiunt duo Testes.

In Testamento Ruri facto, sufficiunt pauciores, si plures haberi non possint.

33. *Quandonam Testamentũ valet & quando non?*

℟. I. Etiam sine solemnitatibus factum valet & obligat in conscientia.

℟. II. Si sit juratum, potest à Testatore revocari, illicite quidem sed validè. *Ratio est:* quia Testator usquè ad mortẽ est Dominus suorũ bonorũ.

℟. III. Testamentum Patris non valet, sed irritatur, si posthumo nascatur Filius.

34. *Quis est Executor Testamenti?*

℟. Est ille cui a Testatore forte dubitante de fidelitate Hæredis committitur facultas exequendi ab ipso disposita. Executor debet esse excedens Annum 17. ætatis suæ, & poterit esse unus vel

plures

plures, Mas vel Fæmina; Imo & Religiosi. Excipiuntur tamen Fratres Minores, quibus hoc Officium ex Jure prohibitum est; Ut dictum est Part. 1. de sepultura. pag. 294.

35. *Ad quid teneantur Executores?*

℟. Ad hæc sequentia. 1. Non tenentur sibi aliquid de bonis Testatoris in recompensationem sui obsequii appropriare. *Ratio est*: quia hoc officium est voluntarium pietatis, & amicitiæ. Nisi inde à propriis negotiis impedirentur cum suo damno. 2. Tenentur Hæredem admonere imo & Jure compellere ad executionem ultimæ voluntatis Testatoris. 3. Si habeant pecuniam à Testatore acceptam distribuendam Pauperibus, poterunt illam applicare Consangvineis ac amicis suis, si sunt pauperes, imo & sibi. *Ratio est.* quia per assumptum Executoris officium, non evadunt deterioris conditionis quàm alii pauperes.

36. *Ad quid teneatur Hæres defuncti Testatoris?*

℟. Ad hæc sequentia. 1. Tenetur non solùm bona Testatoris possidere, sed etiam omnia ejus onera ac debita solvere. Qui enim succedit in bona, succedit etiam in onera. 2. Si bona defuncti non sufficiant ad omnia vota ac pia legata solvenda, erunt diminuenda. Quodsi Hæres sit naturalis, prius poterit suam partem legitimam ex Testamento detrahere, & de reliquo proportionate omnibus legatis ac oneribus Testatoris satisfacere. 3. Hoc autem ordine satisfaciet oneri Testatoris. 1. Æs alienum solvet. 2. Expensas funeris. 3. Partem aliis Consuccessoribus. 4. Vota realia defuncti. 5. Tandem pia legata.

Cætera de Cambio, Censu &c. dicentur dispersim infra, in quibus damnum Proximi occurre solet.

ARTI-

ARTICULUS VII.
De Mutuo, Usura, ac Censu.

Hoc peccatum quia est frequentissimum in Polonia, hinc specialem Articulum de Usura instituere proposui, ut Confessarii dignoscere possint. quænam sunt licita, & quæ illicita ac in Sacro Tribunali reprehendenda.

1. *Quid est Mutuum?*

℟. Est traditio rei, numero, pondere, vel mensura constantis, facta eo animo, ut statim fiat accipientis cum obligatione restituendi rem similem in bonitate & specie.

Dicitur *Mutuum* quasi *ex meo tuum.* Ita enim à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat. Dicitur. *Cum obligatione restituendi &c:* quia si esset restituenda res alterius speciei, non esset Mutuum sed permutatio. Ut si vg. pro hordeo daretur avena. Quod si eadem entitative res redderetur, esset potius commodatum vel depositum; non vero Mutuum.

2. In Mutuo duæ interveniunt Personæ: Una Mutuans, quæ dat rem Mutuo. Altera Mutuatarius, qui accipit rem Mutuo sibi concessam, in quam habet plenum dominium ac si foret propria. Unde si aliquo casu res Mutuo tradita auferretur Mutuatario, ejus erit damnum, non Mutuantis *Ratio est*: quia quælibet res Domino suo perit.

3. *Qui Mutuum dare ac accipere possunt?*

℟. Omnes illi qui possunt contrahere. *Ratio est*: quia contrahere tanquam genus, complectitur sub se omnes Contractus, & consequenter etiam Mutuum. Respectu tamen Filiorum & Uxorum specialis habetur ratio, juxta privatas Regnorum Leges.

4. *Quo tempore, modo, & loco, solvendum est Mutuum?*

℞. Ad ista omnia puncta hæc universalis habenda est Responsio, quod scilicet Mutuum solvendum sit, Juxta condictum inter Mutuantem & Mutuatarium, quo ad tempus, locum, & modum; aliàs peccat Mutuatarius contra fidelitatem & justitiam, si indebito tempore loco aut modo redderet debitum. Ut docent communiter Doctores.

5. *Quotuplices sunt Creditores sive Mutuantes?*

℞. Duplices: *Hypothecarii* qui sibi non solùm habent obligatam Personam debitoris, sed etiam immediate res illius ad satisfaciendum sibi & suo Mutuo in defectu debitoris, sive per scriptum, sive tacite per jus. *Chyrographarii* qui solum ipsam Personam Debitoris sibi immediate tenent obligatam.

6. *Quomodo procedendum est, si debitor utrique Creditori non sit sufficiens ad satisfaciendum?*

℞. I. Talis Debitor tenetur in conscientia priús quietare Creditorem Hypothecarium, quàm Chyrographarium, non obstante quod hic sit prior. Ita constat ex Lege Cap. *Qui potiores in pignore. Ratio est*: quia primus Creditor habet sibi res debitoris obligatas, adeoquè habet Jus magis ad illa, quàm Chyrographarius.

℞. II. Quod si Creditores essent æquales ambo vg. Hypothecarii, prius solvendum erit illi, qui prius rem dedit suam Mutuo. Ita Sylvester, Layman, Bonac. & alii contra Card. de Lugo Medinam &c. De qua re si plura cupis? Vide La Croix L. 3. p. 2. n. 374.

7. *Nota*: quod in Mutuo solent accidere plures fraudes. Aliquando enim Mutuatarius anticipando acceptum Mutuum solet dare scriptam obligationem Creditori, ac si jam præfixam summam

ab illo receperit. Aliquando etiam promittendo se brevi redditurum, nullum scriptum relinquit Creditori. Uterquè autem pro mala conscientia sua negare poterit. Quid vero in tali casu faciendum sit pro evitando damno? ad Juristas pertinet. Quantum vero Confessarji munus attinet; semper reprehendendi sunt tales graviter, nequè danda est illis absolutio, nisi prius promittant se debitum alteri pretium reddituros.

8. *An licet aliquid exigere lucri pro Mutuatione rei?*

R. Non licet; quia aliàs Usura foret quæ est prohibitum in lege antiqua Levit. Cap. 25. quam etiam in Lege Christi Luc. 6. docentis. *Bene facite & Mutuum date, nihil inde sperantes.*

Usura.

9. *Quid est Usura?*

R. Est lucrum immediate ex Mutuo proveniens. Ita communiter Doctores. Dicitur autem *immediate*, quia si Mutuatarius propria sponte in vim gratitudinis aliquid tribuat, non erit Usura, dummodo illud non exigatur à Creditore permodum debiti.

10, *Qualenam lucrum ex Mutuo proveniens constituat Usuram?*

R. Juxta D. Thomam & alios Casuistas; non tantum venit pecunia, quam debitor pro annua Mutuatione à cento daret 10. florenos; sed etiam quæcunquè alia res pretio æstimabilis uti sunt bona mobilia, imo & obligatio Civilis ad aliquem laborem & obsequium præstandum constituit Usuram, si ratione Mutui petatur.

11, *Quale est peccatum Usura?*

R.

℞. Juxta communem sententiam, est quidem ex genere suo mortale; potest tamen à mortali excusare parvitas materiæ seu lucri, ex mutuo provenientis. *Ratio* : 1. partis est: Quia Usura ex natura sua graviter opponitur Charitati Proximi. *Ratio* 2. partis est: quia etiam furtum, licèt adhuc magis quàm Usura opponatur Charitati Proximi, adhuc tamen ut supra dictum est, potest in illo parvitas materiæ excusare à mortali. Et sicuti in furto mensuratur parvitas & levitas materiæ, ex circumstantia loci, Personæ, temporis, & aliis circumstantiis, ita etiam pari modo & Usura.

12. *Quotuplex est Usura?*

℞. Duplex: *Expressa & Tacita* sive *Palliata* Prima tunc habetur, quando expresse exigitur aliquod pretium prô mutuo. Secunda vero habetur, quando ob solam dilationem solutionis Mutui, exigitur plús aliquid justò.

Expressam committit Usuram, qui mutuo dando vg. 1000. florenos, vult ac exigit sibi reddi 100. Palliatam vero, qui res suas vg. triticum ad seminandum dat mutuo, cum onere majori mensurâ aut meliorî tritico reddendi sibi postea, vel cum obligatione tempore messis laborandi pro cômodo dati sibi mutuo tritici; Quod peccatum est ita frequentissimum Dominis Hæredibus, & jure obligatorio habentibus bona, ut quasi pro nullo habeatur peccatulo.

13. *Quo Jure est Usura prohibita?*

℞. Tam Jûre Divino, quàm naturali, multo magis humano. *Ratio* 1. partis est: quia Levit: 25. Ezech 18. prohibetur. *Ratio* 2. partis est: quia accipere id, quod suum non est, repugnat juri naturali; porro mutuans vg. pecuniam, si plus exigit quam concesserit Proximo, accipit quod suum

non

non est. *Ratio* 3. Partis est: quia in Jure Can. dicitur Cap. *Super eos*: quod *Usurarium crimen utriusq; Testamenti pagina detestetur.*

14. *Nota*: quod dum Judæis in antiquo Testamento Deutoron: 23. Concessa fuerit Usura ab alieno exigenda, dicente Scriptura: *Non fenerabis Fratri tuo ad Usuram bene vero alieno.* id eis concessum est, juxta D. Thomam non tanquam licitum, sed permissive ad evitandum majus malum, ne scilicet à suis Fratribus Usuras acciperent. Plura enim populo Judæorum permissa sunt à DEO propter duritiam cordis eorum. Juxta vero alios Doctores, Usura concessa est Judæis, ita, ut licite eam exercere possent in alienos, eo fere modo, quo licite Judæis permisit DEUS tanquam Supremus omnium Dominus spoliare vasis Ægyptios.

15. *An licitum est Catholicis dare Judæis Mutuum ad Usuram?*

℟. Non licere *Ratio est*: quia licèt antiquis dictum sit: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum*; Nobis vero in hac lege gratiæ Christus Dominus non tantum præcipit diligere amicos, sed etiam inimicos. Porro exigere Usuram pro Mutuo, opponitur Charitati Proximi.

16. *Quæ sunt pœnæ Usurariorum?*

℟. Tres sunt præcipue ex Jure: 1. Notarie Usurarius est ipso Jure infamis. Cap. *Infames.* 2. Non est admittendus ad S. Eucharistiam. Imo neq; mortuus gaudet Ecclesiasticâ sepulturâ. 3. Testamentum aut quævis alia ultima voluntas Usurarii, ipso Jure irrita est, nisi ante mortem restituerit, quæ per Usuras acquisivit. Ut habetur in Cap. *Qui in omnibus.* Hæ autem pœnæ intelligi debent de Usurariis manifestis. non vero occultis.

17. *An licitum sit dare mutuò aliquid cum o-*

bligatione, ut mihi futuro tempore, iterum necessaria remutues?

℞. Non esse licitum, quia Usura est; nam talis obligatio remutuandi ex una parte pretio æstimabilis & onerosa, ex altera parte est vi Mutui exigita, adeoquè est Usuraria. Unde merito contraria propositio est damnata ab Innocentio XI. quæ est ordine 428.

18. *An licitum est dare Mutuo frumentum, ut post messem majori mensura aut meliori reddantur grano, vel pro Mutuo ut aliquot diebus tempore messis laboret Mutuatarius?*

℞. Omnia ista onera ex vi mutui imposita sunt illicita, & peccaminosa, *Ratio est*: quia sunt Usuraria, nam hæc pretio æstimari possunt. Secùs erunt licita, si non exigantur, sed titulo gratitudinis sponte offerantur à Mutuatario.

19. *Nota* hoc peccatum esse familiare in Polonia Dominis Hæredibus aut quocunquè Titulo appellatis qui talia onera à suis subditis extorquere solent, quos aliàs ex justitia adjuvare deberent. Talibus igitur prudens Confessarius scrupulum faciat, ac restitutionem assignet.

20. *An licitum est dare Mutuò pecuniam in auro, & ex vi Mutui obligare ut reddatur argento?*

℞. Nequè hoc est licitum. *Ratio est*: eadem quæ supra allata fuerat: quia videlicet tale onus est pretio æstimabile. Imo potest adesse & ipsa pecunia, si nimirum aurei nummi non fuerint justi ponderis, & obligaretur Mutuatarius solvere per 18. florenos in moneta, vel auro justi ponderis.

21. *An Contractus* Mohatra *vocatus sit Usurarius & illicitus?*

℞. Esse illicitum: *Ratio est*: quia talis Contractus continet Usuram mentalem vel palliatam.

Unde

Unde merito damnata est ab Innocentio XI. propositio ordine 40. quæ licitum talem Contractum docet.

Porro Contractus hic *Mohatra* juxta Lessium Lib. 2. C. 21, est ille qui hoc modo celebratur: petit quis mutuò vg. mille florenos à mercatore, & ille non vult pecuniam mutare, sed paratus est illi vendere merces creditò sed summo pretio.

22. Pro quo sit cautus Confessarius, quia in his & similibus Contractibus solet adesse palliata Usura; aliqui enim sæculares, ut sint immunes à peccato Usuræ, difficiles se reddunt ad mutuandum Proximo à quo licèt nil vi mutui expresse extorqueant, nihilominus solent talia verba proferre in mutuatione, ut nolens, volens, ultra sortem teneatur aliquid lucri eis reddere. Dicendo vg. quod & Petrus voluit mutuo pecuniam, & dabat mihi gratis equum, vel aliam rem, & tamen ei nolui concedere, tibi tamen concedo &c. hîs enim verbîs excitat illum tanquam sub pallio ad gratitudinem. Unde semper animadvertendum est, an titulo præcisæ ac liberæ gratitudinis aliquid superaddiderit Mutuatarius, an potiùs per extorsam voluntatem?

23. *An Montes Pietatis sint Usurarii?*

℞. Non sunt, prout toties declaratum est à Sede Apostolica, & novissime à Leone X. in Concil. Lateran. *Ses.* 10.

24. *Quidnam sint Montes Pietatis, & unde trahant originem?*

℞. I. Montes Pietatis sunt in Italia inducti svasionibus ac Concionibus Patrum ex Ordine Fratrum Minorum: uti S. Jacobo de Marchia, B. Bernardino de Feltria; aliisquè Viris doctrinâ & Sanctitate celebribus. Finis eorum hic fuit, ut pau-

peribus in casu necessitatis subveniretur gratis dando mutuum ad tempus.

℞. II. Montes Pietatis, nil aliud sunt, quàm certa summa pecuniæ vel tritici vel alterius frumenti in communi posita ac designata ad mutuandum indigentibus, Capitalî salvô.

25. *Quot sunt Conditiones ad Montem Pietatis requisitæ?*

℞. Tres esse 1. Ut mutuum detur ad certum tempus. 2. Ut Mutuatarius relinquat pignora custodiẽda apud Ministros Mõtis .Quod si in tempore non restituat rem mutuo acceptam, pignus ejus venditur, retentò Montis debito, reliquum redditur Mutuatario. 3. Ut Mutuatarius singulis mensibus, aliquid juxta taxã solvat Ministris Montis Pietatis, ac pro conservatione domûs aliarumquè expensarum.

Ex qua tertia Conditione clarè deducitur, Montes Pietatis, non esse Usurarios, siquidem non datur ultra sortem aliquid plùs per modum lucri, sed solùm in recompensationem Ministris Montis Pietatis. Reliqua de Monte Pietatis omitto, minus necessaria, siquidem in Polonia non adsunt hujusmodi Montes. Magis igitur inquirendum est nobis de Usura.

26. *An licitum est in aliquo Casu accipere aliquid ex vi Mutui?*

℞. Licitum est ex triplici Fine.

I. *Ratione lucri cessantis.* Si enim vg. Mercator mutuo dat mille florenos proximo indigenti, ex quibus potuisset plus aut minùs lucrari quàm centum florenos; utiquè ratione talis lucri ex pecunia sua cessantis, poterit juste ex vi Mutui exigere aliquid ultra Capitalem summam. *Ratio est:* quia nullus tenetur succurrere Proximo cum damno suo, Nam juxta D. Bonav: *Aliis prodesse sibi*

bi

bi nocere, stultia est, non Charitas. Ordinata enim Charitas incipit ab ego.

II. *Ratione damni Emergentis* licitum est mutuanti plus aliquid exigere ultra sortem principalem, propter rationes superius allatas: nam vg. si Petrus habens in paratis pecuniam ad emendum triticum; si illam mutuò daret Paulo, & postea cariori pretio teneretur illud emere, utiquè poterit juste sibi resarcire damnum, plus aliquid exigendo à Paulo ex vi mutui. *Ratio est:* quia hoc non est lucrum ex vi mutui, quod est Usura & illicitum, sed recompensatio damni sibi ex Mutuatione illati, ad quod compensandum habet jus naturæ.

III. *Ratione periculi sortis principalis amittendæ* Nam si Petrus mutuò daret pecuniam suam in necessitate posito Paulo multis debitis obnoxio, vel non satis noto, utiquè se exponeret periculo amittendæ tòtius suæ pecuniæ; vel quia difficiliter & cum expensa, summa mutuo data recuperari metuitur. *Ratio* hujus *est:* quia tã periculũ, quam difficultas recuperandæ suæ pecuniæ æquivalent damno sibi ex Mutuo illato.

27. *An licitum est Mutuò danti suam pecuniam obligare Mutuatarium, quod si statuto tempore non solverit, ultra sortem principalem teneatur pro mora & culpa aliquid solvere?*

℟. Affirmative. *Ratio est:* quia id non exigitur per modum Usuræ ex vi Mutui, sed in pænã retardationis reddendæ sibi pecuniæ oportuno tempore. Sic enim providet Mutuans suo damno quod ex mora debitoris habere posset. Ita Scotus in 4. d. 15. q. 2.

28. *An prò sola carentia suæ pecuniæ possit in Mutuo quid plus exigi?*

℞. Non posse licite: *Ratio est*: quia pecunia ex se est sterilis, adeoquè sive illa maneat apud Dominum suum, sive mutuo alteri detur, nihil damni infert per suam carentiam, adeoquè nequè lucrum adferre debet. Unde contraria responsioni huic damnata est propositio ab Alexandro VII. quæ est ordine 42.

29. ***An Authoritate Principum, vel consvetudine Regni Poloniæ licitum sit pro Mutuo aliquid exigi, ultra sortem principalem per modun provisionis, ut vocant Poloni?***

Ratio dubitandi est: quia ex una parte videmus publica authoritate Judicji Castrensis dari in Polonia mutuò summam; pro qua annuatim recipitur lucrum, ad quod reddendum Debitor per strepitum Juris compellitur: Ex altera parte dictum est superius Usuram esse illicitam non tantum Jure Civili, Ecclesiastico & Divino; sed etiam Jure naturali; Quæritur ergo in præsenti: quâ conscientiâ exigatur Usura pro Mutuo tam frequentissima in Regno Poloniæ? Non enim immemorabilis consvetudo, aut Constitutio Generalium Comitiorum, potest licitum reddere id, quod contrariatur Legi naturali & Divinæ?

30. ℞. I. Ad quæsitum; Usuras permissas esse à Jure Civili Authoritate Principum; uti Annô 1600. à Rudolpho II. Imperatore, & habetur in L. *Placuit* de Usuris; ut scilicet quinquè pro cento annuatim recipiat Mutuans. Hæc autem Lex statuta est in hunc finem, ut occurratur majori damno indigentium, à quibus Usurarii in casu necessitatis eorum, possent extorquere, quidquid illorum avaritiæ placuerit.

In Regno autem Poloniæ, Constitutione receptum est, ut decem pro cento solvatur, & si quis

ultra

ultra hoc pretium plus exigeret à Mutuatario, Usurarius erit, & ad restitutionem tenebitur.

31. R. II. Cum probabiliori sententia P, Reinff. quod tam in Germania, quam etiam in Polonia, hoc pretium decem à cento, non redditur vi Mutui tanquam lucrum, sed tanquam interesse ex justo titulo lucri cessantis, aut damni emergentis, & ideo à Polonis vocatur *Provisio.* quia sibi Mutuans providet per tale annuum pretium de suo damno aut lucro cessante. Pro quo:

32. *Nota*: I. Quod Mutuans si haberet otiosam pecuniam apud se, non poterit juste accipere à Mutuatario decem pro cento. *Ratio est*: quia hoc fuisset Usura, nullum enim justum titulum haberet ad recipiendum hoc lucrum, siquidem pecunia sterilis nihil ex se acquirere potest, nisi adsit industria & labor. Unde talis Mutuans, alterius industriam & laborem injuste ac modo Usurario acciperet pro lucro, ex vi Mutui. Tum quia id opponitur Charitati Proximi, quem juvare tenemur in ejus necessitate gratis, maxime sine nostro damno, ut supponitur in præsenti. Sive enim pecunia otiosa jaceat apud Petrum divitem, sive cum industria Pauli (cui concessa est ad tempus) acquirat aliquod lucrum, nullum exinde damnum oritur Petro Mutuanti.

Excipe tamen hos duos casus: 1. Si non redderetur pecunia statuto tempore, tunc ut supra dictum est in pœnam Mutuatarius juxta pactum, ultra sortem aliquid plus reddere tenetur, quia ex tali dilatione potuisset Mutuans habere aliquod damnum; nam pecunia quæ hoc anno est otiosa, futuro poterit esse necessaria Mutuanti. 2. Si non redderetur ejusdem ponderis aut monetæ.

33. *Nota* II. Quod dum Mutuans recipit Provisionem

visionem ex aliquo justo titulo vg. damni illati, aut lucri cessantis &c. non debet plus exigere à Mutuatario, quam procerto prævidet sibi lucrum cessare, aut damnum inferri. Ex qua doctrina habet Confessarius Judicium, quod inter Mercatores, qui continuò pecuniâ mercantur, potest aliquando juste exigi à cento quindecim, si Mutuans certò speraret per suam pecuniam, quam alteri Mutuo dedit, tantum pretium aut plus lucraturum. *Ratio est:* quia nemo tenetur alteri subvenire cum damno proprio. Ut supra dictum est.

34. *An licitum est ex Provisionibus derelictis apud Debitorem, iterum alias Provisiones recipere, adjungendo illas Capitali summæ?*

Antequam respondeam, talem breviter pono Casum: Petrus dedit Paulo mutuò florenos 1000. ut singulis annis per centũ solvat; Paulus vel ob inopiã, vel quia veracitatis non tenax non reddebat per aliquot annos provisionem Petro, adeo, ut per quinquè annos excresceret debitum illi reddendum 1500. Quæritur an Petrus poterit licitè exigere à Paulo, non tantum mille florenos Capitales & 500 de provisione, sed etiam ab his 500. florenis retentis apud Paulum provisionem extorquere? Hoc adnotato.

℞. I. Adesse Legem Civilem L. 28. C. *De Usuris* id prohibentem ac statuentem; *Ut nullô modô Usuræ Usurarum à Debitoribus exigantur. Etc: Quapropter hac apertissima Lege definimus: Nullô modô licere cuiquam Usuras præteriti temporis vel futuri in sortem redigere, & earum iterum Usuras stipulari:* Hæc tamen Lex non est ubiq; recepta. Vel si foret recepta, intelligi debet de Usuris propriè dictis, quæ sunt lucrum ex Mutuo præcisè proveniens, sine ullo alio justo titulo

damni

damni emergentis, aut lucri cessantis, quæ Usura licet Lege naturali & Divina sit illicita, tamen in pluribus Regnis, propter aliud malum toleratur, sicuti Lupanaria, & alia hujusmodi illicita.

℟. II. Loquendo de provisionibus justis, prout in præsenti quæsito accipitur; probabilius licitum esse. *Ratio est*: quia si Paulus Debitor solvisset per annum Petro taxatam provisionem, potuisset hic iterum sibi hac pecunia aliquid lucrari, alteri vg. Mutuo dare ad provisionem, adeoquè resartiendo damnum suum & lucrum cessans, potest licitè ab his 500. florenis, qui debentur Petro titulo provisionis, aliud interesse, sive provisionem exigere. Tum quia videmus experientiâ, quod Petrus accipiens mutuo à Paulo centum millia, si post annum non reddit ei summam, neq; decem millia provisionis, solet dare aliud scriptum pro sequenti anno, ac si accepisset à Paulo centum & decem millia, adjungendo provisionem annuam Capitali.

35. *An licitum sit accipere provisionem in antecessum pro futuro tempore anni, statim dum datur Mutuo Capitale?*

℟. Illicitum fore. *Ratio est*: quia nullus titulus justus potest haberi talis receptionis, siquidem Mutuans etiamsi operaretur suâ pecuniâ, non potuisset tam repente ac brevi tale habere lucrum ex illa. Tum quia Mutuatarius habet injuriam, quia per annum hac provisionis pecunia potuisset aliquid lucrari. Talis provisio à Polonis vocatur Vulgo *Z gory prowizya*.

36. Pro Complemento ac praxi, notet Confessarius; quod Usura proprie dicta quæ habetur præcise ex vi Mutui sine aliquo justo titulo (de quo dixi supra Num: 26.) semper illicita, &

talis

talis tenetur ad restitutionem, quia rem alienam accipit invito rationabiliter Domino.

Neq; de facili excusari in Confessione possunt Usurarii eo, quod concedentes pecuniam, sponte offerant lucrum ex vi Mutuo acceptæ pecuniæ. *Ratio est:* quia tales cum sint necessitate pressi, coguntur promittere Usuram, adeoq; non libere.

Reliqua de Usuris si vult Lector, videat in Jure Can. Lib. 5. Decret. Tit. 19. præsertim §. 2.

Census.

37. *Quid est Census?*

℟. Est jus Contractu aliquo institutum percipiendi annuam pensionem ex re vel Persona alterius. Census populariter dicitur Pensio: in rigore tamen est potius jus ad pensionem.

38. *Quæ est differentia inter Censum & Mutuum?*

℟. Hanc esse duplicem. 1. Quia in Mutuo debet reddi res similis in specie, & bonitate, in Censu vero non tenetur Censuarius reddere sortem, sive Capitalem summam, sed tantum annuam pensionem. 2. Quia in Censu emitur Jus percipiendi certos fructus, in Mutuo vero nullum tale Jus emitur.

39. *Quotuplex est Census?*

℟. Duplex. *Reservativus* & *Consignativus*. Primus habetur, dum quis rem suam pleno Jure Dominii transfert in alium, donando, legando, vendendo, aut permutando, servata sibi annua pensione, ex re illa præstanda. *Consignativus est.* Dum quis super bonis suis, quorum Dominium directū ac utile retinet, vel etiam super Persona sua, alteri Jus pensionis annuæ consignat. Exemplum

utriusq;

utriusquè sit: si vg. Petrus dat pecuniam ad evictionem vg. Paulo, donando illam Ecclesiæ, quousquè tamen vixerit, relinquit ex illa sibi annuam pensionem, facit Censum Reservativum, eo quia reservat sibi fructum ex re sua jam donata alteri, aut vendita. Si vero summam apud se retineat, & solúm consignat Ecclesiæ vg. pensionem ex illa annuam, facit Censum consignativum.

40. Census Consignativus; alius est *Realis* qui fundatur supra rem vg. agrum, domum &c. Et alius *Personalis* qui fundatur supra Personam quæ se obligat ad annuam alteri pensionem, sine ordine ex qua re solvenda sit pensio; an scilicet ex summa Capitali; an potius ex rebus immobilibus, uti agro, domo. &c.

41. Item ratione temporis dividitur Census in *Perpetuum* & *Temporalem*. Primus in perpetuum fundatur. Secundus ad certum tempus. His additur alius Usitatus Census, qui constitui solet à tempore Fundatoris vitæ, & hic vocatur *Vitalitius*.

42. *An isti omnes enumerati Census sint liciti absq; Nota Usuræ?*

℞. Affirmativè, ut docent communiter Doctores. Et colligitur ex *Extravag.* Martini V. ac Calixti III. quorum Constitutiones habentur in Jure Can. Tit. *de Emptione & venditione.*

43 *Quæ Conditiones requiruntur ad Contractum Censualem justum & licitum?*

℞. I. Jure naturali requiruntur tres sequentes. 1. Ut Census constituatur in re frugifera. 2. Ut justo pretio Census vendatur & ematur. 3. Quod si res Censui subjecta pro parte aut ex toto pereat, vel in perpetuum infrugifera reddatur, etiam Census ipse pro rata juxta commensuratio-

nem

nem pro parte aut ex toto peribit.

℞. II. Præter has tres Conditiones Jure naturali requisitas, sunt aliæ Jure Ecclesiastico descriptæ, quæ habentur in Bulla Pii V. quæ incipit: *Cum onus Apostolicæ*. Ut videre est *Tom. 2. Bullarii Romani* Const. 76. ejusdem Pii V.

ARTICULUS VIII.
De Restitutione.

1. Sicuti sunt bona aliena triplicis generis, nempe bonum fortunæ, vitæ, & Famæ; ita horum Restitutio pariter triplex assignari debet. Quantum tamen ad Restitutionem Famæ dicetur specialiter Articulo XI. nunc vero de Restitutione fortunæ & vitæ in præsenti breviter aliqua adnotare placebunt. Porro nomine vitæ intelligitur Sanitas per mutilationem aut vulnerationem læsa.

2. *Unde dicatur & quid sit Restitutio?*

℞. I. Restitutio dicitur *à Rei statuitione* in pristinum statum, ita, ut illa res quæ aliquo injusto titulo fuit alteri ablata, per Restitutionem statuatur Domino proprio.

℞. II. Restitutio est: Actus justitiæ, quo fit alienæ rei redditio, vel damni injuste illati compensatio. Ita communiter Doctores.

3. *Quo Jure est debita rei alienæ Restitutio?*

℞. Jure naturali & Divino: juxta illud: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Jure autem Divino imponitur Restitutio rei alienæ Exod. 20. per illud Divinum Præceptum: *Non furtum facies.* Ut supra dictum est.

4. *Quæ sunt Causæ faciendæ Restitutionis?*

℞.

℟. Generaliter sunt duæ. *Una* Ex parte rei acceptæ sive possessæ, quæ Domino suo restitui debet. *Altera* Ex parte injustæ acceptionis sive damnificationis.

5. *Quid sit Obligatio Restitutionis in solidum?*

℟. Cum communi DD. intelligitur illa obligatio, qua quis efficaciter ad furtum vel damnū alterius cooperans obligatur ad restituendum totum id, respectu cujus erat causa efficax. Unde Ly *in solidum*, idem sonat ac totum.

6. *Quinam teneantur ad Restitutionem in solidum?*

℟. Non tantum illi qui physice damnificarunt Proximum, sed etiam illi qui moraliter erant cooperantes aliquo ex novem modis, superius enumeratis. *Ratio* habetur ex illo Apostoli ad Rom: 1. *Non solùm qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

7. *Quo Ordine tenentur ad Restitutionem cooperantes ad damnum Proximi?*

℟. I. Hoc ordine. Cum Lessio Lib. 2. C. 13. quantum attinet ad sex positivos cooperationis modos, tenetur: *Jubens*, *Consulens*, *Consentiens*, *Laudans*, *Recipiens*, & *Participans*, ad Restitutionem totius damni illati; respective cujus fuerat causa efficax.

Ex quo deducitur: Quod si fur aut alio modo injuste damnificans habuerit ante cooperationem Jubentis, Consulentis, &c. efficacem voluntatem damnificandi Proximum, ad nullam Restitutionem tenetur Jubens Consulens &c. Quod si fur habuit intentionem auferendi vg. decem Hungaricos, & Petrus consuluit ei ut acciperet 20 tenebitur Petrus Consulens ad Restitutionem 10. Hungaricorum, quia solùm fuit causa efficax respectu ho-

rum. Qua Regula facile judicabit Confessarius de aliis similibus.

℟. II. Quantùm attinet ad tres negativos modos cooperationis ad damnum Proximi, tenetur solùm protunc ad Restitutionem damni in solidum *Mutus, non Obstans, non Manifestans*, dum ex officio obligatur, & quidem ex gravi culpa ad impediendum damnum Proximi, quod sibi bene notet Confessarius. Nam si ex officio non obligatur, sed tantum ex Charitate ad impediendum damnū Proximi, peccat quidem juxta gravitatem damni illati, non tamen tenetur ad Restitutionem. Ut notat Lessius loc. supra Cit.

Ex Officio tenetur Superior, Judex & Custos ad impediendum damnum Proximi. Nomine autem Custodis intelliguntur servi Domestici, & Milites Custodientes Domûs aut Civitatis integritatem & pacem.

Ex qua Doctrina in praxi multi solvuntur Casus, quos facile resolvet Confessarius, si immediate dicta in mente retineat. Omittuntur autem prolixi Casus, qui particularem solum quietant difficultatem; Ex Regula vero Universali sufficienter divisa, & distincta, singulæ difficultates facile solvi possunt, ut consideranti patet.

℟. III. Quantum ad ordinem Restitutionis, *Nota*: quod per *Ordinem* non intelligitur hic prioritas temporis, sed obligationis, ut communiter notant DD. Porro hoc Ordine facienda est Restitutio damni injuste illati. 1. Ille qui physicè infert damnum, si scilicet sit Juris sui Dominus; Nam si sit Miles aut servus, vel subditus, & ad mandatum Ducis vel Domini sui intulit alteri damnum, pro principali obligatur ad Restitutionem jubens, ut de se patet. Si vero sit damnificans physicè

ficè, Juris sui Dominus, & non habeat unde restituat damnum, tenetur ad Restitutionem, 1mò. Jubens, 2do. Consulens, 3tio. Consentiens, & sic deinceps omnes positive influentes; postremo autē negative; scilicet: Mutq, nō Obstans, & nō Manifestās ex Officio ad id obligatus. Ut notat La Croix 13. p. 2. n. 63. Quod si res ablatæ nondum sint consumptæ, & apud recipientem depositæ, hic ante omnes tenebitur rem alienam restituere, ut dictum est n. 4.

8. *Quid si res ablata pereat apud furem, vel alio modo injuste damnificantem?*

℟. Adhuc talis tenetur ad Restitutionem. Ut docet D. Thomas 2. 2. q. 62. Art. 6. *Ratio est*: quia Restitutio generaliter oritur vel ex parte rei alienæ, vel injustæ acceptionis, sive damnificationis quod in casu haberetur.

9. *Quid, si res ablata peritura foret pariter apud suum Dominum sicuti apud furem, teneturne fur ad Restitutionem?*

℟. I. Hoc quæsito multi Casus quietari ac proponi possunt, de quacunquè damnificatione Proximi, sive per furtum, sive per incendium voluntarium Domûs, Horrei &c. Quæritur enim universaliter: & quidquid resolvitur in communi, prudens Confessarius ad Casum in particulari applicare poterit.

℟. II. Ad quæsitum: si res furtiva, vel alio modo injustè accepta aut destructa certo fuisset peritura apud Dominum vg. inundatione aquarū, incendio, aut incursione hostium, vel alio quocunq; modo, fur sive damnificans peccavit quidem mortaliter, sed ad Restitutionem rei illius non tenetur. Ita Lessius. Sylvester. Covarruvias & alii. *Ratio est*: quia in tali casu nullum notabile damnum Domino illius rei accidit, eo quod perierit apud

iniquum

iniquum raptorem, furem &c. & non apud ipsum. Secùs dicendum, si dubium sit, an fuerit peritura, nam in dubiis standum est, pro parte & certitudine proprii Domini.

10. *Quæ Regulæ observandæ sunt in Restitutione?*

℟. Juxta V. Scotum in 4. D. 15. q. 2. in hac difficultate tres observari debent Regulæ.

Prima Regula est: quod restitutio imprimis facienda est proprio Domino sive damnificato, si possibile est; id est: Si ille qui damnum intulit, novit eum, & habeat ipsum præsentem, vel eidem mittere possit absq; majori incommodo, aut expensa, quàm illud quod mittendum foret.

Secunda Regula est: Si sit impossibile Restitutionē facere ipsi damnificato, quia vg. mortuus est, restituendum erit ejus Hæredibus seu propinquis. Quæ Regula bene adnotanda est à Confessariis; nā sæpius Pænitentes mortuô damnificatô putant se esse liberos à Restitutione damni, vel si sint prompti ad faciendam Restitutionem; sæpius Confessarii omissis propinquis & Hæredibûs, solent assignare Restitutionem ad pias Causas, puta in Sacrificium Missæ, pro anima Defuncti, quod non est faciendum, quia jus naturæ prævalet piis Causis; ideo hoc Jure naturali prius facienda est Restitutio Hæredibus si potest faciliter, quàm ad pias Causas.

Tertia Regula est: Quod si Hæres sit mortuus, aut ignotus, vel longe distans, ad quem impossibile fuerit devenire Restitutionem, tunc ultimo restituendum est Causis piis vel pauperibus.

11. *Quid si damnificans sit pauper, teneturne in Casu tertiæ Regulæ restituere pauperibus?*

℟. Potest etiam illi Confessarius tanquam pauperi hanc Restitutionem applicare, cum injunctione

one precum, sicuti pro eleemosyna solent facere alii pauperes.

12. *Quid faciendum, si Dominus rei, damnificatus, putetur esse mortuus, vel sine regressu distans & Restitutio fiat pauperibus?*

℞. In tali Casu si fuit Restitutio ad pias Causas, rei immobilis & usu non consumptibilis, tenentur ipsi pauperes vel Ecclesia, non obstante quod sint bonæ fidei possessores restituere Domino. Ut docet Reiffenst. cum aliis.

Meo tamen judicio prius consulendus est Dominus cui deberet fieri Restitutio, an tali Restitutioni in pias Causas sponte annuat, necne? sic enim multa vitarentur incommoda & jurgia: Ut de se patet. Quod si autem res illa pauperibus restituta, fuerit usu consumpta amplius non maneat, nec damnificans, nec ipsi pauperes tenentur aliquid Domino comparenti restituere.

13. *Quid observandum est in Restitutione illius rei, quam Possessor bona fide apud se retinuit?*

Antequam respondeam Prænotandum est: quod bonæ fidei possessor rei alienæ potest considerari dupliciter: vel enim ex hac re ditior factus est, vel non. Item, aut res illa conservatur in specie, vel est consumpta ante tempus, cognitionis quod sit res aliena. Hoc prænotato.

℞. I. Ad quæsitum cum distinctione. Si bonæ fidei Possessor retinet rem alienam in specie, postquam devenerit in cognitionem quod sit res aliena, tenetur ad Restitutionem illius proprio Domino. Si vero illam rem bona fide alienavit vel consumpsit, neque ex hac alienatione factus sit ditior, non tenebitur in conscientia. Ita Reiffenst. cum aliis.

℞. II. Quod si ex re aliena apud se retenta, ditior factus sit, non tantum tenetur restituere rem

illam Domino proprio, sed etiam lucrum illud ex eadem emergens, & præsertim illud quod sine industria & labore talis Possessoris evenit. Sæpius enim contigit, quod Petrus habens sibi bona hæreditaria relicta à Patre suo, bona fide illa possidet, ignorans esse aliena; successu vero temporis, cognoscit esse aliena ex documentis, aut aliis scriptis, vel relationibus alicujus fide digni. In quo casu licèt Petrus non citaretur ad Judicium & forum contentiosum, ab hæredibus illorum bonorum, quæ hucusquè rectâ conscientiâ tenuit, à Confessario tamen compellendus est, ut illa restituat: Et si aliquas Juridicas excusationes daret vg. si sine strepitu Juris restituisset illa, potuisset ab aliis hæredibus pertinentibus habere vexationem & incommodum. Tunc prudens Confessarius assignare ei debet, manifestationem omnibus Hæredibus, aut aliquo modo pertinentibus ad illa bona, quod non sunt ejus propria, sed ad illorum familiam pertineant, ut sic ipsi inter se disjudicent, cui nam restitui debeant. Quod si Petrus amore bonorum alienorum quæ pacifice possidet, seductus, nihil horum paratus sit facere; non erit absolvendus. *Ratio est*: quia hoc ipso non præsumitur habere rectam dispositionem ad absolvendum. Ut de se patet: cum rem alienam injuste possidet. Hic Casus frequens solet esse in Polonia; ubi putatur res juste possideri, quousquè à Judicio contentioso Restitutio non determinetur.

℟. III. Quotiescunquè aliquis possidet bona aliena, cum dubia conscientia, an sint propria vel aliena? post cognitionem certam & evidentem, quod sint aliena, non tantum tenetur in conscientia reddere bona illa Domino proprio, sed etiam lucrum ex illis emergens, retenta sibi parte, quæ

evenit

evenit ex industria & labore ejus. Quod maxime certum est quando tale dubium non curavit deponere, & consulto omittebat ad notitiam evidentiorem rei devenire, sic enim habuit affectum dubium.

In præsenti difficultate & quæsito, prudentiorem oportet esse Confessarium, ac multîs necesse est uti interrogationibûs, ut intelligat in quo statu, & cum qua fide & conscientia Pænitens hucusquè retinuit bona aliena; Deinde Confessarius non conformet in præsenti negotio Judicium Sacramentale foro contentioso Civili: nam in Jure Civili non adjudicantur bona proprio Domino reddenda, nisi documentîs & scriptîs comprobentur. In Confessione vero & conscientia unusquisquè tenetur reddere rem alienam, quam primum cognoscit non esse propriam.

14. *Quando facienda est Restitutio?*

℞. Regulariter juxta communem DD. sententiam Restitutio facienda est, statim quam primum commodè fieri potest. *Ratio est:* quia restituere, est actus Præcepti negativi, quo tenemur non detinere alienum, Domino rationabiliter invito, ac proinde obligat semper & pro semper.

15. *Quomodo peccat qui Restitutionem differt?*

℞. I. Si differt absquè sufficienti causa ad aliud tempus, solúm venialiter peccat maximè si habet voluntatem restituendi. & si per modicam illam dilationem (ut supponitur) grave damnum non inferatur Domino rei, cui facienda est Restitutio. Secùs vero, si magnum damnum ex gravi vel levi dilatione inferatur.

℞. II. Homines in periculo mortis existentes non sunt absolvendi, si nolint statim Restitutionē facere, sed illud onus Hæredibus imponant. Ita

La Croix, Molina, Tambur. & alii. *Ratio est*: quia sic Creditores suos exponerent periculo injusti damni, nam Hæredes præsertim Magnatum sæpius negligentes esse solent in Restitutione suorum Antecessorum. Ut advertit La Croix L. 3. p. 2. n. 357. Excipitur tamen Casus, in quo moriturus statim non posset Restitutionem facere, sine periculo scandali, infamiæ, vel alterius gravis mali ut notant citati Doctores.

16. *Ex qua culpa oriatur Restitutio facienda?*

℞. Ex culpa damni illati, sive per culpam Theologicam sive Civilem. Restitutio enim instituta est, ad resartiendum damnum injuste Proximo illatum.

Damnum definiri solet; quod sit: Jactura data in bonis externis Proximi absquè eorum usurpatione. Hæc autem definitio convenit damno sine ullo lucro damnificantis, ut solet fieri per incendium, occisionē vg. gregis &c. ad differentiam furis & iniqui Invasoris, qui solent usurpare sibi bona Proximi permodum lucri. Hoc autem *Damnum* non lucrosum dupliciter fieri solet. 1mo. destruendo Proximo id, quod actualiter aut virtualiter habet; vg. Domum Horreum incendendo, pecora occidendo, arbores, sylvam eradicando.&c. 2do. modo solet fieri damnum: impediendo Proximum ne aliquod bonum consequatur ex illa re quam possidet. Ut frequentissime contingit inter villanos Dominos quorum unus alteri vicino, formata prætensa impedit agrum ne seminetur ab illo, sed usque ad judicium deferatur ventilanda controversia de fundo.

17. *Qui non teneantur ad faciendā Restitutionē?*

℞. Illi omnes qui cum culpa Theologica aut juridica, intulerunt damnum Proximo. Porro.

Culpa

Culpa Theologica tunc habetur in damno Proximo illato. quando quis vel ex directo nocendi proposito absquè justa Causa damnum intulit, vel quando aliquo ex novem modis, jussione, consilio, &c. cooperatus est ad damnum Proximi.

Culpa Juridica sive Civilis est illa, quam Jus Civile pro Culpa adjudicavit. Ut vg. si jumentum Petri absquè ulla ipsius Culpa occideret animal Pauli, aut segetes depasceret; Jus Civile pro Culpa solet imputare Petro, & ad Restitutionem damni eum adstringere. Hæc autem differentia est utriusquè Culpæ quantùm attinet ad Restitutionem faciendam, quod scilicet, qui intulit damnum Proximo per Culpam Theologicam, nempe deliberate, ac scienter, tenetur in conscientia ante sententiam Judicis ad Restitutionem. Qui vero in damno Proximi habet Culpam Civilem, solúm post sententiam Judicis obligatur ad Restitutionem, præsertim si fuerit Culpa Civilis levis. Ita Lugo Lessius & alii.

18. *An illi tenentur ad Restitutionem qui Proximum impediunt in bonis consequendis?*

Ante Resp: *Nota:* Quod bona consequenda, aut sunt ex liberalitate consequenda. Ut si homo moriens, ex liberalitate Testamentô assignaturus est vg mille florenos Petro, aut Rex aliquam dignitatem; & Paulus persvasione impedit, sibi potius, vel Consangvineis suis hæc obtineri procucurans. Hoc prænotato.

℞. I. Si bona consequenda ex liberalitate impediuntur directè ab aliquo, hic tenetur quidem ad Restitutionem damni, sed non in solidum, seu non obligatur restituere ei totum illud bonum, nequè valorem æquivalentem, sed aliquam duntaxat portionem. Ita Cavellus. Scotus in 4. D. 15. q. 2.

℟. II. Si vero bona consequenda vg. Petro, titulô justitiæ debebantur; Paulus impediens directè, tenetur in conscientia ad Restitutionem in solidum boni illius habendi. *Ratio* habetur ex supra dictis: quia scilicet intulit damnum Petro, ad quod habuit Jus.

℟. III. *Si* tandem vg. Petro, aliquis collaturus fuit bonum aliquod titulo liberalitatis, Paulus impediens non animo nocendi, sed idem bonum sibi aut suis Consangvineis procurandi, ad nullam tenetur Restitutionem. Ita cum Scoto Loc. cit. Mastrius & alii. *Ratio est*: quia quilibet habet jus naturale procurandi sibi magis bonum, quàm alteri extraneo.

19. *Quænam sint Causæ excusantes à Restitutione?*

Ante Resp. *Nota*: Causas excusantes à Restitutione facienda, alias esse solùm excusantes ad tempus. Ut est: Impotentia Debitoris propter inopiam, qua hic & nunc laborat. Postea vero, si habebit unde restituat, reviviscet obligatio Restitutionis. Alias vero esse excusantes in perpetuum. Quot autem hujusmodi Causæ sint, non concordant Doctores: Lessius Lib. 2. de Jure & just. Cap. 16. cum Medina enumerat 12. Gregorius à Valentia vult esse 15. Reginaldus usquè 16. enumerat. Quidquid autem sit de numero certo, nos principaliores discutiamus, quæ sequuntur.

20. *Prima* Causa excusans à Restitutione est *Impotentia sive inopia* Debitoris, quæ ab omnibus DD. admittitur. Et *Ratio* illius est: quia ad impossibilia nemo obligatur. Quod si postea Debitor ad pingviorem pervenerit fortunam, tenebitur ad faciendam Restitutionem, ut docent communiter DD. Excipitur ille, qui in extrema necessitate accepit

cepit rem alienam sibi extremè necessariam, quam consumpsit tempore extremæ necessitatis. *Ratio est:* quia in tali necessitate sunt omnia communia Jure naturali, ut supra suo loco dictum est. Quod si rem acceptam in extrema necessitate non consumpsit, tenetur illam in specie restituere proprio Domino. Ita docet cum aliis Lessius L. 2. C. 16.

21. *Secunda* Causa excusans à Restitutione est: *Periculum infamiæ*, & multò magis *vitæ* vel *membrorum*. Quæ Causa pariter sicuti & prima excusat solùm ad tempus, nam quando cessabit tale periculum, cessabit etiam & illa Causa excusans.

In tali autem Casu juxta D. Thomam & alios poterit Confessarius dare modum restituendi sine periculo famæ, vel vitæ, ponendo clam rem in loco debito ac securo, ut ad Dominum perveniat. Vel etiam per subordinatam Personam secretam ut Confessarium proprium. A quo ut notat Navar: Cap. 17. *Manual.* num. 67. potest juste exigere. ut singrapha recipiat à Creditore, quod talem & talem summam per Confessarium receperit, quæ Schedula reddenda erit secretò ipsi Debitori Pænitenti. *Ratio est:* quia sic providetur securitati ipsius Pænitentis.

Quod si illa Persona intermedia defraudaret Debitorem, nequè rem ab illo restituendam redderet, proprio Domino, non per hoc cessabit Obligatio primi Debitoris. Ut docet Lessius & Layman. *Ratio est:* quia pro tunc non res Creditoris deperderetur, cui facienda est Restitutio; sed ipsius Debitoris, qui tenetur ad Restitutionem.

22. *Tertia* Causa est: *Condonatio* Creditoris, quæ si erit absoluta, excusabit in perpetuum; si vero conditionata, quousquè non habebit Debitor unde reddat, erit solùm ad tempus excusans.

23. *Quarta* Causa excusans à Restitutione est: *Si res restituenda sit Creditori nocitura.* Nam si vg. Petrus haberet depositum gladium apud Paulum, tandem factus amens aut furiosus, vel irâ vehementi præoccupatus, vult sibi gladium aut arma hic & nunc restitui, ut aliquem lædat, aut occidat, in tali casu Depositarius, non tenetur mox gladium restituere, sed oportet ejus Restitutionem differre,

24. *Quinta* Causa excusans à Restitutione est. *Præscriptio*, sive *Usucaptio*, quæ est: Acquisitio Dominii rei alienæ per possessionem ejus certo temporis spatio legibus definito continuatam.

Ad hanc Præscriptionem requiruntur tres conditiones. 1. Bona Fides; ita ut Possessor rei alienæ putet esse rem propriam. 2. Titulus ad illam rem, saltē probabiliter præsūptus, successionis, donationis, vel emptionis. 3. Continuatio possessionis per certū tempus à Lege præscriptum. Exemplum hujus præscriptionis sit vg. Post hosticum Chmielniccii in Russia; Petrus revertens in Russiam, possedit bona Fide prædium, Domum, vel agrum &c: putans esse hanc Hæreditatem Patris sui ante hosticum; quæ bona tenuit in pacifica Possessione ad annos vg. 30. juxta Leges; Tandem post illud tempus, citat Petrum proprius Hæres illius fundi. In tali Casu, si Hæres fuit per illos 30. Annos vicinus Petro in eodem territorio, non tantum in foro conscientiæ, non tenetur ei Petrus reddere illa bona immobilia, sed etiam in foro contentioso, Ut docent communiter Juristæ & Casuistæ.

Dicitur *Præscriptio* à præscriptione Legis. Vocatur etiam *Usucaptio* eo. quia Usu capiuntur res alienæ per illam.

Quodnam tempus præscribatur à Lege, ut res aliena usucapiatur, & amplius Domino non reddatur?

Ante-

Antequam Resp: *Nota*: quod res alienæ, aliæ sunt *Mobiles* ut pecunia, jumenta, vestes &c. aliæ *Immobiles* ut Domus, villa, agri, prædia, hortus &c: Item Personæ illæ, Possessor scilicet rei alienæ, & Dominus ejusdem rei sive Hæres, possunt considerari dupliciter, aut enim sunt sibi præsentes in eodem districtu, aut Villa vel Domo. Aut absentes. Hoc adnotato certum est, quod majus spatium temporis requiratur circa rem immobilem per Usucaptionem appropriandam, quam mobilem. Item inter absentes, quam præsentes. Juxta Statutum à Lege Civili Lib. 1. *De Usurpat.*

℞. I. Pro rebus mobilibus privatorum, cum titulo Possessorum, præscribitur à Lege spatium trium annorum. *Sine* titulo vero requiritur spatium 30. annorum. Ita communiter Doctores.

℞. II. Pro rebus immobilibus privatorum cũ titulo, requiritur spatium annorum 10. inter præsentes. Inter absentes autem 20. annorum. Sine Titulo autem tam inter absentes quam præsentes, requiruntur anni 30 Ita Com: Sent. ex Lege *Cit: De Usurp.* Additur autem notanter: *Privatorum*, quia ad possidenda bona Communitatum majus spatium requiritur. Respectu enim bonorum Communitatis Civilis, sive sæcularis, cujuscunq; etiam cũ titulo requiruntur 30. anni. Respectu bonorum Ecclesiæ Religiosorum, aut Patrimoniorum. Principũ, Jure antiquo requirebantur centum anni. Modo vero novella Lege 111. Cap. *Unico* sufficiunt 40. anni.

Ad quid instituta est Lex Præscriptionis Bonorum?

℞. Juxta Legem Lib. 1. *De Usurpat.* Hæc Lex instituta tam à Jure Civili, quam Ecclesiastico, in hunc finem, ne incerta essent semper rerum

Domina

Dominia, & infinitæ orirentur lites, circa earum proprietatem. Tum etiam propter addendum calcar negligentibus Hæredibus qui per longum tempus etiam scientes, non prosequuntur suam injuriam. Unde in Regno Poloniæ idcirco *Manifestationes* introductæ sunt, ut per illas, & si hic & nunc non possit pervenire ad Judicium Rei, saltim manifestando, habeatur lis incepta.

Nota: Quod si Hæres Bonorum manifestaretur intra illud tempus à Lege statutum, contra Possessorem, aut ipse Possessor aliunde certò sciret rem aut fundum esse alienum, tenetur in conscientia manifestare Hæredi & reddere. Et si consultò expectaret usquè ad tempus in Jure præscriptum? non debet absolvi, nisi reddat. Ut communiter docent Doctores.

25. *Sexta* Causa excusans à Restitutione est: *Compensatio*, si videlicet quis abstulit tanti pretii rem ab altero, quanti sibi debebatur solvi ab illo. Ut autem talis compensatio sit licita in foro conscientiæ, requiruntur quinq; conditiones.

I. Ut debitum sit certum, & ex justitia reddendum.

II. Ut res propria alio modo non possit recuperari, aut cum summa molestia, nisi per talem compensationem.

III. Ut non fiat compensatio in re alterius, sed in re propria ipsius Debitoris.

IV. Ut in compensatione non plus accipiatur quam debetur, quia alias excessus foret contra justitiam & in conscientia restituendus.

V. Ut taliter sibi compensans, attendat, ne illius compensatio, alteri tanquam furtum imputetur, quod sæpissime evenit; maximè in Aulis, in quibus, Petrus ex servis unus, compensavit sibi debitum

bitum salarium per acceptionem vg. centum florenorum, & Paulus innocens ex sola suspicione à Domino tanquam fur torquetur & punitur. Si enim id videret Petrus, & antequam deveniret ad grave damnum innocentis vitæ aut famæ, non restitueret clam Domino, teneretur ad compensandam injuriam innocenti illatam.

26. *Septima* Causa excusans à Restitutione est: *Ignorantia* Invincibilis Damnificantis, quòd sit res aliena. *Ratio est:* quia talis ignorantia sicuti excusat à peccato, ita etiam à Restitutione.

27. *Octava* Causa est: *Dubium* quod possidens rem alienam, etiam adhibita sufficienti diligentia, an sit res propria vel aliena, non potest deponere; talis non tenetur ad Restitutionem. *Ratio est:* quia in dubio melior est conditio possidentis, juxta Regulam 65. Juris.

Quæ Causa ac Regula inservire potest etiam in dubio circa injustam damnificationem suborto, nam juxta Lessium Lib. 2. C. 13. n. 38. Communis sententia Doctorum est: si quis solùm dubitet utrū causa damni fuerit, vg an suo consilio vel laude alios efficaciter promoverit ad damnum Proximo inferendum necne? talis non tenetur ad Restitutionem, cum in dubio melior est pars possidentis. Quod tanquam pro generali Doctrina notet sibi Confessarius.

Plures alias causas solent adducere Casuistæ, excusātes à Restitutione facienda, sed præmissæ sunt principaliores, aliæ vero raro in praxi solent occurrere, & potius ad forum contentiosum pertinere videntur, adeoq; illas consulto omisi, ut locum cedant aliis magis scitu necessariis.

28. *Quæ Regulæ generaliter in Restitutione observandæ sunt Confessario?*

R. Juxta *Layman* & V. Scotum in 4. D. 15. q. 2. sunt hæ duæ: Prima est: *Nemo tenetur restituere cum suo notabiliter detrimento majore, quàm sit Creditoris commodum.* Secunda Regula est: *Quotiescunq; Dominus sive Creditor rationabiliter contentus esse debet, ut Restitutio differatur, potest differri quamvis ille invitus sit.*

Et hæc sufficiunt de Restitutione dicta, quia jā alibi supra de hac materia adduxi, loquendo de materia Sacramenti Pænitentiæ.

ARTICULUS IX.

De Octavo Præcepto Decalogi.

1. *Quod est Octavum Præceptum Decalogi?*

R. Juxta illud Exodi 20. est hoc: *Non loqueris contra Proximum tuum falsum testimonium.* Hoc Præcepto juxta communem DD. sententiam, non tantùm prohibetur falsum Testimonium quod mendacium includit; sed etiam Detractio, Contumelia, Convitium, Irrisio, Susurratio, & omnis injustitia ac injuria, quæ Proximo verbîs inferri potest. Ut notat D. Thomas 2. 2. q. 12. A. 6.

1. *Quid est Fama & Honor?*

R. Quamvis Fama & Honor confundantur ad invicem juxta vulgarem sermonem, in rei tamen veritate; non sunt idem, Nam *Fama* consistit in interiore opinione; & dum exit in opus externum, dicitur Laus. *Honor* vero, consistit in externa significatione nostræ existimationis de excellentia alterius. Qantum autem ad Definitionem. *Fama bona* est: Communis opinio virtutis, sapientiæ, & rerum præclare gestarum alterius. *Honor* vero est: Testimonium excellentiæ alterius.

Detra-

Detractio.

3. *Quid est Detractio?*

℞. Juxta communem sententiam est: alienæ famæ occulta & injusta læsio sive denigratio. Ex qua definitione duo requiruntur ad Detractionem. 1*mo*. Ut dicatur aliquid quod injuste lædat famam Proximi quam possidet. 2*do*. Ut fiat occulte, id est non præsente illo cui fit Detractio, ad differentiam contumeliæ quæ est ad coram.

4. *Quot modîs solet fieri Detractio?*

℞. Duobûs. *Directe* videlicet, & *Indirecte*. Ut docet D. Thomas 2. 2. q. 73. Art. 1.

Directè Fama lædi potest hîs quatuor modîs. 1. Imponendo crimen falsum. 2. Amplificando sive exagerando crimen verum. 3. Revelando crimen occultum. 4. Sinistre interpretando opus bonum, aut saltem indifferens alterius.

Indirecte etiam Detractio contingit quatuor modîs. 1. Negando recte facta vel dotes alterius. 2. Illa extenuando sive minuendo. 3. Tacendo bona alterius eo loco & tempore, quo silentium tale, alii interpretantur tacitam vituperationem illius de quo est sermo. 4. Simulatè & frigidè laudando alterum, ita, ut simulet se quidem laudare eum, nihil tamen adfert laude dignum. Omnes isti octo modi, his versibus explicantur.

Imponens, Augens, Manifestans, in mala Vertens.
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatq; remissè.

5. *Quale est peccatum Detractio?*

℞ Ex genere suo est mortale, sive sit facta viventi, sive mortuo. Et quidem juxta DD. gravius est peccatum furtô, levius vero homicidiô. *Ratio*

est: quia Bonum Famæ est præstantioris Ordinis, quam Bonum Fortunæ: Juxta illud Proverb. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.*

Dixi notanter mortale *Ex genere suo*, quia detractio sæpius solet esse veniale peccatum ex duplici capite; vel ob levitatem materiæ, vel ob imperfectionem Actûs.

6. *Quando Detractio censenda est materia levis & quando gravis?*

℞. Tunc est *Levis*, quando pensatîs omnibûs circumstantiis, solummodo vim habet, similis conditionis homines (ei cui fit Detractio) leviter contristandi, seu levem dolorem causandi, neq; per hoc amicitiam dissolvendi. Tunc vero est *Gravis*, quando vim habet & amicitiam dissolvendi, & gravem dolorem inferendi.

Universaliter exinde Confessarius poterit devenire, an Detractio fuerit gravis vel levis, si considerabit conditionem, dignitatem, & statum ipsius læsi sive detracti; an scilicet ex tali Detractione graviter vel leviter contristaretur, si ei ad oculum similia verba proponerentur. Nequè hic præcisè consideranda est gravitas peccati alterius revelati, sed potius Persona detracta; nam si Militis simplicis revelaretur vg. fornicatio aut furtum, non ita gravis haberetur Detractio; quam si viro honesto impone mendacium, ita, ut apud audientes minueretur ejus veracitatis existimatio.

7. *Quotuplex est Detractio?*

℞. Duplex. *Materialis* & *Formalis*. Prima habetur, quando quis non intendit lædere famam Proximi, sed ex quadam loquacitate narrat peccata vel defectus ipsius, unde læderetur bona fama ejus. *Formalis est*; quæ fit ex intentione & proposito

sto alienam famam denigrandi.

Detractio Formalis, est mortale toties, quoties detrahens intendit graviter denigrare famam Proximi, etiamsi talis denigratio non sequatur propter aliquam circumstantiam vg. quia detrahens non est dignus fide.

Materialis vero detractio, licèt tam perfectū voluntarium non habeat sicuti formalis nocendi famæ Proximi, & ideo sæpius excusatur à mortali, si tamen cum reflexione oblocutio fiat alterius, in re ei nocitura graviter, juxta conditionem læsi, erit mortale. *Ratio est*: quia in tali casu licèt non intendatur expresse læsio Proximi, in causa tamen & implicite hoc ipso intenditur.

8. *An licitum sit aliquando revelare crimen occultum Proximi?*

℟ Licitum fore præsertim in his casibus. 1: Si quis post Fraternam correctionem patefaceret Testibus vel Superiori Crimen Fratris sui in bonum ipsius, ut scilicet emendetur. 2. Licitum est etiam propalare crimen alterius, ad impediendum notabile damnum Proximo, vel toti alicui communitati. 3. Qando agitur de officio conferendo, aut Matrimonio contrahendo, vel de Religione suscipienda, possunt justa impedimenta etiam occulta manifestari, si ex illis notabile incommomodum prævideatur secuturum. 4. Si quis fictis virtutibus famam sibi paravit cum damno aliorum: Uti est Medicus Advocatus, Confessarius &c. Licitum est ejus simulationem manifestare, si certò de illa constet. *Ratio est*: quia ejus simulatio caderet in detrimentum multorum; porro bonum commune est præferendum particulari famæ unius hominis. Ita Lessius Lib: 2. Cap. 11.

9.

9. *An coram aliis audita & aliorum dicta referens de Proximo suo, sine asseveratione & sub dubio, an sint certa, peccet mortaliter & teneatur ad Restitutionem?*

℟. Cum Scoto in 4. D. 15. q. 4. quem sequitur Layman, quod si quis non imponit crimen in publico alteri, sed murmurat & indiscretè loquitur, vel alicui coram multis narrat, non tanquam sibi certum, sed sic se audivisse &c. non peccat graviter. *Ratio est*: quia ex natura suæ loquelæ non aufert bonam famam Proximi, nam si audientes firmiter credant illius dictis id ex eorum levitate procedit. *Qui enim credit cito, levis corde est.* Ecclesi. 19.

Notat tamen V. Scotus loc. cit. in similibus locutionibus debere esse quemlibet cautum, ne coram Pusillis talia loquatur, qui sunt nimis proni ad credendum. Quod si fiat animô malo talis oblocutio nocendi Proximo, non excusatur à mortali, etiamsi narret similia verba ab aliis audivisse. *Ratio est*: quia talis licet fidem non haberet, tamen peccaret contra Charitatem Proximi. Si tamen loquatur ex garrulitate, non excedit peccatum veniale; juxta eundem Scotum. *Ratio est*: quia lingva nostra est in lubrico posita, &: *Si quis verbo non offendit, hic perfectus est Vir Jacobi Cap.* 3.

10. *An qui detractorem audit peccet, mortaliter, & ad restitutionem famæ teneatur?*

Ante Resp. Prænotandum est, quod audiens detractionem, dupliciter considerari potest. aut enim sibi complacet in illa, & ideo tacet. & aliquando risu & gestu annuit Detractori. Aut sibi in illa non complacet. Item si in tali sibi non complacet. Aut corrigit Detractorem, aut tacet, neq;

pro

pro hac neq; pro illa parte annuendo. De his omnibus cum distinctione Respondendum est.

℟. I. Qui Detractorem audit cum complacentia non resistendo ei, peccat eodem peccato, quo & ipse detrahens; & si ad detrahendum inducat, vel excitet propter odium ejus, cui detrahitur, aliquando potest graviùs peccare quam detrahens. Ita D. Thomas 22. q. 73. Art. 4. quem sequuntur alii.

℟. II. Qui in detractione sibi non complacet, sed ex timore vel negligentia, aut verecundia omittit repellere sive corrigere detrahentem, peccat quidem, sed multò minùs, quam ipse detrahens & plerumq; venialiter, licet aliquando & peccatum mortale esse poterit, si audiens sit superior. Ita D. Angelicus loc. Cit.

℟. III. Qui Detractorem audiens non potest illum corrigere absq; suo incommodo, non tenetur Detractionem impedire, neq; talis venialiter peccat. *Ratio est:* quia Charitas Proximi cum gravi suo incommodo non obligat: ut docent communiter Doctores.

Modus autem resistendi Detractori hic potest dari Pœnitentibus à Confessario. Vel scilicet ut redarguant Detractorem modestîs verbîs, subjungendo id non licere loqui de fama Proximi sui. Vel interrupendo sermonem. Vel surgendo de loco. Vel tandem displicentiam ostendendo.

11. *An peccet graviter, si revelet occultum crimen coram aliis Personæ illis incognitæ?*

℟. Non peccat, si Personam non nominet, & ita discursum accomodet, ut ex illo audientes non veniant in cognitionem illius cui detrahitur.

12. *An divulgans crimen grave alterius, coram uno prudenti & honesto Viro, quem præsumit*

non

non revelaturum, peccet graviter?

℟. *Si* id faciat sine justa causa, probabilius peccat mortaliter. Ita Card. de Lugo. Henno. Reiffenst. contra Tambur. Fel. Potest & alios *Ratio est:* quia etiam apud unum Virum gravem & honestum deperdere suam famam, est notabile damnum.

Dixi notanter: *si id faciat sine justa causa*, nam si adsit justa causa, ratione vg. consilii vel auxilii, & non potuisset revelari crimen, nisi manifestaretur & Persona, nullum foret detractionis peccatum: Ut advertit Henno. Tract. in Decalog. D. 8. q. 3. Art. 2.

13. *An peccet mortaliter, qui crimen aliàs verum & notum in aliqua Communitate, revelat aliis extra vel intra eandem Communitatem, qui saltem Personam ream nondum sciverunt?*

Ante Resp. *Nota*, quod tripliciter crimen alicujus poterit esse notum. 1. *Jure* quando per strepitum juris ac sententiam Judicis est divulgatum; 2. *Factô* quando scilicet fuerit evidenter coram tot & tantis factum, evidenter notum, ut amplius nullo modo possit celari. 3. Est notum *ex Fama* quando eadem non à garrulis mulierculis absq; gravi fundamento (quia pro tunc esset potius rumor inanis) sed ex verisimilibus fundamentis ortum trahens, ad majorem partē Communitatis pervenit. Hoc adnotato.

℟. I. Si crimen sit notorium notorietate. *Juris*, tunc post sententiam Judicis publicè latam, potest simul cum Persona rea manifestari, tam ejusdem loci habitatoribus, quam etiam exteris. Ita Sporer. *Ratio est:* quia talis Jure convictus, privatur famâ publicâ per sententiam publicè latā, adeoq; nulla in casu fit ei injuria.

Dixi

Dixi notanter: *post sententiam Judicis publicè latam*; Nam si hæc non publice feratur sed privatim intra particularem Communitatem, cum intentione ut non divulgetur ulterius vg. ultra certum Monasterium aut familiam Religiosam, tunc revelans ignorantibus tale crimen alias jure convictum cum Persona rei peccaret graviter.

℟. II. *Si* crimen sit notorium notorietate *Facti* potest absquè peccato gravi detractionis, ille qui crimen commisit, manifestari aliis, ejusdem communitatis adhuc ignaris. Ita V. Scotus in 4. D. 15. q. 4. Sporer Lessius.

℟. III. Si facti evidentiâ crimen alicujus est publicum, ac notorium in aliqua Communitate, vg. Civitate, Pago, aut Palatinatu vel districtu, poterit reus criminis divulgari in aliis vicinioribus locis, citra grave peccatum Detractionis. Ita Molina. Sporer. Layman. Navar. & alii. *Ratio est*: quia moraliter æstimando rem, fama amissa in hoc loco, etiam in loco vicino amissa censeri potest, ita ut moraliter impossibile sit, ut ad aures vicinorum, hæc fama brevi non perveniat. In locis vero remotioribus in quibus hæc fama non de facili divulgari æstimatur, non licet crimen cum Persona manifestare. Ita Henno cum aliis.

℟. IV. Quantùm pertinet ad publicum crimen notorietate *Famæ*, ita judicandum est, sicuti de crimine noto notorietate *Facti* ob paritatem rationis. sed tale crimen divulgans debet esse certus, quod sit fama vera cum fundamento, non rumor inanis populi. Ut notant citati Doctores.

14. *Quot Personæ debent scire crimen alterius, ut dicatur notum notorietate Facti?*

℟. Quantum ad certum numerum non concordant DD. aliqui enim apud La Croix & Sporer

putant sufficere, si sciant *Decem.* quia iste numerus sufficit ad constituendum populum seu Parochiam. L. 4. §. 3. Alii cum Abbate docent sufficere, si sciant Personæ *sex. Ratio est:* quia si tota Communitas potest constitui Personis Decem, jam crimen cognitum à sex hominibus erit publicum. Alii cum Molina, Lugo apud La Croix Lib. 3. p. 2. n. 1229. dicunt: quod si Communitas constet vg Personis 20. tunc crimen ab aliquo commissum erit publicum, si illud sciant *septem. Si* constabit 100. erit publicum, si sciant 15. Et sic de cæteris.

Quo ad praxim consideret Confessarius, an moraliter poterat illud crimen occultari, notum à tot & tot Personis, attenta fragilitate ac loquacitate lingvæ humanæ.

15. *Quomodo practice interrogandus est Pænitens in Confessione, detrahens alteri Proximo?*

℟. Interrogandus est 1. An Detractio fuerit in materia gravi vel levi? 2. Si fuerit in materia gravi: an assertive dixerit vel solùm relative, nihil addendo; sed prout ab aliis audivit. 3. Quod si assertive dixerit: Interrogandus ulterius erit: An illa res detrahens famæ Proximi, sit vera vel falsa. Si vera, an occulta vel publica? 4. Si occulta fuerit: interrogetur: quoties deliberate id dixerit? 5. Tandem reflexione facta ac assignata pænitentia, injungat ei Confessarius restitutionem famæ Proximi, si nulla aderit causa excusans à restitutione inferius adducenda.

Modus vero quantùm ad praxim quô Confessarius admonere debet Detractores famæ Proximi, inter alios Spirituales, poterit esse & hic temporalis; inculcando eis, quod DEUS ex sua justitia, subministrabit etiam nostræ famæ Detractores; quia:

qua

quâ mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Sæpius enim mundani homines, non tam abhorrent æternas pænas, de quibus minus cogitant, quàm temporales. Alios autem modos, quibus Detrahentibus occurrendum est, adduxi superius n. 10.

Contumelia.

16. *Quid est Contumelia?*

℞. Est injuria, qua alicujus præsentis honor & existimatio palam violatur. Differt á Detractione, quia hæc tanquam furtum occultè & in absentia aufert honorem Proximi. Contumelia vero veluti rapina, palam & in faciem fieri solet.

17. *Quot modis Contumelia fieri solet?*

℞. Tribûs modîs: *Verbo, Scripto & Facto.* sub Contumelia verbo facta, Continetur: Convitium, Improperium, & Maledictum, de quibus infra. Contumelia scripto facta, vocatur in Jure: *Libellus famosus.* Ad Contumeliam vero, quæ facto fit, pertinet: Irrisio, & Subsannatio. Uti fit dum Vir honoratus verberatur, aut in carceribus includitur.

18. *Quale est peccatum Contumeliæ?*

℞. Ex genere suo est mortale. Ut docent communiter DD. & patet ex illis verbis Christi: Math 4. *Qui dixerit Fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ubi sub nomine *Fatue* juxta Cornelium à Lapide, intelliguntur verba Convitiorum, Calumniarum &c.

19. *Anne semper Calumnia est mortale peccatum?*

℞. Non semper, sed aliquando datur levitas, tum ex parte materiæ & voluntarii, tum etiam

ex parte Personæ cui infertur; imo etiam ex parte animi leviter nocendi Proximo. Nam in talibus semper plures circumstantias considerare necesse est. Verbum enim illud, quod Patrem aut Dominum sive honoratum graviter offendere aptū sit, respectu Filii, servi, pueri, aut plebeæ conditionis hominis, leve poterit esse.

20. *Quandonam Contumeliosis verbis uti possumus licite?*

℟. Juxta D. Thomam 2.2. q. 27. Art. 2. in his casibus. 1. Joci gratiâ & ad convenientem animi recreationem; sic enim & cum hoc animo, aliquos leves defectus objicere Proximo, vel aliud quodcunq; convitium cum hilaritate dicere, pertinet ad Eutropeliam; cum hac tamen cautela, ut non adsit periculum per similes jocos Proximum contristandi, vel ad iram commovendi. 2. Ratione justæ correctionis, admonitionis, & objurgationis, potest licite aliquod convitium dicere Parens Filio, Dominus servo, Magister Discipulo &c. dummodo moderate ad justam correctionem id fiat. Sic enim Christus Discipulos euntes in Emmaus vocavit *stultos & tardos corde*, Petrum *Sathanam* Math. 16. Paulus Galatas Cap. 3. vocat *Insensatos*. *Ratio hujus est*: quia sicuti causâ correctionis licitum est alium verberare virgîs, cur non verbis contumeliosis & rigidis? Peccant tamen graviter tam Domini quam Parentes & Superiores, si habeant alios correctionis salutares modos, & magis ex malitiosa consvetudine verbîs utantur Contumeliosis indiscrete, tam pro gravitate culpæ, quam etiam ex levissima causa; ut advertit & monet S. August. Lib. 2. de Sermon: Domini Cap. 30. Et tales sunt à Confessario graviter admonendi, nam per similia verba non possunt ædificare

dificare

ædificare sed destruere, & ad majorem malitiam inducere; ut patuit multîs experientiîs.

Convitium, Improperium, & Maledictum.

21. *Quid est Convitium?*

℟. Est injuria qua exprobratur Proximo defectus pœnæ vel naturæ, vocando eum vg. gibbosum, cæcum, vel stupidum aut truncum. Differt à contumelia, quia per hanc exprobratur defectus culpæ. Sæpius tamen confunduntur hæc duo ad invicem.

22. *Quid est Improperium?*

℟. Est injuria per quam exprobratur Proximo defectus minorationis, sive indigentiæ. Et tunc propriè fit: quando unus alteri injuriosè ad memoriam reducit auxilium, aut alia beneficia, quæ contulit ei tempore necessitatis ejus.

23. *Quid est Maledictum?*

℟. Est imprecatio mali pœnæ facta alicui; ut si vg. unus alteri imprecetur Diabolum, fulgura vel alia hujusmodi mala, quod peccatum est cōmunissimum in Polonia; solent enim impatientes homines non tantum maledicere Proximo, sed etiam jumentis.

24. *Quandonam hæc tria vitia sunt peccata mortalia?*

℟. Protunc, quando & deliberate fiunt, & cum intentione nocendi graviter Proximo.

In omnibus, his injuriosis verbis juxta doctrinam D. Thomæ loc. cit. superius, hanc Confessarius habeat Regulam, quandonam sint peccata mortalia, & quando levia. 1. Dignoscenda est

intentio

intentio Convitiantis, Improperantis, & Maledicentis, 2. An fuerint deliberate prolata verba, an vero ex subita passione, vel prava consvetudine? verba enim tantam habent malitiam principaliter, quanta est deliberatio, & animus sive Intentio. Nam si Petrus Improperiô offendit Paulum, non sperans neq; prævidens futurum esse læsum graviter, non erit ei grave imputandum peccatum, quale est voluntarium. In Consvetudinariis quo ad maledictionem magis reprehendenda est à Confessario prava consvetudo, quam ipsum peccatum. *Ratio est*: quia in his non præsumitur adesse deliberata voluntas, quæ præoccupatur consvetudine. Unde prius eradicanda est causa, scilicet ipsa consvetudo, & cessabit peccatum. Tales tamen à veniali vix aliquando excusantur. Quantum ad Maledictiones jumentorum, minor scrupulus habeatur, quam dum maledicitur Proximo, sive ex consvetudine, sive etiam deliberate.

Irrisio, Susurratio, ac Libellus Famosus.

25. *Qid est Irrisio?*

℟. Est contemptus alterius cum risu. Hæc autem Irrisio intendit erubescentiam seu confusionem derisi, per quod distingvitur ab aliis lingvæ vitiis.

26. *Quid est Subsannatio?*

℟ Est contemptus alterius expressus verbis cum gestibus derisoriis; & hæc sæpius includit irrisionem. Aliquando principaliter consistit in solis gestibus; ut vg. si quis demonstret alteri asininas aures nihil dicendo, designans per hoc asininum caput habere alium.

27.

27. *Quid est Susurratio?*

℟. Est peccatum lingvæ, dum quis occultè de Proximo male loquendo odium ac dissensionem animorum molitur. Finis Susurrationis est discordiarum inter amicos disseminatio. Susurratio ex genere suo, probabiliùs est gravior Detractione, quia includit odium fraternæ charitatis si cætera sint paria.

28. *Quid est, Libellus Famosus?*

℟. Est Scriptura quæ infamiam alterius continet, nondum publicatam, ut edatur & publica fiat. Huic Famoso Libello adjungitur etiam pictura famosa vg. dum quis alteri depingit ejus vitium aut defectus naturales vel naturalium.

29. *Quæ pæna à Jure statuta est, pro Authore Famosi Libelli?*

℟. De Jure Civili est pæna Capitis Lib. unic. Cap. *De Famosis Libellis.* De Jure vero Canonico est pæna perpetuæ infamiæ. Quæ pænæ extenduntur etiam ad illum, qui talem Libellum inveniens aliis manifestat & non comburit.

Ut autem sit reus quis talis pænæ, debet esse Libellus continens aliquod grave crimen, quod si infamatus commisisset, dignus esset morte. Ut notat Reiffenst. Est enim pæna talionis.

Judicium Temerarium, Suspicio, & Dubitatio.

30. *Quid est Judicium temerarium?*

℟. Est firma animi sententia sive assensus de alterius vita mala sine sufficientibus indiciis. Per quod differt à vero Judicio & non temerario.

31. *Quale est peccatum Judicium temerarium de Proximo?*

℞. In materia gravi deliberate conceptum, est ex genere suo mortale. Ut docet D. Thomas, Layman & alii. *Ratio est*: quia id repugnat graviter virtuti justitiæ; quilibet enim habet Jus ad bonam existimationem sui.

32. *Quæ conditiones requiruntur ad hoc, ut Judicium temerarium sit mortale peccatum?*

℞. Hæ sequentes quinquè. 1. Ut materia sit gravis. 2. Ut assensus circa illam materiam sit firmus & non debilis. 3. Ut idem assensus sit voluntarius deliberatus. 4. Ut motiva non sint tantum sufficientia ad habendum firmũ assensum. 5. Ut licet habeatur reflexio, quod hujusmodi motiva non sint sufficientia ad Judicium temerarium, tamen ex odio vel aliquo rancore judicet Proximũ.

Quod si una ex his conditonibus non habeatur, neq; judicans temerarie erit obnoxius peccati mortalis. Ut notat Molina.

In scrupulosis raro Judicium temerarium excedit veniale peccatum *Ratio est*: ex La Croix Lib. 3. p. 2. quia tales homines vix aliquando habent vera judicia, præsertim hîs omnibûs conditionibûs qualificata, quamvis se habere putent.

33. *An judicare Proximum ex indiciis sufficientibus, sit peccatum grave, in materia gravi?*

℞. Juxta Navar. Layman. Azorium & alios per se loquendo nullum est peccatum. *Ratio est*: quia in tali casu ubi sufficientia adsunt indicia malæ ac suspectæ vitæ, jam eo ipso Proximus amittit jus bonæ æstimationis sui ipsius. Tutiùs tamen semper est, suspendere animum à suspicionibus & judiciis circa peccata aliena, etiamsi adsint sufficientia indicia, ob periculum errandi. Tum quia homo videt ea quæ patent, DEUS autem intuetur cor, quod potest esse alienum ab operibus externis.

34. *Quid est Suspicio?*

℞. Est assensus debilis de vita Proximi, junctus cum dubitatione de opposito. Et hæc alia est suspicio *Levis* quæ valde debilem assensum, multum vero dubitationis continet. Alia *Gravis*, quæ habet plus assensûs quam dubitationis; & hæc aliter vocatur *Suspicio Vehemens*. Alia tandem est, *Suspicio Violenta*, quæ omnem dubitationem excludit, fidem vero integram & credulitatem ex conjecturis continet. Ut docet Navar. Layman & alii apud ipsum.

35 *Quale est peccatum de Proximo temerè malum suspicari?*

℞. Per se loquendo est solum peccatum veniale. Multo magis id judicandum est de Dubitatione. Ut docet D. Thomas cum aliis DD.

Dictum est *per se loquendo*, quia aliquando tam Suspicio, quàm Dubitatio, per accidens possunt esse mortalia, si nimirum ex sinistra Suspicione aliquis grave concipiat odium & contemptum Proximi, vg. impediendo ad dignitatem, aut in Electione denegando votum.

36. *Quid est Dubitatio de bona ac integra vita hominis?*

℞. Est Suspensio animi in neutram partem se se determinantis, ac veluti in ancipiti hærentis.

Falsum Testimonium, & Mendacium.

37. *Quid est Mendacium?*

℞. Est enuntiatio falsa cum conscientia oppositi & cum voluntate fallendi: Dixi *cum conscientia oppositi*, quia si quis falsum dicet eo, quia taliter ab aliis audivit, vel sic esse supposuit, pro tunc

non

non erit Mendacium sed error, quod bene notandum est.

38. *Quotuplex est Mendacium?*

℟. Triplex. 1. *Perniciosum* quod fit in damnum alterius. 2. *Jocosum* ob recreationem animi. 3. *Officiosum* ob utilitatem sui, vel aliorum, aut totius boni.

39. *Quale est peccatum Mendacium?*

℟ 1. Si sit Perniciosum, est ex genere suô mortale, & mendax hoc modo tenetur ad restitutionem damni ex tali Mendacio Proximo emergentis, sive illud mendàcium sit in Testimonio, sive in Consilio alteri dato malo & Mendacioso.

℟. II. Mendacium *Jocosum* & *Officiosum* sine ullo damno Proximi, regulariter est veniale peccatum; nisi aliam habeat annexam circumstantiam vg. lædendi graviter aliam virtutem à veritate distinctam. vg. ratione scandali. Sic juxta Fel. Potest. peccaret mortaliter Sacerdos, sacrîs vestibûs indutus, si mentiretur, ob scandalum, nam audiens posset exinde contemnere Sacerdotes, & viles habere.

40. *Quid est Falsum Testimonium?*

℟. Est annuntiatio falsa de vita aut moribus alterius; quod ex natura sua Mendacium includit, tanquam sibi necessario conjunctum.

41. *Quotuplex est Testimonium Falsum?*

℟. Duplex. *Unum affirmativum* per quod affirmatur id quod negari deberet. Alterum *Negativum* per quod negatur id quod affirmari deberet Ut si vg. Petrus dicat se non vidisse Paulum à Joanne Baptizatum fore, etiamsi viderit, faciet Testimonium Falsum negativum. Alter si dicet dupliciter alapam ei dedisse, etiamsi semel dederit, faciet Testimonium affirmativum Falsum.

Uterq; Testis peccat mortaliter, si suô Testimonio,

monió, sive affirmativó sive negativó falsô, gravem infert Proximo injuriam, & tenetur ad restitutionem damni, & maxime si à Judice interrogatus fuerit, Ut docet Sanchez Lib. 6. Consil. C. 5. Nam S. August dicit: *Falsidicus Testis tribus Personis est obnoxius. Primùm DEO, cujus præsentiam contemnit. Dinde Judici, quem mentiendo fallit. Postremo innocenti, quem falsô Testimoniô lædit. Uterq; reus est, & qui veritatem occultat, & qui dicit Mendacium, quia ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.*

42 *Quæ pæna falsis Testibus?*

℟ Antiquitús gravissime puniebantur, nunc vero pæna talionis afficiuntur, Ut ex Rodriq: refert Kerchove C. 5. §. 2. n. 95. Porro pæna *Talionis* est illa quæ debetur false acucsato; seu dicitur *Talionis* à tali pæna, qualis deberetur ipsi reo.

Ultra pænam *Talionis* adhuc hæc secunda pæna ex Jure imponitur Falsum Testimonium in Judicio dicenti, quod scilicet ab hinc nullam prorsus in Judicio fidem faciat, & tanquam suspectus à ferendo Testimonio repelli possit. Juxta Regul. 8. Juris in 6. *Semel malus semper præsumitur malus.*

43. Testimonium falsum duplex solet esse. Unum *Extra Judicium*, alterum *In Judicio*. Item cum Juramento, vel sine Juramento. Item Aliud *Spontaneum* in quo se Testis tanquam intrusus offert. Alterum *Compulsivum* per interrogationem Judicis, aut alterius Superioris. Hæ divisiones notandæ sunt, quia ordinarie magis peccat qui cum Juramento falsum Testimonium dicit, quam sine illo; duo enim committit peccata perjurii & falsi Testimonii. Item magis peccat Testis falsus intrusus, qui se sponte solus offert, quam compulsus.

Et

Et hæc de falso Testimonio quantum ad conscientiam sufficiant. Reliqua vero scitu necessaria de Testibus, relinquamus Juristis, quæ ad strepitum Juris & scientiam Judicii pertinent.

ARTICULUS X.
De Restitutione Famæ, & Honoris.

1. Bonum Famæ & Honoris, quia est Superioris Ordinis, quam Bonum fortunæ, hinc certum est apud omnes Doctores; quod sicuti auferens Proximo Bona fortunæ, tenetur ad Restitutionem, etiam auferens Bonum Famæ & Honoris, à fortiori tenetur ex justitia ad Restitutionem.

2. *Quomodo Restitutio fieri debeat ab eo, qui falsò crimen alteri imposuit coram aliis?*

℟. I. Talis tenetur retrahere verbum suum coram illis, quibus dixit, & ad quos infamia criminis pervenit, non obstante quod talis Restitutio sit cum graviori incommodo ipsius Detrahentis. Ita D. Thomas cum Scoto in 4. D. 15. q. 4. & aliis communiter. *Ratio est*; quia id exigit justitia in reddendo Proximo quod suum est, quæ aliàs non servaretur.

℟. II. Si potest Fama Proximi læsa sufficienter caveri, satis erit si Infamator dicat (coram illis, corā quibus falsū crimen Proximo imposuit) se fuisse deceptum, vel aliter rem se se intellexisse, aut similibus verbis.

3. *Quomodo Detractor Famæ alterius, revelando quidem crimen verum sed occultum, restituere tenetur?*

℟. Cum V: Scoto loc. cit. quod talis retractare

ſtare debet quidem ſua verba coram illis, quibus crimen occultum revelavit, non tamen his verbis dicendo: *Non credatis, quia ego compoſui, aut mentitus ſum.* *Ratio eſt:* quia ſic dicedo mentiretur. Porro in nullo caſu mendacium eſt licitum, quia eſt intrinsece malum, ſed alio licito modo retractare debet vg. ſub his verbis: *Non credatis eum eſſe talem, male enim dixi, vel fatue, aut quia erravi &c. Ratio eſt:* quia ſic dicendo non facit mendacium; omne enim dictum peccaminosū eſt error & malum quid.

4. *Ad quid tenetur alterum diffamans cum damno non tantum famæ, ſed etiam fortunæ?*

Ante Resp: *Nota:* Infamationem aliquando non tantum nocere Famæ & Honori Proximi, ſed etiam fortunæ: Ut ſi vg. Petrus diffamaret Paulum non eſſe Nobilem, ex quo ſequeretur quod Paulus non aſſequeretur Officium aliquid importans de bonis fortunæ, quod aliàs certò ac indubitanter poſſideret. Hoc adnotato.

℞. Si deliberate & ex proviso fiat talis diffamatio, in tali caſu diffamans non tantum tenetur Famam bonam reſtituere diffamato, ſed etiam damni illati compensationem facere. Ita Leſſius Lib, 2. Câp. 11. Dubit. 19. cum aliis. *Ratio* habetur ex ſupra dictis Art. 9.

5. *An obligatur ad Reſtitutionem Famæ & damni illati, qui inconſiderate ex ſola loquacitate alterum diffamavit cum damno?*

℞. Talis ſi poteſt compensare damnum indeliberate Proximo illatum ſine gravi ſuo incommodo, tenetur illud resarcire, ſi non ex juſtitia ſaltem ex Charitate; Ita Communis Sent. DD apud La Croix L. 3. p. 2. n. 1234. *Ratio* habetur à paritate: Nam ſi vg. Petrus ex oblivione Theo-

logice

logice inculpabili, reliquisset candelam accensam in domo Pauli, per quam secutum foret incendium, teneretur Petrus si non in toto saltem in parte ad resarciendum damnum Paulo illatum, si commode poterit.

Additum est notanter. *Si absq; gravi suo incommodo possit.* Quia per hoc distingvitur deliberate ac ex intentione lædens Famam Proximi cum damno Fortunæ, quod teneatur etiam cum gravi suo incommodo resarcire damnum illatum, qui vero sine plena advertentia detraheret alteri, non tenetur cum suo gravi incommodo compensare damna illata per suam loquacitatem

6. *Quomodo restituendus est Honor per contumeliam & alia lingvæ vitia injuste ablatus?*

℟. Hîs duobûs modîs. 1. Per externam aliquam obsequii exhibitionem & declarationem, absquè ulla expressa petitione veniæ. 2. Per condonationem inhonorati sive læsi quæ potest fieri dupliciter: Aut enim condonatio fit sponte, aut prævia humili petitione veniæ, ab ipso calumniatore facta offenso.. Ita Mastr: cum aliis apud ipsum cit.

7. Id tamen notandum, quod si par inferat Calumniam pari suo proximo, si aliter non poterit primô modô restituere honorem, tenetur humiliter ab illo petere veniam. Si vero Superior suum subditum afficiat contumeliâ, indecens est, ut ab illo veniam petat. ne frangatur regendi authoritas. sed sufficit si benigne eum tractet, & signis ac factis ostendat se illum non despicere.

8. Porro hoc observandum, quod si alio modo quam per veniæ petitionem, honor restitui potest, nemo ad veniam petendam cogendus est: sed ad illum modum, qui est in consvetudine & à prudentibus sufficiens judicatur, recurrendum erit.

Ut

Ut docet Mastrius cum aliis communiter.

9. *Quæ Conditiones requirantur ad hoc ut Fama per detractionem læsa, sit restituenda?*

℞. Has tres sequentes requiri. 1. Ut Fama Proximo sit re ipsa ablata. 2. Ut sit injuste ablata. 3. Ut eadem Fama possit denuo obtineri, & non fuerit jam aliunde recuperata. Quod si aliqua ex his conditionibus deficiat, cessat obligatio Restitutionis Ut docet Reiffenst. Tract 9 D. 6. q.5.

10. *Quæ sunt Causæ excusantes à Restitutione Famæ & Honoris?*

℞. Varias & multas solent assignare Doctores, ut videre est, apud Card. de Lugo, Mastrium & Lessium Lib. 2 Cap. 11. Dubit. 26. Ex quibus Principales scitu sunt necessariæ, quæ sunt 15.

11. 1*ma*. Causa excusans à Restitutione Famæ est: *Si* ex oblocutione datrahentis, nulla fuit secuta infamia. Vel quia nullius erat fidei. Vel quia audientes, jam aliunde sciverunt.

12. 2*da*: Causa est: Si id quod contra bonam Famam alterius, aliquis locutus fuerat, jam in oblivionem prudenter abjisse existimatur. *Ratio est*: quia in tali casu si teneretur ad Restitutionem Detrahens, in memoriam iterum revocaret crimen.

13. 3*tia*. Causa est: Si Fama ablata jam fuit recuperata per aliam viam. Id autem fieri potest, vel Virorum gravium testimoniô contrariô detractioni, vel vitæ probitate ipsius infamati.

14. 4*ta*. Causa est: Si crimen occultum, quod aliquis illicitô modô aliis revelavit, fiat aliunde publicum.

15. 5*ta*. Causa est: Si Famæ Restitutio fiat impossibilis; vel quia amplius non credent ei, qui attentaret Restitutionem, vel ex alio capite. *Ratio est*: quia ad impossibilia nemo obligatur.

16.

16. 6ta. Causa est: Si Restitutio non posset fieri sine periculo vitæ. *Ratio est*: quia nemo tenetur restituere bona inferioris Ordinis, cum detrimento Superioris Ordinis bonorum. Porro bonum vitæ est Superioris Ordinis, quam bonum Famæ.

Hoc tamen intelligendum non est, quando Proximo læso per infamiam, æquale damnum sequeretur vg. amissio vitæ ex desperatione, vel majus ac Superioris Ordinis aliquod Spirituale, tunc adesset obligatio restituendi Famam etiam cum periculo vitæ.

17. 7ma. Causa est: Si non possit fieri Restitutio sine amissione Famæ, quæ sit longe majoris momenti; Ut si Prælatus aut alius Vir illustris infamaret plebejum, talis non teneretur cum jactura sui Nominis revocare dicta, sed sufficit, si ipsum laudet in eodem genere virtutis, ubi illum sic diffamavit.

18. 8va. Causa est: Justa condonatio læsi, sed in tali casu dum hæc infamia in solum illum redundat, qui sponte condonat suam injuriam, & non etiam in alios. *Ratio est*: quia quilibet homo est Dominus propriæ Famæ & Honoris.

19. 9na. Causa est: Justa compensatio, ut si ab eo quem infamasti, parî modô sis infamatus.

20, 10ma. Causa est: Si quis bona fide putans esse verum alterius crimen & publicum, narravit illud coram nescientibus. Tunc ex Charitate tenetur quidem restituere, sed protunc quandò poterit sine gravi suo incommodo. Ut supra n. 5. dictum est.

21. 11. Causa est: Quando ex tali Restitutione imminet periculum peccati mortalis vel gravis scandali aliorum: Hic tamen casus vix aliquando potest habere locum.

22. 12. Causa est; Quando is qui alterum infamavit, facit id propter bonum ejus spirituale, ut vg. dum peccatum ejus retulit Prælato. Sed neque hic potest dici proprie diffamasse.

23. 13. Causa est: Quando id quod dixerat Infamans, erat indifferens, & poterat tam in bonam, quàm in malam partem accipi, sed qui audierunt, interpretati sunt in malam partem. *Ratio est*: quia id ex malitia audientium contigit.

24. 14. Causa est: Quando quis solum narravit audita, & dixit se audivisse talia, nihil addendo ex quo faceret credulitatem. *Ratio est*: quia talibus dictis raro creditur.

25. 15. Causa est: Quando quis narrat ita crimen alterius, ut simul etiam narret & pænitentiam quã egit. Hæc tamen causa protunc excusat à Restitutione, quando talis narratio Gloriam DEI concernit, non vero animô facta malô: sic trina Petri negatio narrari solet.

26. 16. Causa est: quando quis alterum infamat, in occasione tantum remota & per accidens. Ut dum quis jocans cum altero, crimen illi objiciat, quod putat non esse ab ipso commissum.

ARTICULUS XI.
De Nono & Decimo Præcepto Decalogi.

1. *Quod est Nonum & Decimum Præceptum Decalogi?*

℟. Juxta illud Exod. 20. *Non concupisces Uxorem Proximi tui.* Decimum vero: *Non Domum, non agrum, non servum, non ancillam, non asinum, & universa quæ illius sunt.*

2. *Quænam his duobus Præceptis prohibentur?*

℞. *S*pecialiter prohibentur peccata cordis & prava desideria. In illis enim Octo Præceptis præcipiuntur & prohibentur peccata externa & operis sive facti. Hîs vero duobûs ultimîs, tanquam complemento aliorum Præceptorum, prohibentur etiam peccata voluntatis desideriô elicita. In sexto enim & septimo Decalogi Præcepto, prohibetur furtum & violatio thori alieni; in his vero prohibetur etiam rei alienæ desiderium & prava concupiscentia.

3. Merito autem & singulari DEI Providentia hæc duo Præcepta addita sunt; quia aliàs carnalis illé Judaicus Populus ac duræ cervicis Filii putarent se esse obligatos ad sola opera externa exercenda vel omittenda, non vero ad internas cogitationes & desideria.

4. *Ob quem finem hæc prava desideria prohibeantur, cũ nulli Proximò noceant, sicuti consummatum adulterium & furtum?*

℞. Probabiliùs prohibentur tanquam causa proxima & immediata inferendæ Proximo injuriæ: nam prius homo ordinariè concupiscit Uxorem alterius, aut rem aliquam ejus, & ab hac tanquã à causa procedit reale & consummatũ adulterium & furtum, vel alia damnificatio Proximi. Juxta illud Christi Math. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, falsa testimonia, & hæc coinquinant hominem.*

5. *An hoc duplici Præcepto prohibetur illa concupiscentia, quæ in nobis ex peccato originali est residua?*

℞. Negativè. *Ratio est:* quia hujusmodi concupiscentia, quæ vocatur communiter *Fomes peccati* est involuntaria nobis, adeoquè frustra prohiberetur.

6. *Quandonam motus concupiscentiæ sunt in nobis peccatum?*

℞. Cum communi Catholicorum protunc, quando accedit consensus voluntatis. *Ratio est:* quia non est peccatum nisi voluntarium.

7. *Quandonam est Concupiscentia peccatum mortale, & quando veniale?*

℞. Tunc est mortale, quando consensus voluntarius erit perfectus, & deliberatus, & materia circa quam versetur erit gravis. E contra erit veniale, si consensus fuerit imperfectus, & non plene deliberatus, circa materiam levem. Ut dum quis vellet alteri furari unum obolum.

8. *Quidnam specialiter prohibetur nono Præcepto Decalogi?*

℞. Prohibetur delectatio morosa, atquè illicitum desiderium in materia Venerea. De his peccatis & præsertim de delectatione Venerea jam supra Art. 5. n. 100. aliqua tetigi & inferius plura dicam.

9. *An peccet etiam contra hoc Præceptum ille, qui cupit deliberate amari libidinose ab aliis?*

℞. Juxta Navar. Cap. 19. Manual. num. 1. Peccat & quidem mortaliter, qui deliberate cupit & gaudet amari amore libidinoso mortali ab alia Persona, quamvis ipse non sic amet. *Ratio est:* quia talis consentit peccato mortali proprio vel alieno.

10. Multò magis peccant Mulieres, quæ ornant venustè facies suas cum intentione prava, ut amentur à Viris, qui non sunt earum Mariti: Et consultò se offerunt conversationi cum illis, non obstante quod ipsæ non sint expositæ ad redamandum libidinose. *Ratio est:* quia sic sunt tentationes & in ruinam multorum. Quod etiam & de

Viris idem judicandum est.

11. Similiter peccant tam Viri, quàm Mulieres, quæ adornando faciem suam multum sibi complacent, etiamsi id non faciant in scandalum alterius sexûs. *Ratio est:* quia complacere in sua venustate sine relatione ad DEUM, est illam sibi appropriare.

12 *Quinam peccant contra Decimum Præceptū Decalogi?*

℟. Peccant *1mo.* Illi, qui nimia aviditate divitias expetunt, & modîs pravîs ac artibûs illicitîs opes augere concupiscunt. *2do.* Illi, qui ludîs imoderatè abutuntur. *3tio.* Illi Mercatores, qui ut merces suas vg. frumentum cariùs vendant, rerum penuriam, & crescentiæ sterilitatem appetunt. *4to.* Milites, qui bellum desiderant, ut habeant facultatem furandi. *5to.* Principaliter omnes illi peccant contra hoc Decimum Præceptū; qui rem alienam pretiô æstimabilem concupiscunt. Ut patet ex terminis ipsius *Præcepti.*

13. *Quidnam sit Delectatio generaliter, & quotuplex?*

℟. Jam responsum est Art. 5. n. 100. hujus Sectionis; ibi videri potest: pag. 664.

14. *Quid est Desiderium illicitum?*

℟. Est motus & actus efficax voluntatis, quò appetit & fertur in objectum prohibitum, Seu clarius: est ille actus, quô voluntas vult ac desiderat actum peccaminosum externum ipso opere perpetrare, si adesset facultas. Per quidnam differat desiderium à delectatione morosa? dictum est supra Art. 5. n. 100.

15. *Notet* I. Confessarius, quod sæpius Pænitentes ignorant, utrum habuerint desiderium illicitum Venereum. Adeoquè interrogandi sunt, an habuerint

buerint voluntatem ita expositam, ut si hoc posset commodè deduci ad actum; facerem libenter. Sicuti solent habere tale desiderium Virgines & aliæ Mulieres, timendo solam actus propalationem Venerei, per futuram generationem.

16. *Notet* etiam II. Confessarius, quod in Pænitentibus de concupiscentiis carnis, se ipsos accusantibus, necesse est distingvere. An habuerint delectationem sine consensu, & indeliberatam sive prætereuntem; an cum Consensu; si cum consensu, an fuerit desiderium opere implendi id quod per delectationem objiciebatur voluntati? Sic enim gradatim solet fieri peccatum carnale, usq; ad opus completum.

17. *Qualenam sit peccatum delectatio Venerea & Desiderium illicitum?*

℞. Esse peccatum mortale *Ratio* habetur ex verbis Christi Math. 5. dicentis: *Qui vidit Mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est in corde suo.*

18. *An in delectatione Venerea deliberata, detur parvitas materiæ, ut excusetur à mortali peccato?*

℞. Non datur. Ita communiter Castropal. Diana & alii. Et opposita sententia docens dari in deliberata delectatione Venerea parvitatem materiæ, damnata est à Clemente VIII. in Officio S. Inquisit.

19. *An plene advertens in se cogitationes Venereas, cum delectatione sensuali, peccet mortaliter, si illis neq; consentiat, neq; positive resistat?*

℞. In hac difficultate tres esse sententias. *Prima* Affirmat talem peccare mortaliter, etiamsi certò sciat aut credat se non consensurum. *Ratio est:* Triplex. 1. Quia aliàs si hoc licitum foret, sequeretur

queretur quod aliquis posset sine mortali in magna delectatione perseverare. 2. Quia tales motus, ex natura sua ad pollutionem disponunt. 3. Quia qui tales motus permittit, jam interpretative illos vult. Ita Bonac. Riccared. Valent. & alii apud Vericelli Tract. 4. q. 17. n. 1.

Secunda Sententia negat peccare talem mortaliter, sed solum venialiter, si non advertat proximum periculum consensûs. Ita Cajet. Dian. Medin. Corduba & alii, quam sententiam vocat Communem *S*anchez Lib. 1. C. 2. n. 13.

Tertia Sententia docet: eum non peccare mortaliter, si saltem aliquam displicentiam habeat, licet omnino delectationem Veneream non reprimat, nec ejus causam removeat, dummodo certus sit se non consensurum. Ita plures DD. cum Sanch. loc. cit.

20. Id autem pro praxi Confessarius certum habeat, quod semper talis peccet mortaliter, quoties adsit & advertat periculum proximum consensûs aut pollutionis, etiamsi credat se non consensurum in delectationem Veneream & pollutionem.

21. *Quomodò dignoscendum sit, quod in talibus cogitationibus immundis urgeat periculum proximum consensûs aut pollutionis?*

℟. Ex his præsertim duobus signis. 1. Signũ est experientia, qua quis in simili commotione & delectatione positus, expertus est sæpe sæpiús consensisse, aut pollutionem secutam esse. 2. Signum est: Si commotio & delectatio sit gravissima, ac ita vehemens, ut ex prudenti judicio facile adverti posset taliter motibûs concupiscentiæ occupatc, proximam sequi pollutionem.

22. *Quomodo cognoscendum est Confessario an Pæni-*

Pænitens in cogitationibus Venereis consensum habuerit vel non, qui positive non restitit, neq; scit determinate se consensisse vel non?

℞. Juxta Vericelli ex his 4. signis. 1. Considerandа est Personæ qualitas, an sit timoratæ vel laxæ conscientiæ. 2. Qualitas delectationis Venereæ. An fuerit gravis vel levis, brevis vel diuturna? 3. Causa sive occasio talis delectationis, an deliberata vel non, vg. ex lectione vel auditione Confessionum. 4. An aliquam displicentiam habuerit vel nullam.

22. *An peccatum Luxuriæ cogitationis pertineat ad eandem speciem, ad quam peccaum operis?*

℞. Affirmativè cum Lessio Lib. 4. de Jur. & Just n. 122. *Ratio est*: quia in consensu delectationis est tacita approbatio operis. Præsertim si diversô modo tendunt. Ut infra num. sequenti dicetur.

24. *An si opus Luxuriæ habeat specialem malitiam mutantem speciem, etiam cogitatio Venerea illam contineat?*

Antequam Resp. *Nota* quod aliqua peccata Luxuriæ, habent in se plures malitias; ut vg. peccare cum Virgine DEO consecrata. Quæritur, utrum & cogitatio (de eadem Persona) Venerea, hanc speciem contrahat. Hoc prænotato.

℞. I. Quod si quis delectet se circa Personam DEO consecratam vel conjugatam &c. non quatenus talis est, sed quatenus pulchra est, absq; desiderio opus exercendi cum illa, talis committit unum peccatum mortale internæ delectationis morosæ, contra virtutem castitatis. Ita Layman Lessius & alii plures, Contradicentibûs nonnullîs.

℞. II. Si quis vero desideret peccare carnaliter

liter cum Muliere vg. Maritata vel DEO consecrata quam ſcit eſſe talem, committit peccatum habens ultra ſimplicis fornicationis malitiam, adulterii aut Sacrilegii ſpeciem. *Ratio* Disparitatis eſt: quia deſiderium illicitum tendit in ipsam actionem externam, deſiderando illam perficere ſi poſſet, hinc eandem cum ipsa actione externa cõtrahit malitiam. Delectatio vero morosa conſiſtit in ſola complacentia carnali objecti quæ complacentia ſi abſtrahat à ratione Personæ Maritatæ vel DEO consecratæ; eſt ejusdem rationis in omni fornicatione ut fornicatio eſt.

25. *An peccet mortaliter qui habet de objecto turpi cogitationem ſpeculativam non vero practicam?*

Ante Resp. *Nota* ex La Croix Lib. 3. p. 1. n. 896. quod cogitatio de objecto turpi poteſt eſſe duplex *Speculativa & Practica.* 1. Tunc habetur, quando Cogitans cognoscit quidem delectabilitatẽ talis objecti, non tamen appetitus ejus movetur ad amandam hanc delectabilitatem. 2. Vero è contra tunc habetur, quando Cogitans ex cognitione delectabilitatis circa objectum turpe, ſentit appetitum ſuum ferri in illud objectum amandum, ac ſibi in illo intentionabiliter præsenti complacet.

℞. Si habeatur ſola cogitatio ſpeculativa de objecto turpi, nequè protunc dici poteſt adeſſe delectationem morosam, nequè grave peccatum. Ita La Croix loc. cit. Et patet de aliquo legente casus in materia Luxuriæ, aut audiente Confeſſionem, in quo etiamſi exinde exurgat carnalis cogitatio, non propterea peccabit graviter, ſi voluntas ejus non movebitur ad amandum illud cogitationis objectum, neq; consentiat ad id.

26. *Quid judicandum, ſi ex auditione Confeſſionis*

onis vel cogitatione speculativa casûs in materia libidinosa, exurgat in appetitu sensitivo, amor seu delectatio carnalis?

℞. Si id fiat contra propriam voluntatem, neque erit delectatio morosa, neq; grave peccatum. Ita La Croix loc. cit. *Ratio est* quia ut delectatio sit graviter peccaminosa, debet deliberate esse elicita ab ipsa voluntate, & non tantum ab appetitu sensitivo. Habent tamen tales, quod sibi juste timeant etiam de cogitatione pure speculativa, ne fiat practica; quod enim est in principio præter aut contra propriam voluntatem, id in secundo instanti poterit incaute & furtivè fieri placitum voluntati pro hoc statu volubili & inconstanti.

27. *An peccet mortaliter, qui secum ipso cogitat, aut coram aliis hæc aut similia verba dicit: vellem cum hac vel illa Puella fornicationem committere, si non foret grave peccatum?*

℞. Talem peccare mortaliter. Ita Sporer. La Croix Lib. 5. n. 87 *Ratio est*: quia in tali adest delectabilitas objecti Venerei & complacentia morosa respectu objecti carnalis. Quod si per tales locutiones aut cogitationes non affectus voluntatis actualis, sed potiùs propensio habitualis in delectationem significetur, nisi offensa DEI ab ipsa actuali delectatione detereret, tunc non erit peccatum. *Ratio est*: quia protunc sola propensio in peccatum denotaretur, quatenus per timorem offensæ DEI reprimitur. Ut bene advertit Sporer Tract. in Decal. Cap. 6. Sect. 3. n 20.

28. *Quomodo peccat ille, qui vg. cogitat sibi, quod si non fuissem Religiosus, aut uxoratus, haberē rem cum hac vel illa Puella?*

℞. I. Si cogitat præscindendo à modo licito &

& illicito, quo vellet habere rem cum Puella, videtur peccare mortaliter. *Ratio est*: quia talis haberet voluntatem actualem, male dispositam ad copulam sibi pro illo statu illicitam. Semper enim habere velle rem cum alia (præter Uxorem) Persona, est mortale.

℟. II. Si vero intra se cogitaret de copula volita cum illa Puella modo licito; vg. dicendo intra se, quod accepisset sibi illam in Uxorem, non peccaret mortaliter. *Ratio est*: quia talis per conditionem annexam: *Si fuissem liber non Religiosus, aut maritatus*; Constitueretur in illo statu, in quo licitum est velle copulam modo licito, aliàs contrahens Matrimonium, quia cum hac voluntate accedit ad sponsalia, peccaret mortaliter.

Hoc tamen intelligi debet protunc, quando simplex voluntas foret absq̃, delectatione Venerea morosa, quæ excitaret Spiritus genitales ad pollutionem; quia si sic quis cogitaret, peccaret mortaliter. Ut supra dictum est de delectatione morosa.

29. *An peccent mortaliter si vidua de præterita copula & Sponsi de futura deliberate cogitantes habeant exinde complacentiam?*

℟. Affirmativè. *Ratio est*: quia cui non est licita copula; eidem neque est licita complacentia cum deliberata recogitatione; tam autem Sponsis quam viduis non est licita copula, quamdiu sunt in hoc statu. Videatur Sporer loc. cit. supra, ubi de istis satis fusè discurrit. Non deest tamen in contrarium firma ratio. Nam cui licitum est complacere in medio; illi videtur licitum fore complacere & in fine talis medii. Porro Sponsalia & Matrimonium, sunt media ad copulam Maritalem, in quibus complacere est licitum.

Solùm

Solùm igitur meo videri in talibus circumstantiis, est illicita & mortaliter peccaminosa complacentia, ratione pollutionis securæ, ad quam commovendo Spiritus genitales disponeret proximè.

30. *An debeant exprimi in Confessione motus carnales, si ex delectatione morosa aut desiderio sequantur?*

℟. Si ex illis non sequatur pollutionis periculum, aut ipsa pollutio, non debent necessario exprimi. Ita Card. Lugo La Croix Lib. 6. p. 9. n. 1028. *Ratio est*: quia tales motus ordinariè solent comitari delectationem morosam maxime deliberatam, adeoquè sufficienter explicantur, si exprimatur ipsa delectatio deliberata.

31. *An tenetur Pænitens exprimere tempus quādiu duravit delectatio deliberata?*

℟. Licet melius sit, ut exprimatur duratio talis delectationis, ad habendum plenum judicium Confessarii, non tamen requiritur omninò ac necessariò. *Ratio est*: quia ut dictum est supra in 1. Parte Art. de Peccatis; circumstantiæ non mutantes speciem peccati, sed solùm aggravantes, non sunt necessariò in Confessione exprimendæ; porro tempus durationis ipsius delectationis, est solùm circumstantia aggravans, non vero mutans speciem.

SECTIO IV.

De Præceptis Ecclesiæ.

ARTICULUS I.

De Primo & Secundo Præcepto Ecclesiæ.

Quænam sint Præcepta Ecclesiæ?

℟. Sunt quidem plura, particulares hominum sta-

ſtatus concernentia, quæ reperiuntur diſperſim in Sacris Canonibus. Illa vero de quibus in præsenti Sectione ſermo eſt, communiter quinquè numerantur, quæ ſunt generalia, omnibus Chriſtianis ſcitu neceſſaria. Et talia ſunt ſequentia.

I. *Statutos Eccleſiæ dies celebrato.*

II. *Sacrum Miſſæ Officium diebûs Feſtis reverenter audito.*

III. *Jejunia certis diebûs temporibûſq; indicta ſervato.*

IV. *Peccata tua Sacerdoti proprio annis ſingulis confitetor.*

V. *Sacroſanctam Euchariſtiam ad minimum ſemel in anno, idq; circa Feſtum Paſchæ ſumito.*

2. *Qualenam ſit primum Præceptum Eccleſiæ?*

℞. Præceptum de celebratione Feſtorum partim eſt *Affirmativum*, partim *Negativum*. Quatenus enim eſt *Affirmativum*, præcipit devotam Miſſæ auditionem diebus feſtivis. Quatenus vero eſt *Negativum* præcipit abſtinentiam ab operibus ſervilibûs Feſtivîs.

Primum Præceptum Eccleſiæ.

3. *Quo tempore dies Feſtus incipit?*

Antequam Resp. Ratio dubitandi eſt: quia in Jure Can. *de Feriis*. Cap. 1. ſtatuitur, ut dies Feſti incipiant à Vesperis præcedentis diei, & durent ad Vesperas diei ſequentis, eo fere modo, quô apud Judæos dies Sabbathi incipit, ita ut poſt Cœnam Sabbathi, licitum ſit Judæis laborare tota hæbdomada, usquè iterum ad Vesperas Feriæ ſextæ ſequentis. Sic & apud nos Dies Feſtus Dominicæ, Juxta Cit. Jus Can. incipere debet, à Vesperis diei

diei Sabbathi, & finiri post Vesperas diei Dominicæ; ex quo ulterius sequitur, quod die Dominica post Vesperas laborare non videtur violatio Festi.

℟. Quamvis ita statutum sit à Cit. Jure Can. tamen quo ad opera servilia, standum est rationabili & antiquæ locorum consvetudini. Prout habetur in Cap. *Quoniam de Feriis*. Unde ex usu Romanæ Ecclesiæ, qui per totam planæ Europam invaluit, solent incipere Festa à media nocte diei vg. Sabbathi, & terminari media nocte sequenti. Quòdsi alicubi sit alia consvetudo, hæc recte observanda erit. Juxta primum modum: ut advertit Reiffenst. tract. 10. D. 1. q. 1. n. 4.

4. *Quænam opera prohibita sunt diebus Festis, & quotuplicia sint opera laboriosa?* dictum est superius in præcedenti Sect. Art. II. pag. 590. ad quem locum remitto Lectorem. Hic aliqua nonnisi superaddo:

5. *An nos Catholici ita simus stricte obligati, ad servanda Festa, sicuti in antiqua Ecclesia Judæi?*

℟. Negativè. *Ratio est:* quia lex gratiæ non est ita fundata in actibus externis, sicuti lex antiqua; sed magis in Spiritualibus & internis, adeoq; non ita strictè obligat diebûs Festîs ad abstinentiam ab operibus externis, sicuti obligat lex antiqua. Quæ ratio unica sufficiet, etiam si aliàs omitto.

6. *Quæ causæ excusant homines diebûs Festis opera laboriosa & servilia exercentes?*

℟. Sunt quidem plures causæ particulares, hæ tamen omnes ad duas generales reduci possunt, 1. Causa est, *Necessitas* 2. *Pietas*. Hæ enim duæ Causæ exprimuntur in Jure Can. Cap. ultimo *de Feriis* ubi dum prohibentur diebus Festis opera illicita,

licita, adduntur expresse hæc verba: *Nisi necessitas urgeat, & Pietas svadeat. Ratio est*: quia ut dicitur communiter: Necessitas frangit legem; Pietas vero svadet frangere.

7. *Quandonam licitum est laborare die Festo, ratione Necessitatis?*

℟. In his & similibus casibus. 1. Dum imminet notabile damnum animæ aut corporis proprii vel alieni. Vel bonorum temporalium sui vel Proximi. Ita Reinaldus. Navar. & alii. Et hic primus casus est generalis. Quantum ad particulares descendendo. 2. Laborantes in Festo excusat necessitas imminens propriæ conservationis vel sustentationis suæ vitæ aut familiæ. Sic excusantur pauperes qui nisi die Festo laborent, nequeunt se sustentare. 3. Excusat etiam necessitas ac imminens damnum fortunæ. Sic coquentes calcem; excusantur si die Festo non interrumpant laborem. Agricolæ etiam tempore messis congregantes, ne segetes destruantur ob pluviam. Ut autem evitetur scandalum, consultiùs facient si petent licentiam & dispensationem Parochi, prout ei videbitur expedire juxta imminentem necessitatem. Ut notat Reiffenst. loc. cit. 4 Item excusantur Sartores in multis casibus, perficientes sive finientes vestes die Festo peremptorie necessarias ad hoc tempus vg. vel quia sunt Sponsæ proxime nuptias celebrantis; vel quia sunt lugubres ad sepulturam hic & nunc imminentem: vel tandem quia sperant futuras graves reprehensiones aut injurias, ex eo, quia non perfecerant vestes ante Festum. Quod etiam à pari intelligendum est de ancillis Dominarum, quæ circa ornamenta Dominæ suæ aliquid de mane finiunt, assuendo &c: timentes reprehensionem exinde gravem. Ita Bassæus Versu: *Festum:*

5.

5. A fortiori excusantur, illi qui die Festo laborant propter commune bonum. Uti sunt reparantes pontes, milites jacientes aggeres &c: 6. Excusat necessitas Proximi; sic licitum est laborare extingvendo vg. incendium suum vel alterius. Aut curando infirmum: &c:

Qantum vero ad tonsuram die Festo & nundinas, licet ab his abstinere sit laudabile; si tamen consvetudo contraria ab annis 40. invaluit, standũ est illi. *Ratio est*: quia ut docetur de Legibus, talis consvetudo vim legis incipit habere, & lex ei contraria abrogatur. Tum quia tam Chirurgus, quam Mercator haberet exinde damnum fortunæ, si contra consvetudinem abstineret ab his operibus. Ut de se patet.

8. *Quandonam licitum est laborare die Festo ratione Pietatis?*

℞. Protunc quando opera servilia, quæ die Festo exercentur, proxime ad DEI cultum pertinent. Ut docent communiter DD. *Ratio est*: quia abstinentia ab operibus servilibus die Festo est ab Ecclesia instituta propter hunc finem, ut cultus Divinus promoveretur. Porro per illa opera quæ fiunt ratione Pietatis, augetur non vero diminuitur cultus Divinus.

9. *Quæ opera & in quibus casibus in particulari exerceri possunt die Festo, ratione Pietatis?*

℞. Hæc sequentia. 1. Opera misericordiæ erga pauperes. 2. Licitum est altaria candelabrîs imaginibûs ac aliis apparamentis ornare, hæc enim proxime pertinent ad cultum DEI. 3. Juxta Sporer. & La Croix licitum est, etiam die Festo, aut die Dominicà erigere Sepulchrum Christi, aut præsepe Domini, & alia similia ad DEI cultum proxime spectantia, quæ sine operibus servilibus fieri non

possunt

possunt. Si tamen alio die non festivo hæc & similia commodè fieri potuissent, peccant venialiter die Festo facientes. Ut notant Citati Doctores.

10. *An liceat die Festo molere frumentum, quandò molendinum agitatur aquâ vel ventô?*

R. Affirmative cum Bassæo loc. cit. Bonac. Rodriq. & aliis. *Ratio est*: quia in tali molendino modicus labor intervenit. *Si* tamen nulla adsit necessitas molendi die Festo, & molitores multum temporis in hoc negotio consumant, non excusabuntur à mortali ob scandalum & servilem laborem intervenientem. Ut notat Bonacina. Porro necessitas potest esse & hæc excusans à mortali, si nimirum diebûs feriatis non possit in molendino satisfieri populi concursui. Melius tamen foret ut Parochi saltem de mane usq; ad meridiem abstinere Christianos jubeant, ut satisfaciant molitores Præcepto Ecclesiæ de audienda Missa. Hoc enim modico tempore potuissent commode Judæi vulgo Arendatarii aut eorum famuli Hebræi molendinum custodire.

11. *Quæ causa adhuc generalis est, excusans opera servilia die Festo à mortali?*

R. Ultra necessitatem & pietatem excusat *Legitima Consvetudo.* Sive illa sit generalis pro tota Patria aut Regno, sive specialis in aliqua Provincia, Palatinatu vel districtu, quæ toleratur à Prælatis Ecclesiasticis. Sic: 1. In pluribus locis die Festo solent aliqui pinsere Panem. Cerevisarii à Vesperis diei Festi incipere braxaturam cerevisiæ aut cremati. 2. Ratione ejusdem legitimæ consvetudinis, solent diebûs Festivîs fieri præparatoria ad futurum Convivium, vg. Boves & alia animalia occidi, excoriari & deplumari aves. Ut notat Castropal. t. q. p. 10. n. 3. Excusantur etiam ratione consve-

tudinis

tudinis à mortali, rustici, qui tempore messis ad vesperas diei Festi acuunt falcem, & præparant materiam pro labore sequentis diei, necessariam. Ita La Croix Lib. 3. p. 1. n. 485.

12. *Quid judicandum de secatione lignorum ad culinam die Festo?*

℟. I. In hoc opere totaliter servili non mihi videtur famulari consvetudo. Unde si nulla adest necessitas, & potuissent commode hæc præparari ante diem Festum, peccant mortaliter Domini sic disponentes. *Ratio est*: quia si hoc opus licitum foret, nullum Festum quietè posset celebrari.

℟. II. Probabilius est, quod etiam in hoc labore, secationis lignorum excusat à mortali consvetudo, licet à veniali non mihi videtur excusare. Maxime si die Dominica id fiat. *Ratio* 1. part: *est*: quia inveterata consvetudo, cui non contradicitur vim Legis planè habet. Ut docetur in Tract. *De Legibus*.

13. *Quonam die Festo majus peccatum est laborare ex consvetudine, Die Dominica, an aliis?*

℟. Die Dominica. *Ratio est*: quia Festivitas Dominicæ sive diei septimi in hebdomada est Juris Divini, adeoquè contra illam Legem Divinam minorem vim habet consvetudo. Cæterum aliæ Festivitates sunt præcisè de lege Ecclesiastica, hinc si contraria consvetudo toleratur ab Ecclesiæ Prælatis, jam hoc ipso tacitè dispensantur laborantes

14. *Quid considerandum sit Confessario in praxi, quo ad Pænitentes passim laborantes diebûs festivis?*

℟. Interrogandi sunt, an similes labores soleant fieri passim ab aliis Viris communiter etiam conscientiosis? quod si sic. Non erunt arguendi alicujus gravis peccati. Hoc tamen non obstante,

arguendi ſunt à Confeſſario & adducendi in emendationem, ne in poſterum majores licentias ſibi concedant.

15. *Nota:* quod Benedictus XIV. attento labore communis plebis & pluviarum tempore meſſis in Regno Poloniæ; conceſſit Episcopo Vilnenſi Anno 1743. Die 17. Maii facultatem reducendi Feſta celebria in Diem Dominicam occurentia in Julio, Auguſto & Septembri, cum hoc ordine; ſcilicet: Feſtum Viſitationis B. V. M. in primam Dominicam Julii. F. S. Magdalenæ in ſecundam. S. Jacobi Apoſt. in tertiam. S. Annæ in quartam Dominicam ejusdem menſis Julii. Feſta vero Auguſti & Septembris transferri in Dominicas ſibi proximas. Excepto Feſto Aſſumptionis B. V. M. quod in ſuo die proprio, ſolemni cultû celebrare præcepit.

Idem Indultum conceſſit Diæceſi Posnanienſi Anno 1745. Die 1. Septemb. quod incipit *Nuper* ut videre eſt in Bullario ejusdem Benedicti XIV. Tom. 1. pag. 337.

Ex quo patet; alias etiam Diæceses in toto Regno Poloniæ, de facili poſſe dispensari in prædictis Feſtis, propter idem motivum laboris & pluviæ tempore meſſis. Sed id facile Poloniæ Incolæ non ſolent permittere, qui magis proni ſunt ad violandam, quàm relaxandam Legem. Ut patet de Jejunio quadrageſimali; quod in lacticiniis (ſicuti Germanis & aliis Regnis Septemtrionalibus propter defectum olei olivarum) permiſſum fuerat, zelo observantiæ non admiserunt; & tamen magnates quibus facilior adeſt modus habendi Oleum Olivarum raro jejunant. De quo inferius.

Hæc addidi, ut ſciat Confeſſarius cum plebeis hominibus majori uti discretione, quàm cum Nobilibus

bilibus; nam rusticis utrumq; Indultum esset summè necessarium, tùm propter illorum inopiam piscium; tum continuum laborem Dominis suis præstandum tempore messis, ita ut suas segetes vix illis tempus suppetat colligendi.

16. *Quandonam Pascha celebrari debeat?*

R. Ex Constitutione Apostolica Die Dominica, non vero Luna 14. Mensis Nisan, sive Martii, prout Judæi observant. *Ratio est:* ex Can. 8. Apostolorum ubi jubentur deponi Episcopi, vel Præsbyteri, qui Pascha egerint ante æquinoctium cum Judæis, ut refert Bellarm: Lib: 3. de cultu. 85. Cap. 12.

17. *Quot fuerant Errores in Ecclesia circa celebrationem Paschæ?*

R. Tres præcipue Famosi. *Primus*, Aerii, qui Pascha simpliciter negabat esse celebrandum à fidelibus eo, quia hoc Judaismum saperet, prout refert Epiphan: Hær: 75.

Secundus. Error fuit multorum Episcoporum in Asia minori, qui celebrabāt Pascha Luna 14. Martii cum Judæis, sive esset Dominica, sive non. Et hi à Concilio Romæ celebrato sub S. Victore A: 198. *Quartodecimani* fuerant vocati, contra quos plura coacta sunt Concilia.

Tertius Error quorundam Cappadocum, qui teste Epiphanio Hæres. 50. semper Pascha celebrabant Die 25. Martii, sicuti celebratur Nativitas Domini Die 25. Decembris. Ratio illorum fuit hæc: quia putabant Christum Die 25. Martii passum fuisse.

18. *Quid de tempore Paschatis statuit Ecclesia?*

R. Præter multa Concilia, Nicænum I. statuit Pascha ab omnibus celebrari debere Die Dominica proxima Lunæ decimæ quartæ post æquinoctium vernum. In quo Concilio Eusebius Cæsariensis

composuit Aureum Numerum, qui ostendit Novilunia, ut refert Epiphanius Hæresi 70.

Secundum Præceptum Ecclesiæ.

19. *Quomodo obligat Præceptum ad audiendam Missam diebus Festivis?*

℞. Obligat graviter sub mortali, nisi justa adsit causa dispensans & excusans. Patet hoc ex Can. *Missas* 64. *De Consc. D.* 1.

20. *Quinam obligantur ad audiendam Missam?*

℞. Omnes Fideles Christiani non tantum Laici, sed etiam Clerici & Sacerdotes, si illo die Missam non celebrent. Celebrantes autem hoc ipso eminenter audiunt. Deducitur ex Can. *Omnes Fideles.* 62.

21. *An Pueri etiam obligentur?*

℞. Ante completum Septennium non obligantur, etiamsi jam habeant usum rationis. Ita La Croix Sanch. Dian. & alii. *Ratio est:* quia ad auditionem Missæ requiritur devota & reverentialis præsentia, quæ in Pueris ante Septennium vix haberi potest. Gobat quo ad Pueros rusticorum, docet in illis adesse obligationem audiendæ Missæ dum pervenerint ad annos discretionis. Hos autem assequuntur Pueri inter nonum & decimum annum, Puellæ vero inter octavum & nonum. Juxta cit. Gobat.

22. *An totam Missam ex vi hujus Præcepti Ecclesiæ teneatur unusquisq; audire die Festo?*

℞. Affirmative; ut docent communiter Doctores, licet non concordent, quidnam omittere sit mortale, & quid veniale?

Partes Sacrificii Missæ quot & quotuplices? dictum est supra P. 1. fol. 273.

Aliqui

Aliqui Doctores volunt non peccare mortaliter eum, qui venit finitâ Epistolâ ad Evangelium. Ita Layman. Gobat. Suarez. & alii plures. Imo excusant eum à mortali, qui venit ad Offertorium dummodo adsit in fine ad Evangelium S. Joannis. *Ratio est* quia sic primum neglectum Evangelium, compensabit per hoc secundum.

23. *An satisfacit Præcepto de audienda Missa; qui audit unam Missam vg. ab Elevatione ad finem & alteram à principio ad Elevationem?*

℞. I. Si quis non simul sed successive audiat tales Missas, duas dimidiatas, videtur satisfacere Præcepto Ecclesiæ, maximè si legitimè impeditus fuerit, à veniali tamen minime excusatur, præsertim si legitime non sit impeditus. Ita Layman Navar. & alii.

℞. II. Quod si non successive sed simul audiat duas tales partes Missæ, à duobus Sacerdotibus simul Celebrantibus, talis non satisfacit Præcepto Ecclesiæ. *Ratio* desumitur ex Decr. Innocentii XI. qui hanc propositionem, quæ est ordine 53. damnavit: *Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul à diversis Celebrantibus audit.*

24. *Quomodo audienda est Missa ad satisfaciendum Præcepto Ecclesiæ?*

℞. Missam audire non consistit in hoc ut verba intelligantur aut audiantur à Sacerdote prolata, quia alias surdi & rudes nunquam satisfacerent. Neq; ipsum Celebrantem videre, quia cæci & in magno concursu pusillæ staturæ, nunquam aut raro audirent ut oportet. Sed consistit in devota præsentia corporis, & attentione mentis ad Sacrificium. Ita Communis sententia Doctorum.

25. *An sufficienter sit præsens Sacrificio Missæ,*

qui

qui à longe vg. ex fenestra Domus suæ aspicit Altare?

℟. I. Si potest plane advertere quidnam agatur à Sacerdote, adhuc dicendum est, quod sit præsens moraliter Sacrificio Missæ. *Ratio est*; quia ad hoc, ut quis satisfaciat Præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, sufficit & requiritur: Devota & corporalis præsentia. Ita Gobat. Decastillo. Tamburini & alii.

℟. II. Si non potest videre neq; plené advertere, quidnam agatur à Sacerdote, nisi per sonum Campanæ, ut sunt infirmi de lecto aut domo non egredientes, non possunt dici præsentes corporaliter Missæ, sed tantum mentaliter. Sed tales excusantur ab obligatione audiendæ Missæ. Ut infra dicetur.

25. *Quænam causæ excusant Fideles ab obligatione audiendi Missam die Festo?*

℟. Sunt quidem plures inferiùs enumerandæ; generalissimæ tamen sunt, hæ duæ; *nempe Impotentia Physica, & Moralis, ad quas aliæ reducuntur.*

Impotentiâ Physicâ excusantur ab audienda Missa; 1. In carceribus positi, in quibus Missa non celebratur. 2. Infirmi, qui egredi de domo non possunt. 3. Itinerantes, qui non inveniunt locum ubi Missam audiant.

Impotentiâ Morali: excusantur omnes illi, qui cum jactura fortunæ aut vitæ, vel nisi cum magno labore & difficultate possunt audire Missam. Et quia sunt quatuor bonorum genera, scilicet: Animæ, Corporis, Famæ, & Fortunæ, hinc circa ista quatuor, impotentia moralis accidere potest.

Circa Bonum Animæ: excusantur ob Impotentiam moralem tunc; quando quis timet adire Templum,

plum,

plum, ne incidat in periculum peccandi, ut vg. tempore persecutionis, ne comprehendatur ab infidelibus, à quibus compelleretur ad abnegandã Fidem. Vel si Virgo prævideat periculum stupri in via sibi inferendi, & similia hujusmodi.

Circa Bonum Corporis: excusantur ob Impotentiam moralem, qui ex probabili conjectura, vel Medicorum consilio timent jacturam sanitatis, aut reincidentiam in morbum ob intemperiem àëris. Vel qui timent in via Siccarios &c:

Circa Bonum Famæ: excusantur illi ob Impotentiam moralem, qui non habent vg. vestem decentem, ita, ut nequeant absq; dedecore & gravi irrisione, ac notabili pudore in publico comparere. Similiter Puella quæ supponitur Casta, & tamen gestat uterum, & cætera similia. Hi tamen si possunt in tenebris, aut in angulo sine jactura suæ famæ audire Missam, obligantur.

Circa Bonum Fortunæ: excusantur ob impotentiam moralem illi, quibus imminet damnum fortunæ, si audirent Missam. Sic excusantur Custodes Domûs. &c.

27. *Quænam adhuc sunt Causæ excusantes ab obligatione audiendæ Missæ die Festivo?*

℟. Sunt adhuc hæ duæ, scilicet: *Pietas & Officium*. Ratione *Pietatis* excusantur illi, qui vg. inserviunt ægroto, quorum præsentia est necessaria ei. *Ratio est*: quia major est obligatio Charitatis Proximi, quàm audiendæ Missæ, cum illud Præceptum de Charitate, est de Jure naturæ, hoc vero de Jure Ecclesiastico. Ratione *Officii* excusantur excubitores ad portas, valla, turres &c. Item Custodes pecorum, hortorum &c. Qui tamen tenentur mutare vices, & adesse Sacris, si in promptu plura successivè Sacra absolvantur. Quæ obligatio

ad Superiores pertinet, ut talem dispositionem faciant.

28. *An distantia loci excuset ab audienda Missa?*

℟. Affirmativè. *Ratio est:* quia distantia loci, Impotentiam moralem sæpiùs involvit. Qualis autem distantia excuset? non potest absolute determinari: sed hæc res prudentum Judicio relinquenda est, attentîs omnibûs circumstantiîs loci nimirum distantis, temporis, & auræ frigidæ aut intempestæ, & Personæ debilioris constitutionis. Aliqui Doctores apud Gobat. tract. 5. Theol. Experim. n. 486. asserunt sufficere pro excusatione peditis, distantiam itineris unius bonæ horæ, vel quinquè quandrantum. Alii paulò majorem requirunt distantiam, vel spectandam ajunt Consvetudinem loci.

29. *Ad quid tenentur illi, qui die Festo non possunt adesse Sacrificio Missæ?*

℟. Salutare talibus dandum est à Confessario Consilium, ut domi per aliquod tempus vacent orationi. Hoc enim requirit & actus Religionis erga DEUM & D. August. Serm. 251. *de temp:* recommendans talibus: *Ut saltem in domo sua oret, & non negligat DEO solvere votum, ac reddere pensum servitutis.* Talis tamen Oratio & devotio domi facta, licèt cadat sub consilio optimo, non tamen sub Præcepto. Ut notat Navar. cum aliis pluribus, contra nonnullos.

Plura de his vide supra Sect. 3. Art. de Tertio Præcepto Decalogi. pag. 589.

ARTICULUS II.
De Tertio Præcepto Ecclesiæ sive Jejunio.

1. *Quod est Tertium Præceptum Ecclesiæ?*

℟. Est hoc. *Jejunia certis diebus temporibusq; indicta servato.* Quod Præceptum concordat Can. 69. Apost.

2. *Quid est Jejunium?*

℟. Jejunium sumitur Dupliciter. *Spiritualiter* pro abstinentia à Vitiis & peccatis. Sic sumitur à D. Basilio Hom. 1. *de Jejunio* dicente: *Verum Jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum.* 2*do*. Sumitur *Corporaliter* & propriè, de quo in præsenti, Articulo sermo, & sic accipitur pro abstinentia à Cibo.

3. *Quotuplex est Jejunium propriè sumptum?*

℟. *Duplex. Naturale*, est abstinentia à qualibet re sumpta per modum Cibi aut potûs vel medicinæ post mediam noctem. *Et Ecclesiasticum* quod est: abstinentia voluntaria à Cibo juxta præscriptũ Ecclesiæ.

Dicitur *Voluntaria* abstinentia, quia Jejunium est actus virtutis Temperantiæ, qui enim non habet, quid manducet, potiùs dicendus est, esurire quam jejunare.

Dicitur *à Cibo* quia potus, ut potè quid liquidum, non frangit Jejunium. Noluit enim Mater Ecclesia potum prohibere, non tantum ex eo quia sitis est, præ fame vehementior, & sæpius de die accidere solet, sed etiam noluit prohibere illos potus, qui aliquomodo extingvunt famem: ut est Caffe & Ciculata, sive Chocolata. Ut dicetur inferius.

4. Item aliud est Jejunium *in Quantitate*: & est abstinentia à Cibo in tali vel tali quantitate, & non majori vg. una vice de die, aut semiduabûs vicibûs in prandio ad extingvendam famem. & in vesperi nihil, aut modicum quid. Aliud est Jejunium *in Qualitate*, & est abstinentia à Cibo talis vel talis qualitatis vg. à Carne & lacticiniis, vel à sola carne.

5. *Quænam res se habent permodum potûs, & quæ permodum Cibi?*

℟. Universaliter, illa se habent permodum potûs, quæ juxta prudentum hominum æstimationem & Communem usum, non sunt ordinata ad nutriendas solidas corporis partes, sed magis ad extingvendam sitim, vel ad vehendum & concoquendum alimentum, quamvis per accidens etiam hæc nutriant. E contra illa se habent permodum Cibi, quæ juxta Communem usum & prudentum æstimationem sunt ordinata ad tollendam famem. quamvis per accidens etiam & hæc sitim extingvant, ut est jusculum &c.

6. *Quidnam judicandum est de Caffe & Ciculatæ potu?*

℟. Quantum ad Caffe est Communis sententia, quod sit potus, adeoquè nec frangit Jejunium, si sit sine lacte. Qantum autem ad Ciculatam; non concordant Doctores, maximè prótunc, quando de faba & aliis solidis ingredientiis Vangelio Cacao &c. plus miscetur, quam de aqua, aut saltem in æquali pondere. Quod si hæc solida in minori quantitate misceantur, certum est, quòd est Ciculata sive Chocolata permodum potûs, prout declaravit Urbanus VIII. oblatîs sibi ingredientiîs, & confecta in ejus conspectu Chocolata. Idem postea responsum est, & à Gregorio XIII.

Pio,

Piō. V. & Paulo V. prout refert. Illsung. t. 4. D. 1. n. 39.

7. *Quid de Caffe judicandum est, si lac admisceatur?*

℟. Frangit Jejuniū nō tantū in qualitate sed etiā in quātitate *Ratio est*: quia lac juxta Cōmunē opinionē est quid comestibile. Hoc tamen Poloni non observant; verùm eorum consvetudo arguenda est, cum sit contra Præceptum Ecclesiæ: non tamen reputandum est pro gravi delicto, quia consvetudo invaluit.

8. *An licitum sit ad Caffe potum, adhibere modicum alicujus comestibilis vg. vulgo à Polonis dicti Sucharek?*

℟. Juxta Communiorem Sententiam DD. Affirmative; ne haustus ille noceat. Interim cavendus est excessus, ne sæpius repetitîs frustulîs, ad magnā tandem quantitatem deveniatur. *Ratio est*: quia opposita sententia damnata est ab Alexandro VII. quæ est ordine 29. docens non frangi Jejunium, qui sæpius de die quid modicum comedit.

9. *Quid judicandum est de Ciculata non præparata cum aqua, sed in crudo de mane manducata?*

℟. Hæc frangit Jejunium *Ratio est*: quia est quid solidum, permodum Cibi: Ut de se patet. Nisi parvitas materiæ excuset, & sumatur permodum medicinæ.

10. *Quænam Carnes universaliter sunt jejunosæ & quæ frangunt Jejunium in qualitate?*

℟. Illæ frangunt Jejunium, quæ habent calidū sangvinem, non vero quæ frigidum: Sic Bovina caro, quia habet calidum sangvinem, frangit Jejunium. Caro vero piscis, quia habet sangvinem frigidum, non frangit. Illa vero Monstra aquosa & marina, quæ partim habent calidas partes, partim

tim frigidas, sui corporis pro diversitate harum partium censenda sunt, jejunosa vel carnosa. *Ratio* utriusq; partis est: quia Ecclesia constituit Jejunium propter abstinentiam & mortificationem corporis, tanquam domestici hostis, ut ipsi alimentum subtrahatur, si non totale, saltem nobilius; porro nobilius est alimentum carnis calidæ quam frigidæ; sicuti est piscis, & omnis caro habens sangvinem frigidum, minus conducit ad concoctionem & nutrimentum.

11. *Quænam Conditiones requiruntur ad Jejunium Ecclesiasticum?*

℞. Juxta Communem omnium Doctorum sententiam, hæ tres requiruntur. 1. Abstinentia Ciborum certi generis. 2. Abstinentia plurium de die refectionum. 3. Certa hora refectionis. De his tribus conditionibus Jejunii, paulò infra resolvendæ sunt difficultates, qui enim unam ex his non servat, nequè Jejunium servare censendus est.

12. *A qualibusnam Cibis abstinentiam requirit Jejunium?*

℞. Non tantùm à carne, sed etiam à lacticiniis, videlicet: lacte, caseo, & ovîs. Ut patet ex Can. *Deniq;* Dist. 4. Quantum tamen ad lacticinia, attendenda est consvetudo locorum. Nam in Germania ex antiqua consvetudine, videmus permissa ova, & lacticinia omnibûs diebûs Jejunii totius anni, quod permissum est ab Ecclesia ob defectum olei, & aliorum Ciborum quadragesimalium. Ut refert Reiffent. Tract. 10. D. 2. q. 1.

13. Ubiquè autem locorum ab antiquo, feriîs sextîs & Sabbathîs per annum, quando aliud Jejunium de præcepto non occurrit, permittuntur lacticinia, quamvis esus carnium sit prohibitus, teste eodem Reiffenst. loc. cit. Imo in Germania

pluribus

pluribus in locis invaluit consvetudo in defectu butyri adhibere lardum, vel pingvedinem ex adipe anserum. Quod etiam practicatur in toto Regno Siciliæ. Teste Fel. Potest. tom. 1. p. 3. n. 2880.

14. Nostri autem in Polonia Antecessores, quamvis abstinentiam à lacticiniis in Quadragesima & feriis sextis per annum induxerunt, quæ jam consvetudo immemorabilis censeri debet, habens vim legis; probabilius tamen suppono, quod sicuti illi antiquiores noluerunt se obligare sub mortali ad talem abstinentiam, sed ad summum sub veniali; ita meô Judiciò, nequè moderni gravius obligantur, quàm sub veniali, nisi adsit scandalum. Qui autem patiuntur inopiam Ciborum quadragesimalium; nec venialiter peccant, si adhibeant lacticinia. *Ratio est*: quia sicuti Mater Ecclesia non solet tam strictè & rigidè mortificare fideles: ut patet de Germanis & aliis Nationibus, ita nequè consvetudo inveterata aut devotio sic arcere debet. De quo dicetur inferius.

15. Justè tamen hæc consvetudo invaluit in Regno Poloniæ abstinendi etiam à lacticiniis; per hoc enim compensatur defectus Jejunii in quantitate. Invaluit enim consvetudo, Polonos non curare quantitatem Jejunii; ut patet multîs experientiîs. Nam Nobiliores Personæ mane surgentes bibunt Caffe & aliquando cum lacte, & nonnulli cum buccellis *vulgo Sucharki*; post aliquas horas, manducant prandium: post prandium iterum bibunt Caffe; vesperi cœnant sine ullo scrupulo ad satietatem; Et sic plane tota die manducant & nutriunt corpus, addendo eximios mulsi & vini nutrientes potus. Ex quo deducitur in Regno Poloniæ, adesse solum Jejunium in qualitate, non vero in quantitate. Excusat nos aliquomodo frigidior aura;

quæ

quæ majorem famem provocat, propter subtilitatem suam. In aliis vero calidioribus locis, quia est aura grossior, non ita vehementer manducant, nisi ex prava consvetudine.

16. Notet tamen Confessarius; quod si quis dispensatus in Jejunio, propter infirmitatem carnes manducet, tenetur omnino abstinere à collatione. Si enim ei pisces nocent, abstinentia tamen sive digeta & animæ & corpori est proficua; adeoquè quò ad quantitatem nullam excusationem habens peccabit. Prout statuit Benedictus XIV. de quo dicetur inferius.

17. *Quoties de die refectio debeat fieri tempore Jejunii?*

℟. Ab antiquo unica duntaxat de die concessa fuit refectio, ut ex perpetua Ecclesiæ Romanæ consvetudine patet; nã tempore Jejunii ad prandiũ, solet dari Benedictio mensæ illa, quæ pro cæna solebat dari. Senescente tamen sæculo, ac attenta infirmitate corporum; indulsit Ecclesia ex longæva consuetudine & tacito consensu, ut præter prandium, modicum quid Cibi serò permodum collatiunculæ manducetur, ad capiendum somnum.

18. *Quæ est certa refectionis hora tempore Jejunii?*

℟. Antiquitus refectio in Quadragesima usquè ad vesperam prorogari debebat. Ut patet ex Cap. *Solent* 50. *de Consecr.* Dist. 1. Aliîs vero diebûs Jejunii differerebatur ad horam tertiam pomeridianam. Quæ refectio non prandii sed cænæ rem & nomen habuit. Hîs vero novissimîs temporibûs, dum ab Ecclesia Collatio ad Vesperam concessa est; tam prandii quam collatiunculæ certa hora assignari non potest, propter diversam consvetudinem locorum & Domorum. Prandium quidem circa meridi-

meridiem, collatio vero circa occasum Solis manducari solet. Ita tamen collatio debet esse completa, ut rationem cænæ non habeat. Unde consultò Ecclesia, statuit ut tempore Quadragesimæ dicantur in Choro Vesperæ ante comestionem; propter memoriam primitivæ consvetudinis, quod una ad Vesperam fuerit refectio.

19. *An semel de die manducans in tali quantitate, ut etiamsi ad noctem nihil manducet, nullam sentiat mortificationem, violat Jejunium?*

℟. Non violare. *Ratio est:* quia licet Jejunium, sit actus temperantiæ, non tamen modificatus omnibus conditionibûs, sed tantùm tribûs enumeratis supra n. 11. Quæ si serventur, juxta consvetudinem locorum, satisfiet Præcepto Ecclesiæ de servando Jejunio. Ita Cajetan. Medina & alii contra nonnullos.

Quod si quis semel de die manducans ad prandium & bibens, faciat excessum, peccabit quidem juxta gravitatem excessûs etiam mortaliter, sed non peccatô contra hoc Præceptum Ecclesiæ, sed peccatô Gulæ aut Ebrietatis. Ut notat Reiffen.

20. *An qui sæpius comedit in die Jejunii toties peccet, quot sunt comestiones?*

℟. I. Si comedat Cibos vetitos puta carnes, toties peccabit, quoties distinctîs comestionibûs manducat tales Cibos. Ut docent communiter Doctores.

℟. II. Si vero sæpius in die comedit Cibos Quadragesimales, aliàs die Jejunii licitos, solùm per secundam comestionem violat Præceptum Jejunii & peccat contra illud. Ita Mastr. cum pluribus contra Medinam & alios paucos. *Ratio est:* quia ita per secundam, ut per tertiam vel quartam comestionem, amplius non violatur Jejunium

cum

cum jam sit violatum. Quamvis talis peccet contra virtutem Temperantiæ.

21. *Quantum unusquisquè tempore Jejunii ad collationem manducare debeat?*

℟. I. Varias multorum referre hic sententias, id mihi videbatur inaniter; cum Italorum more, nec hic Libellus, nec scrupulosus Confessarius extorqueret aliā ducendam à Polonis vitā quò ad Jejunium. Unde melius cum Bonac. & Tambur. ac aliis.

℟. II. Regulam comedendæ collationis in die Jejunii, sumendam esse ex consvetudine in singulis Regionibus recepta. *Ratio est:* quia ista refectiuncula per consvetudinem est introducta, adeoquè & mensurari debet juxta limites ejusdem consvetudinis. Hac responsione solvuntur plures difficultates, quæ obvenire possunt Confessario legenti varios Casuistas de Jejunii Præcepto. Si enim legat Doctores Italos, inveniet plures scrupulos circa hanc materiam, si vero Germanos, aut alios Septemtrionales, habebit laxiores, quò ad Jejunium Regulas: *Ratio* autem hujus diversitatis est, consvetudo diversa in diversis partibus recepta. Unde & Confessarius pro complemento ultimato habeat quò ad Præceptum Jejunii, ipsam consvetudinem in sua Patria receptam. Et quia in Regno Poloniæ, est illa consvetudo, ut pro collatione Cibi cocti apponantur, tempore Jejunii; hinc Confessarius non debet judicare Pænitentes obnoxios esse peccati mortalis; etiamsi sic judicent DD. & Casuistæ Itali. Plura de his inferius.

22. *Quomodo peccat qui tempore Jejunii Collationem semel inceptam & interruptam iterum continuat?*

℟. I. Si interruptio cænæ fiat per modicum tempus

tempus, vg. per quadrantem horæ, non peccat si iterum manducet, etiamsi illa interruptio fieret sine justa causa, & facta jam consveta gratiarum actione. Ita DD. apud La Croix Lib. 3. p. 2. n. 1281. *Ratio est*: quia illa cæna ratione modicæ interruptionis censetur adhuc esse moraliter una.

℞. II. Si vero interruptio fiat ob justam causam vg si sit vocatus subito ad infirmũ; poterit sine ullo scrupulo continuare cænam, postquam reversus fuerit post longius tempus, sed juxta Leandrum protunc duntaxat, quando in prima Sessione ad mensam non fuerit saturatus, secùs vero peccaret, si prius justam quantitatem demanducaverit.

23. *Quando peccat mortaliter, quì diebûs Jejunii sæpius manducat ante prandium, vel post, vel ante cænam*

℞. I. Si comestio illa fiat absquè sufficienti causa, & illa quantitas non excedat duas uncias, solum peccabit venialiter; ut docet Dian. Sporer. Tambur. & alii; si vero excedat, erit mortale.

℞. II. Si adsit justa causa sumendi aliquid sæpius modicæ quantitatis, neq; erit veniale. Ita cõmunis sententia DD. Justa autem causa erit, si Musicus ad conservandam vocem mane sumat ovum recens, aut Prædicator jusculum. Item si prandium differatur ultra horam comestioni communem.

24. *Quo Jure Jejunium obligat?*

℞. Solo Jure Ecclesiastico, ut docent communiter Doctores. Jejunium Quadragesimale ad exemplum Christi, instituerunt Apostoli: ut patet ex Can. 68. Apostolorum. Jejunium quatuor temporum instituit Calistus I. Papa. Reliqua vero Jejunia successive ab Ecclesia fuerant instituta.

25. *Quomodo obligat Præceptum Ecclesiæ de servando Jejunio*

℟. Sub mortali, si violetur sine justa causa. *Ratio est*: quia antiquitùs excommunicabantur violatores Jejunii; excommunicatio autem non incurritur, nisi ob peccatum mortale.

26. *Qualisnam sit obligatio Jejunii?*

℟. Est Personalis, unde per alium non potest Præcepto Ecclesiæ satisfieri. *Ratio est*: quia finis hujus Præcepti, est, moderate affligere corpus proprium, non vero alienum.

27. *An satisfaciat Præcepto Ecclesiæ de servando Jejunio, qui sine justa causa frangit Jejunium die determinato ab Ecclesia, & alio jejunat?*

℟. Non satisfacit. *Ratio est*: quia talis obligatio est alligata huic determinato & non alteri diei. Sicuti recitatio Divini Officii aut auditio Missæ die Festo.

28. *Quoties peccat ille, qui violat Jejunium ex duplici Præcepto Ecclesiæ obligans vg. Vigiliæ & Quatuor temporum?*

℟. Unicum talis committit peccatum. Ut docent communiter Doctores. *Ratio est*: quia licet adsit duplex Præceptum, ex eodem tamen ac unico motivo temperantiæ utrumquè obligat.

29. Similiter unum committit peccatum, qui deliberatè statuerat per totam Quadragesimam nũquam jejunare. *Ratio est*: quia hic actus respicit omnia illa Jejunia permodum unius adæquati objecti. Ita Filliucius tract. 27. Cap. 5. n. 87.

30. *An & quomodo peccent inducentes aliũ ad fractionem Jejunii?*

℟. Peccare mortaliter: Sic peccant Caupones Cibos vetitos apponendo Peregrinis. Item Paterfamilias habens justam causam cum carnibus manducandi, si præter reliquias, nihil, aut quid valde modicum paret famulo cum Jejunio, & alii

hujusmodi

hujusmodi cooperatores.

31. *Quônam annô ætatis obliget fideles Præceptum Ecclesiæ ad servandum Jejunium?*

℞. Quantum ad Jejunium in Qualitate, obligat post acceptum usum rationis. Quantum vero ad Quantitatem, nonnisi obligat completo vigesimô primô ætatis annô. *Ratio* hujus partis est: quia cum adolescentes propter augmentum corporis crescentis indigeant Cibô frequentiorî; noluit illos Mater Ecclesia in quantitate Jejunii adstringere. Ut docent communiter Doctores.

32. *Quænam sint causæ excusantes à quantitate Jejunii?*

℞. *Sunt* quidem plures, sed ad has tres reduci possunt, scilicet: *Ad Impotentiam, Pietatem, & Necessitatem. Ratio est:* quia dum per Jejunium læderetur bonum corporis, excusat Impotentia. Si bonum animæ, excusat Pietas. Si tandem læderetur substantia externa, excusat Necessitas, sive labor, ad bona externa acquirenda vel conservanda necessarius.

33. *Qui excusantur ratione Impotentiæ?*

℞. Hi sequentes. 1. Universaliter excusantur omnes illi, qui sine gravi aliquo incommodo vel notabili damno jejunare non possunt. Per Impotentiam enim intelligitur, tam Impotentia Physica, quam etiam Moralis. 2. Infirmi & Convalescentes, etiamsi propria culpa infirmitatem contraxerint. Item Mulieres gravidæ, vel nutrices lactantes. 3. Item manducantes ad evitantandam vertiginem Capitis, vel propter somnum capiendum, 4. Excusantur senes; *Ratio est:* quia senectus ipsa est morbus. Communis autem Doctorum sententia est excusari à quantitate Jejunii senes, qui attigerunt 70. Annos. Quantum vero ad illos, qui

habent annos 60. non concordant DD. Multi cum Mastrio & *Sanchez* excusant omnes sexagenarios absolute. Lessius vero Layman Bonac. & alii cum distinctione. Si nimirum debilioris sint valetudinis, non autem eos, qui sunt adhuc robusti. In Regno autem Poloniæ utpote *Septemtrionali*, probabilius omnes sexagenarii excusantur à quantitate Jejunii. *Ratio est:* quia in his ex una parte debilitata vis concoctiva, non potest simul consumere ad satietatem Cibum sumptum, ex altera parte non habemus in promptu vinum antiquum, quô juvaretur ventriculus. Tum quia Germani non sunt ita propinqui Septemtrioni, sicut nos Poloni, & habent ad manum vinum tam Nobiles quam plebei, & tamen sexagenarii in Germania sæpius de die manducant.

34. *Qui excusantur à Jejunio ratione Pietatis?*

℟. Hi sequentes. 1. Universaliter, illi, qui operibus præstantioribus incumbunt, quæ cum Jejunio absq; gravi incommodo perficere non possunt; ut sunt opera misericordiæ tam animæ, quam corporis, talia sunt: docere, Concionari, Sacramenta administrare, & similia. 2. In particulari excusantur Concionatores, qui tota Quadragesima quotidie laborant. 3. Item Lectores, Confessarii, imo & Cantores, Advocati, Judices &c. qui suo muneri sunt assidui, & cum magna mentis & ingenii occupatione, studiis, Lectionibus, Judiciis per totum diem intenti existunt.

35 *Quinã excusantur à Jejunio ratione Necessitatis?*

℟. Hi sequentes. 1. Universaliter omnes illi, qui gravi suo labore victitant, cum quo Jejunium stare non potest. Tales sunt illi omnes Mechanici, qui cum gravi sui corporis defatigatione suas exercent artes. ut sunt Agricolæ, Ferrifabri &c.

2do.

2eo. excusantur itinerantes à Jejunio, præsertim pedites, si suscipiant longum iter, vg. unius diei, aut decem milliarium Polonicorum vel septem. 3. Dispensati legitime à Superiore.

36. *Quinam dispensare possunt à Jejunio?*

℟. Episcopus respectu Diæcesanorum; Prælatus Regularis cum suis Religiosis, imo & Parochus ex rationabili causa cum suis particularibus Parochianis. Ut docet Mastrius.

37. *Quomodo peccat qui sine justa causa non servat Jejunium?*

℟. I. Si bona fide id faciat, putans se justam causam habere non jejunandi, non peccat quamvis re ipsa non sit justa & sufficiens causa illa. Ut docet Bonac. alii. *Ratio est*: quia bona fides talem à peccato excusat.

℟. II. Si vero dubitet, an habeat justam causam non jejunandi, tenetur jejunare saltem sub veniali. *Ratio est*: quia in dubiis tutior est pars eligenda. Si vero certò sciat causam esse insufficientem, peccat mortaliter; ut de se patet. *Ratio est*: quia protunc agit contra Præceptum & conscientiam.

38. *Quandonam recurrendum est ad Superiorem pro dispensando Jejunio?*

℟. Protunc quando causa excusans videtur quidem sufficiens, sed de ejus sufficientia adhuc dubitatur, & ideo ad Superiorem recursus fieri debet, ut ipsius authoritate suppleatur dubietas. In aliis vero manifestis causis licet sit laudabile recurrere pro dispensatione, non est tamen omnino necessarium.

39. *An peccent qui sine rationabili causa dispensant in Jejunio?*

℟. Peccant & quidem graviter; imo & dis-

pensatio illorum, est non tantum illicita, sed etiam invalida, ita, ut dispensati, non possint tutâ conscientiâ manducare, si dispensationem agnoverint fundari in frivola ratione.

40. *An dictæ causæ quæ excusant à Jejunio Ecclesiastico, excusent etiam à Jejunio ex voto debito?*

℞. Affirmativè, dummodo non constet de alia voventis intentione. Ita Sanchez. Bonac. & alii. Dixi notanter; *Dummodo non constet de alia voventis intentione*; quia hæc erit pro principali attendenda, nam per votum, sicuti quis sponte sibi legem privatam imponit, ita poterit sibi strictiorem imponere, quam sit Lex Communis Ecclesiæ de Jejunio. Sic potest adolescens sibi ex voto imponere Jejunium ante vigesimum primum ætatis annum.

41. *Quid de Jejunio Fratrum Minorum judicandum sit?*

℞. Juxta Marchantium major requiritur causa in dispensando Jejunio ex vi Regulæ, quam in Jejunio Ecclesiæ. *Ratio* habetur ex Cap. 3. ubi manifesta requiritur necessitas ad dispensationem.

42. *An Poloni & alii Septemtrionales Christiani sunt ab Ecclesia dispensati à Jejunio?*

℞. Quo ad qualitatem sunt aliqui dispensati propter defectum olei olivarum in his partibus; non vero quo ad quantitatem. *Ratio est*: ex Const: Benedicti XIV. quæ incipit *In suprema*. edita anno 1741. Die 22. Augusti, in qua omnes Fideles ubicunquè reperibiles obligat ad unam refectionem, præsertim illos, qui propter valetudinem sunt licentiati vesci carnibus. Ut videre est in Bullario ejusdem Benedicti XIV. Tom. 1. fol. 39.

Jejunantibus tamen, & vescentibus Cibo quadragesimali concedit vespertinam Refectionem

Const:

Const. quæ incipit *Libentissime* editas Anno 1745. Die 10. Junii. §. 2. Sed hæc concessio non est pro populo solo Septemtrionali, sed pro universa Ecclesia.

Quare autem Constitutio Benedicti XIV. concedit Jejunantibus vespertinam Refectionem, non vero licentiatis vesci carnibus? *Ratio* Disparitatis est: quia Jejunantes supponuntur esse sani, adeoquè illorum ventriculus plus vesci expetit. Tum quia Quadragesimales Cibi non ita nutriunt sicuti Caro. Cæterum ægroti dispensati, supponuntur debiles, porro Digeta est præcipuum sanitatis acquirendæ medium; ut explicat Benedictus XIV. in dicta Const. *Libentissime.*

Nota. tamen, quod manducantibus lacticinia non præcipit Papa abstinere à vespertina collatione, ut scias discernere, inter dispensatos, quo ad Carnes, & quo ad lacticinia, ut patet ex citata Const:

43. *Ad quid teneantur licentiati in Jejunio vesci Carnibus?*

℟. Ex Rescripto Benedicti XIV. ad dubia Archiepiscopi Compostellæ super Constit: quæ incipit *In suprema* obligantur ad duas Conditiones. 1. Ut unicam Comestionem de die observent. 2. Ut non permisceant epulas; nempe ut non apponant pisces, nequè manducent, hoc enim denotat frivolam Causam dispensationis. Ideo enim supponuntur esse dispensati, quia illis nocent pisces.

Nota. tamen, quod in eodem Rescripto permittit Papa miscere ad mensam pisces, illis qui sunt dispensati quo ad lacticinia, ut patet in Responsione ad Dubium 4.

44. *An licet dispensatis quo ad Carnes saltem diebus Dominicis Quadragesimæ apponere, & vesci piscibus?*

℟.

℞. Non licet ex eodem Rescripto Benedicti XIV. Responsione ad Dubium 5. Hoc Rescriptum incipit. *Si Fraternitas.* editum A. 1744 Die 8. Julii. Et habetur in Bullario Tom 1. pag. 216.

45. *Quam quantitatem sumere debent Jejunantes pro vespertina refectione?*

℞. I. Quo ad hoc non debere adeo sollicitũ esse Confessarium, quia universalis Regula pro omnibus statui non potest; sed uniuscujusquè attendenda est Constitutio & vis stomachi digestiva. Nam ille, qui ad prandium manducavit vg. 10. uncias potest adæquare in quantitate cibi vespertini prãdium debilioris, qui manducavit 4 uncias. Sufficit enim ut tertiam partem prandii demanducet in vesperis; habeatquē aliquomodo non satiatum appetitum ut Jejunii abstinentia reluceat.

℞. II Cum pauperibus, & plebeis non scrupulizet Confessarius, quia hi excusantur, tum propter continuum, & gravem laborem. Tum quia olera in majori parte habent pro Cibo, quæ modicùm nutriunt. Tum quia sæpius in prandio non satiant appetitum, quæ omnia & singula attendi debent. Satis enim in Regno Poloniæ miserè vivunt infimæ plebis homines; qui ex justa causa in Quadragesima quo ad lacticinia dispensari possent; prout colligitur ex verbis Constit: Benedicti XIV. *Libentissime* cujus verba sunt hæc. §. 21. in fine. *Itaq; si revera in aliquo loco nequè oleum* (olivarum) *neq; pisces comparari possunt, tunc Incolis ejusdem loci permitti fas est, ut lacte & ovis utantur.* Porro quis dubitat pauperes villanos nequè posse habere oleum olivarum, nequè pisces?

Hæc addidi propter aliquos Confessarios, qui totam perfectionem suam ponunt in ingerendis scrupulis, & dum illi sunt planè piscibùs saturati, esurientem

rientem plebem de jejunii observantia rigidè arguunt.

46. Ut igitur Confessarius quò ad præsentem materiam sit in luce. Hæc observet ex Constitutionibus Benedicti XIV. excerpta. 1. Nobiles, qui sunt dispensati vesci Carnibûs, doceat illos ad hæc duo obligari graviter. Ut unam Comestionem de die habeant; & ne in suo prandio simul cum Carnibus pisces manducent, ut supra dictum est. Numero 43.

II. Sciat, peccare illos graviter Medicos, qui adulando magnatibus judicant Carnes necesse manducari ab illis tempore Jejunii, absquè justa causa.

III. Peccant similiter illi, qui sine ulla necessitate ob solam voluptatem sæpius de die tempore Jejunii manducant.

IV. Probabilius venialiter peccant, qui Caffe bibunt cum lacte absquè ulla necessitate ob solum gustum. Secùs vero judicandum est de illis, quibus solum Caffe nocet, nequè possunt de Amygdalis lac habere.

V. Nobiles admonendi sunt, ut cænam tempore Jejunii modestiorem exponant. Nam Ecclesia ab omnibus vult servari abstinentiæ mortificationem, ut Caro nostra, tanquam hostis animæ comprimatur. Hic enim est Scopus & finis Ecclesiæ Jejunia certîs diebûs assignantis.

VI. Dum autem in Constitutionibus Pontificiis jubetur consuli quo ad dispensationem uterq; Medicus, nomine utriusquè Medici intelligitur Parochus sive Potestas Spiritualis, & ipse Medicus Corporis, à quo dispensandus in Jejunio dum recipit testimonium de legitima causa excusante eum à Jejunio, tenetur à Spirituali Medico scilicet à proprio Pastore petere dispensationem. In casu vero

ro, quo deesset alteruter Medicus, sufficit dispensatio unius, & si adsit manifesta necessitas vg. infirmitas, ipsa sola dispensat; Ecclesia enim est Mater non Noverca.

47. *Quando, & à quo institutum est Quadragesimale Jejunium?*

℟. Institutum fuit ab Apostolis, ut communiter docent S. Patres, & præsertim D. Hieronym in Epistola 1. ad Marcellam & *S.* Leo serm. *6.* de Quadrag. Hoc autem Jejunium prædixit Christus Discipulis suis Math. *9.* dicens: *Venient dies, cũ auferetur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt.* Tum quia Apostoli Actor. 13. leguntur jejunasse, & Actor: 27. & aliis pluribus in locis.

48. *An fuerit semper in Ecclesia observatum hoc Jejunium Quadragesimæ?*

℟. Affirmative. *Ratio est:* quia Jejunium Quadragesimæ à 40. diebus dicitur, cujus frequens adest mentio in antiquis Conciliis sub nomine Quadragesimæ, non diceretur autem sic, si non celebraretur per dies 40. Tamen pro quietandis aliquibus dubiis.

Nota I. Ex *S.* Epiphanio in Expositione Fidei N. *29.* quod in primitiva Ecclesia, ita fideles fuerant addicti Jejunio, Quadragesimæ, ut illorum plures tota majori Hebdomada ab omni cibo abstinerent: aliqui per triduum; vel quatriduum. Omnes autem per ultimos sex dies solùm Panem cum aqua semel de die manducabant ad vesperam. Et hæc prima fuit diversitas in forma, sive modo jejunandi Quadragesimam, quo ad ultimos ejus sex dies. Nam abstinentia ab omni cibo per aliquod dies non fuit præcepta lege, sed arbitraria.

Nota. II. Aliam hanc fuisse diversitatem in jejunando Quadragesimam quia antiquitùs in tota

Ecclesia

Ecclesia non jejunabant fideles die Dominica: tempore Quadragesimæ, Aliqui ut Græci, die Dominica, & Sabbathi Aliqui in Hebdomada tres à Jejunio excipiebant dies, scilicet: diem Dominicam Jovis, & Sabbathi: & ideo non eodem die inchoabatur ab omnibus Jejunium Quadragesimæ, sed juxta consvetudinem Provinciæ, qui enim non jejunabant in Hebdomada tres dies, inchoabant Jejunium Quadragesimæ circiter à Dominica Septuagesimæ, qui duos, à Sexagesima, qui unam Dominicalem non jejunabant, à Quinquagesima. Ob quam rationem vocantur juxta Bedam propriis nominibus istæ tres Dominicæ. Licet hoc neget Belarminus Lib. 3. de cultu SS. Cap. 14. Sed cum Ruperto vult Septuagesimam vocari ex eo, quia est retro Dominica septima ante Dominicam Passionis, Sexagesima vero Sexta, & Quinquagesima quinta.

Aliqui volunt has Dominicas sumere suam denominationem à diebus usquè ad Pascha numeratis, licet non plene, nam à Septuagesima sunt dies ad Pascha 64. à Sexagesima sunt dies 57. à Quinquagesima sunt dies pleni 50.

49. *Quibus modis olim celebrabatur Quadragesimæ Jejunium?*

℞. Multæ conditiones olim adjunctæ erant Jejunio Quadragesimali, ex quibus duas solū recensebo.

I. Servabatur etiam inter Conjuges Maritalis continentia toto Quadragesimæ tempore. Unde Bulgari recenter conversi ad fidem, scripserunt ad Nicolaum I. consulendo *Quid de eo, qui Quadragesimali tempore cum Uxore sua coierit, sit judicandum?* Sedes Apostolica respondit: ad arbitrium Episcopi & Parochi, considerandum ac definiendum id pertinere; nulla tamen lege Maritalis Copula prohibita legitur; sed usum hunc pia con-

svetudo

svetudo obtinuit, ut docet Tournely Tract. de Præcepto Eccle. Cap. 2.

II. Tempore Quadragesimæ, per plura sæcula unica tantum fuerat de die refectio, horâ vespertinâ; ut patet ex vita Caroli magni, qui dum in Quadragesima sumpsisset prandium circiter hora quarta post prandium, repræhensus fuit ab Episcopo, quasi violator Jejunii. Cui humiliter Imperator Magnus excusabatur, hac necessitate, quia ei ministrabant ad mensam Reges & Duces, his vero Comites quibus iterum ex ordine inserviebant alii Servi, hinc si Cæsar non anticipasset prandium, vix ultimis servis media nocte veniret ordo manducandi.

Hæc addidi, ut sciat Confessarius hoc exemplo quorundam refrenare Jejunii nauseam, qui neq; sunt delicatiores Imperatore, nequè majoribus impliciti negotiis, quam ille, & tamen millenas excusationes solent dare, ut suæ voluptati liberiùs darent operam.

In minoribus vero Jejuniis, refectio fiebat semel quidem de die, tamen non ita serò, sicuti in Quadragesima, sed horâ tertiâ post meridiem, ut refert idem, Tournely loco cit:

Postea Mater Ecclesia attentis circumstantiis, sæculo septimo concessit sub vesperam modicum vini aqua diluti haurire. Tandem sensim inolevit consvetudo cænulæ, sive collationis, de quo videatur Thomassinus part. 2. C. 10. & 11.

In Quadragesima olim Missæ Sacrificium diebus feriatis differebatur, usq; post Tertiam horã meridiei; ut refectio protraheretur ad vesperam, teste Petro Blesensi, serm: 11.

50. *Quot olim in Ecclesia fuerant Quadragesimæ?*

R.

℟. Tribus vicibus in Anno Fideles Jejunium observabant 40: dierum: scilicet ante Nativitatem Domini, ante Pascha, & post Pentecosten: ut refert Amalarius Lib. 4. de Divino Officio. C. 37. Præter quas tres Quadragesimas habebant multa alia minora Jejunia, uti Quatuor temporum, & Vigilias, de quibus infra.

51. *Quando & à quo institutum fuit Jejuniū, Quatuor temporum?*

℟. Ab Apostolis; sicuti & Jejunium Quadragesimale, ut constat ex communi traditione Ecclesiæ, & Testimoniis SS. Patrum. & præsertim S. Leonis, serm. 8. *de Jejunio septimi Mensis*, non fuit tamen uniformis hujus Jejunii observantia ubique, nisi post Gregorium VII. & Urbanum II. ut probat Tomassinus parte 2. Cap. 18.

52. *Quibus diebus incidit Jejunium quatuor temporum?*

℟. Feriis quarta, sexta, & Sabbatho. 1*mo*. Post diem Cinerum, feriis citatis, Dominicæ primæ Quadragesimæ. 2*do*. Post Festa Spiritûs S. scilicet Pentecostes. 3*tio*. post Festum Exaltationis *S*. Crucis. 4*to*. Post Festum S. Luciæ, juxta hos versus.

Post Cru, post Cineres, Spiritûs atquè Luciæ.
Quatuor Christianus, tempora orbis habet.

53. *Quid denotat Jejunium Vigiliæ?*

℟. I. Jejunium Vigiliæ dicitur à Vigilia, quia antiquitùs pridie ante Festum SS. non tantum Fideles jejunabant, sed etiam vigilabant de nocte orando, mane vero, usquè ad horam nonam, sive tertiam post meridiem stabant. Nocturnæ orationes Fidelium vocabantur *Vigiliæ*, diurnæ vero *Stationes*. Successu temporis deficiente primitiva Fidelium pietate, cùm in aliquibus locis tempore nocturnæ Vigiliæ abusus fierent, Bonifacius Papa An-

no 422. sustulit illam. Stationibus vero S. Gregorius Magnus aliqua Romæ loca assignavit: ut patet ante Introitum in Missali Romano.

℟. II. Antiquissima ac prima omnium Vigilia celebrabatur in Ecclesia nocte præcedente Dominicam Resurrectionis adhuc tempore Apostolorum, ut scribit S. Clemens Lib. 5. Constit. Cap. 19. Brevi triduanum incepit Jejunium Vigiliæ ante Ascensionem Domini, ut notat Amalarius Lib. 1. *de Divino Officio* Cap. 37. Tandem in Vigilia ante Festum Petri & Pauli. Aliæ vero Vigiliæ successu temporis ab Ecclesia institutæ sunt.

54. *Quando & à quo instituta sunt Jejunia in diebus Rogationum, & in Festo S. Marci?*

℟. I. Juxta Thomassinum part. 1. Cap. 24. & par. 2. Cap. 21. Litanias & Jejunium cum solemni supplicatione primo instituit S. Mamertus Viennensis Episcopus pro bono successu fructuum terræ; quam consvetudinem aliæ postea acceptaverunt Ecclesiæ licet non omnes.

℟. II. Quantum ad Litanias in Festo S. Marci, has instituit S. Gregorius Magnus; & ideo licèt eædem sint Litaniæ tam in Festo S. Marci, quam in diebus Rogationum, tamen illæ dicuntur Litaniæ majores, propterea, quia institutæ sunt à S. Gregorio Magno, hæ vero minores, quia à S. Mamerto sæculo quinto, ut probat Tournely Tract. de Præcepto Ecclesiæ. Cap. 3. Quo ad Jejunium non ubiquè Locorum recepta est consvetudo.

ARTICULUS III.
De Quarto & Quinto Præcepto Ecclesiæ.

1. *Quod est Quartum Præceptum Ecclesiæ?*

℟.

℞. Est hoc: *Peccata tua Sacerdoti proprio annis singulis confitetor.* De quo Præcepto statutum est in Conc. Lateranen: sub Innocentio III.

Quidnam sit Confessio Sacramentalis, à quo instituta? quæ ejus partes, & quando obliget? Dictum est supra part: 2. Sect. 2. loquendo de Partibus Pænitentiæ, ad quem locum remitto Lectorē.

2. *Quosnam obliget hoc Præceptum Ecclesiæ?*

℞. Omnes Fideles & solos qui habent peccatum mortale, non vero illos, qui sola habent venialia. Ita DD. communiter, & patet ex verbis Conc: Lateranen: Ex consvetudine tamen receptum est, ut Fideles omnes ante Communionem Paschalem proprio Sacerdoti se sistant, non obstante quod sola venialia aliqui habeant.

3. *Quandonam hoc Præceptum Confessionis obliget?*

℞. Per se obligat, quo ad decursum totius Anni; licet per accidens & ratione Communionis Paschalis, soleat præmitti in Paschate. *Ratio* primæ partis est: quia Conc:: Lateranen: *C. Omnes utriusq; sexus*: plus non requirit, quam ut semel in Anno unusquisquè confiteatur sua peccata, non assignando certum tempus hebdomadæ & Mensîs.

4. *An teneatur ex vi Præcepti hujus confiteri per decursum totius Anni, qui in Paschate non fuerit confessus?*

℞. Affirmative. *Ratio est*: quia totô Annô urget hoc Præceptum; non enim est ita affixum Paschati, ut cum illo traseat. sicuti transit obligatio audiendi Missam die Festo.

6. Imo juxta Card de Lugo, si quis per totum Annum confiteretur sæpius sola venialia, & circa finem Anni peccet mortaliter, obligatur hoc Præcepto ad confitendum illud mortale eodem

Anno.

Anno. *Ratio est*: quia ut patet ex supradictis; Ecclesia hoc Præcepto sola mortalia mandat confiteri.

6. *Quomodo Annus iste computandus?*

℟. In hac re sunt duæ probabiles Doctorum sententiæ. 1*ma*. docet computandum esse Annum, à prima die Januarii, usquè ad initium sequentis Anni, scilicet ad primam Januarii. 2*da*. Est magis probabilis & Communior in Ecclesia, docens computandum esse ab uno Paschate ad sequens Pascha.

7. *An satisfit Præcepto Annuæ Confessionis, per Sacrilegam Confessionem?*

℟. Negative. Si sit scienter invalida. *Ratio est*: quia qui voluntarie facit invalidam Confessionem, nullum recipit Sacramentum Pænitentiæ. Unde meritò oppositum docentem damnavit Propositionem Alexander VII. quæ est ordine 14.

8. *An satisfiat Præcepto Quarto Ecclesiæ, si quis Confessionem faciat coram Regularibus Mendicantibus?*

℟. Affirmative; dummodo dicti Regulares, vel eorum privilegiis gaudentes, sint approbati in illa Diæcesi. Ut patet ex Bulla Innocentii X. *Exponi Nobis* Die 7. Februarii A. 1645. Ad evitandas tamen lites cum Parochis melius est, ut Pænitentes notificent, aut illis dent Testimonium, Parocho exhibendum.

9. Quod si sæculares sint servitiales & simul Commensales Regularium; possunt illos audire Confessionem Annuam, non reddita ratione proprio Parocho, sed solum Superiori Conventûs, prout declarauit S. Congr. 7. Julii 1507.

10. *Quandonam Pueri teneantur ad Confessionem Annuam?*

℟. Eos teneri postquam ad annos discretionis pervenerint, & simul in peccatum mortale lapsi

psi

psi sint. Etiamsi autem non præsumantur habere lethale, tamen laudabile erit illos ad Confessionem admittere, ut paulatim ad eam assvescant. Quid autem in praxi considerandum sit Confessario cum talibus Pueris primò confitentibus, dictum; est supra hac Par. 2. Sect. 1.

11. *Quodnam sit Quintum Ecclesiæ Præceptum?*

℟. Esse hoc: *Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in Anno, idq́; circa Festum Paschæ sumito?* Quod habetur in Conc. Lateranen. sub Innocentio III. celebrato. C. *Omnis utriusq́; sexus.*

12. *Quo Jure Fideles tenentur Eucharistiam sumere?*

℟: Jure non tantùm Ecclesiastico; sed etiam Jure Divino. *Ratio est:* quia manifeste Christus Joan. 6. obligavit Nos dicens: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis &c: non habebitis vitam in vobis?*

13. *An satisfit huic Præcepto Ecclesiastico per indignam sumptionem Eucharistiæ?*

℟. *Negative Ratio est:* quia Ecclesia in dicto Conc. Lateran: præcipit Fidelibus; ut suscipiant Eucharistiam *reverenter*, qui autem sacrilegè communicat, non suscipit reverenter hoc SS. Sacramentum. Tum quia Innocentius XI. damnavit contrariam propositionem, quæ est ordine 55.

14. Unde si quis indigne sumeret Eucharistiam, non tantum peccat contra Præceptum Divinum & Ecclesiasticum, sed etiam hoc Anno obligatus est, reverenter ac digne suscipere Sacramentum Corporis & Sangvinis Christi.

15. *An satisfaciant Præcepto Ecclesiæ Communionis Paschalis, qui apud Regulares Exemptos communicant?*

℟. I. Non defuisse quosdam Theologos, qui ad

hanc quæstionem absolute respondissent affirmative; ut videre est apud Henno Tom. 2 Disp. 9. q. 2 Modo autem contrarium sonat Bulla Clementis X. *Superna &c.*

℟. II Solum servitiales sive Famuli & Commensales Regularium Exemptorum, satisfaciunt Præcepto Ecclesiæ, si communicent in Ecclesia eorundem Regularium. Si habeant conditiones inferius specificandas. Hoc enim concessum est Fratribus Minoribus à Clemente IV. Plura de his invenies Part. 1. Sect. 8. *de Sepultura.*

16. *Quale Jejunium requiratur ad sumendam Eucharistiam?*

℟. Extra mortis Articulum requiritur à media nocte: ut patet ex *C. Sacramenta* 49. *De Consecr:* Dist. 1. Hoc autem Præceptum est institutum ab Ecclesia, propter finem superius explicatū Part. 1. Vide Sect. *de Sacriff Missæ.* Antiquitùs enim in primitiva Ecclesia solebant Fideles communicare tempore vespertino; ad Normam Christi, qui in Cæna probabiliter non Jejunos communicavit Apostolos; sed quia tempore adhuc Pauli Apostoli, multi exorti fuerant abusus apud Corinthios, ut videre est 1. ad Corinth Cap. 11. hinc ab antiquo Ecclesia statuit, ut Fdeles Jejuni Communicent.

17. *Quæ sunt ex Rubricis observandæ Regulæ quò ad Jejunium?*

℟. Juxta verba Rubricarum Missalis Rom. Tit. 9. *De defectibus dispositioniis Corporis*, sunt Tres præcipuæ in praxi observandæ Regulæ.

Prima. His terminis traditur: S*i quis non Jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ vel alterius potûs aut Cibì, permodum etiam medicinæ, & in quantumcunq, parva quanti-*

tate

tate, non potest communicare, nec celebrare.

Secunda Regula. *Si autem ante mediam noctem Cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.*

Tertia: Regula: *Si reliquiæ Cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem; Cum non transglutiantur permodum Cibi, sed permodum salivæ. Idem dicendum si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.*

18. *Quænam Conditiones requirantur, ut fractum censeatur Jejunium naturale?*

℞. Juxta P. Reiffenst. Tract. 10. Dist. 3. q. 3. requiruntur quatuor 1*ma*. Conditio est: ut illud quod sumitur, sit aliquomodo nutriens. 2*da*. Debet sumi ore ab extra. 3*tia*. Ante Sacras Species. 4*ta*. Aliter debet sumi, quam permodum salivæ.

19. Ex his multi quietari possunt scrupuli, ac scrupulosi excusari à fractione Jejunii. 1. Illi qui deglutiunt frustum metalli, ligni, lapilli &c. 2. Sumentes reliquias Cibi inter dentes residuas. 3. Sugentes humores ex pustulis dentium, vel sangvinem ex gingivis dummodo intra os. 4 Subito attrahentes per nares guttulam aquæ odoriferæ, vel tabaci pulverizati. 5. Sumentes vinum cum S. Hostia, dummodo adhuc moraliter sit una refectio. 6. Masticantes aromata, si parum quid inseparabiliter salivæ adhæreret 7. Lavando os, si una vel altera gutta aquæ, aut musca cum respiratione trahatur in stomachum. Uu recte cum aliis advertit La Croix Lib. 6. p. 1. n.564.

20. *Quid, si quis ob varias circumstantias dubius foret, an sit Jejunus vel non?*

℞. Talis stante hoc dubio, posset licite communi-

municare vel sacrificare. *Ratio est*: quia Ecclesia tanquam benignissima Mater, non videtur Filios suos privare Jure communicandi, quod habent à DEO, nisi positive sint certi, se esse non Jejunos; adeoquè dubitantes erunt in possessione Juris sui. Juxta Regulam Communem Casuistarum: *In dubiis melior est pars possidentis*. Ita Gobat, Dicastillo, Layman, Sporer &c: contra Sanchez, Bonaca Castropal. & alios paucos.

21. *An morituri debeant esse Jejuni ad sumendam Eucharistiam permodum Viatici?*

℟. Non debent, sed potest imo debet dari non jejunis hoc SS. Eucharistiæ Sacramentum, non tantum certò morituris, sed etiam probabiliter. Ut docent communiter DD. & praxis Rom. Ecclesiæ.

22. *An possit pluries non Jejunus accipere Viaticum perseverante eodem morbo?*

℟. Potest, juxta Communem DD. Sententiam. *Ratio est*: quia moriturus, valde indiget hoc alimẽto Spirituali ad repellendas & vincendas tentationes, quæ pro illo tempore occurrere solent.

23. *An ille qui mane communicavit permodum Viatici, possit iterum eodem die de nocte communicare?*

℟. Non concordant DD. ut videre est apud Gobat Tract. 4. *Theolg. Experim.* N. 174. Probabilior tamen est Sententia illa quæ magis favet devotioni & saluti Animarum; qualis est hæc, quæ iteratam vult in simili casu Sumptionem. Ut notat Montabous in sua Glossa fundamentali Cap. 12. A. 2.

24. *Quid in praxi observandum est Sacerdoti, si speret ægrotum expectare in vivis jejunum ad diem crastinam?*

℟.

℞. Hæc sequentia ex P. La Croix Lib. 6. p. 2. n. 612.

1. Sacerdos non debet scrupulose expectare Jejunium infirmi usquè ad sequentem diem ad dandum ei Viaticum.

2. Satis habebitur ratio dandi Viaticum non jejuno, si absquè medicina confortante, grave ei esset expectare Jejunium à media nocte usquè ad mane.

3. Si æger longe distet vg. itinere duarū horarū, & periculosè ægrotet, poterit ei non jejuno Parochus dare Viaticum, supposito, quod commode non posset expectare ad sequentem diem propter functiones suas Parochiales.

4. Juxta Navar. Lugo Sanchez & alios, potest dari Communio Infirmo non Jejuno, si fervide petat, non tantùm permodum Viatici, sed etiam devotionis gratiâ; si inter sumptionem permodum Viatici, & inter hanc devotionis gratiâ, decem vel Octo dies intercesserint.

Notet autem Parochus, quòd dum portat Viaticum ad ægrotum; vel duas ad minus deferat Hostias, ut cum altera revertatur, aut deponat apparatum omnem, ne revertenti ab Infirmo occurrant Fideles, & adorent cultu Latriæ pixidem vacuam.

25. *An ægroto possit dari Viaticum, si timeatur vomitus?*

℞. I. Si timeatur vomitus præcisè ex eo, quia sæpius solet Infirmus vomere, poterit eidem præberi Eucharistia. *Ratio est:* quia exinde nondum adesse censetur periculum proximum, quod hic & nunc brevi post sumptionem Sacramenti sit vomitus secuturus.

℞. II. Quod si prudenter timeatur brevi post

sumptionem

ſumptionem venturus vomitus, tunc juxta Communiorem Doctorum Sententiam, abſtinendum erit à dando Viatico taliter infirmanti, ob periculum irreverentiæ Sacramenti. Licèt non deſint aliqui docentes etiam in tali casu licitum eſſe adhuc dare Euchariſtiam, quos citat La Croix Lib. 6. p. 1 n. 552.

26. *Quid faciendum Sacerdoti, ſi ægrotus poſt ſumptionem Euchariſtiæ brevi vomitum habet?*

℞. Debet attendere an in vomitu adhuc Species aliquæ Euchariſtiæ appareant? ſi non apparent; vomitus comburatur & Cineres in Sacrarium mittantur. Ut docent Rubricæ *De defectibus Miſſæ* Tit. 10. n. 14. Quodſi adhuc ſimiles ſpecies ibidem appareant ſegregatæ purgentur; & poſtea ſuo tempore à Sacerdote ſumantur; vel ſi ob nauseam ſumi non poſſint, immitantur Aquæ donec diſſolvantur, & illa Aqua in Sacram Piscinam conjiciatur.

27. *Quam diu Species maneant non conſumptæ in ſtomacho?*

℞. Jam de hac materia dictum eſt, P. 1. *De diſpoſit ad Sacrif Miſſæ*, ibi plura quo ad hoc videantur. Illud tantum attendendum eſt, quod ſi ſit ſanus ſtomachus, probabiliter parvam Hoſtiam conſumat poſt ſpatium ſemiquadrantis; ægrotus tamen longè majus requirit tempus. Svadent Authores apud La Croix Lib. 6. p. Citati, ut intra ſpatium unius horæ poſt Communionem, nulla detur medicina provocans vomitum.

28. *An danda ſit Euchariſtia ægrotis, ſi continua vexentur tuſſi, ob periculum expuendi cum flegmate?*

℞ Cum La Croix loc. Cit. danda. *Ratio eſt*; quia quamvis flegma per tuſſim exeat de pectore, quia tamen non eſt eadem via per quam ſputa ejiciuntur, & quâ Cibi transferuntur ad ſtomachũ, ideo nullum datur periculum ejiciendi Sacras Species,

maximè

maxime si post sumptionem earum, statim superbibatur.

Ex quo deducitur, posse aliquem postquam bene deglutivit Hostiam, maxime si & vinum simul sumpserit (sicuti solent Sacerdotes in Missæ Sacrificio) brevi post expuere. Quamvis pro majori reverentia per spatium unius *Miserere* meliùs sit abstinere si commode fieri potest; vel si opus aderit in strophiolo sputum excipere.

Id tamen notandum est Celebrantibus Sacerdotibus, illis nimirum qui dentes raros & foveatos habent, ut caute sumant Hostiam Consecratam, ne infra foveas dentium, aliquæ particulæ remaneant, & postea cum saliva expuantur.

29. *An Infirmis possit licite dari Viaticum impositum Vino vel jusculo, ut facilius perveniat ad stomachum?*

℞. Cum Diana, Possevino & aliis, affirmative; supposito quod absit periculum irreverentiæ & aliter summendo ægrotus magnam sentiret difficultatem. *Ratio est*: quia si ægrotus absquè Jejunio potest sumere Viaticum, cur non aliquo medio instrumento? cum utraquè praxis interpretetur concessionem piæ Matris Ecclesiæ.

30. *A quibus debet dari Viaticum Donatis; Oblatis, Commensalibus sive Servitialibus alicujus Monasterii?*

Antę Resp: *Nota* quòd *Donati, & Oblati*, illi dicuntur, qui se ipsos donant & offerunt alicui Religioni, interveniente contractu inter ipsos volentes sub Prælatorum regimine vivere, & Religionem ipsos sustentare, ac Habitu Religioso induere; & isti sunt Tertiarii.

Commensales vero *&* *Servitiales* sunt illi sæculares, qui gratis vel pro salario inserviunt Mona-

sterio

sterio, ut sunt omnes famuli. Hoc adnotato:

℟. Omnibus istis Viaticum non à Parocho, sed à Religiosis Monasterii, cui inserviunt providendũ esse. Idem sentiendum est, & de Extrema Unctione ac sepultura, ut docet Rodriq. apud Ildefonsũ Tract. *de Moribund.*

31. *A quibus debeat dari Viaticum extraneis subito intra septa Monasterii infirmatis?*

℟. Si sit periculum in mora, debet dari à Regularibus illius Monasterii. Quod etiam intelligi debet & de Extrema Unctione. Ut docet Henriq: p. 4. Disp 9. q. 4. n. 30. & alii. *Ratio est:* quia Parochus nequit in alienum territoriũ se ingerere, ibiq; Jura Parochialia exercere. Sicuti è contra si Religiosus extra Monasterium periculosè decumberet, non posset Extremam Unctionem, sicuti nec Viaticum à Religioso sui Ordinis accipere, nisi petitâ licentiâ à Parocho illius Districtûs.

SECTIO V.

De Regulis Directivis Confessarium quo ad imponendam Satisfactionem Pœnitenti: sive, De Canonibus Pœnitentialibus.

Nota: quod licèt Canones Pænitentiales juxta Navar: non sint his temporibus ad praxim deducendi à Confessario, sunt tamen sciendi ab illo propter duo: 1. ut ex illis ostendat Pænitenti quàm gravi sit dignus pæna pro similibus peccatis in Ecclesia antiquitùs peccantibus asignata 2. Ut Confessarius faciliùs & certiùs scire possit, quæ Pænitẽtiæ quantitas & qualitas cuicunquè peccato maxime conve-

conveniat. Unde pro qualitate Personæ & aliarũ circumstantiarum juxta sequentes Canones satisfactionem temperet prout ipsi in Domino videbitur expedire.

Illud vero sciat Confessarius, quod in primitiva Ecclesia juxta hos Canones publica pænitentia solebat assignari Pænitentibus, modo supra expresso, pag. 387 ita rigide, ut pro quolibet mortali peccato annîs septem peccator publice pænitentiam agere deberet; at successu temporis attenta infirmitate humana, hoc genus pænarum relaxavit S. Mater Ecclesia, committendo arbitrio prudentis Confessarii; quatenus mitiorem pro peccatis assignare possit satisfactionem. Illos vero publicæ pænitentiæ annos reduxit in varias species Indulgentiarum, quas pro bonis operibus Fideles lucrari permisit; aliquando septem Annorum, & totidem Quadragesimarum; per quam Indulgentiam Fideles satisfaciunt pro pæna in Canonibus Pænitentialibus extensa ad septem annos, & Quadragesimas septem. Aliquando lucrantur Indulgentiam plenariam, per quam satisfaciunt pro omnibus omnino pænis in Canonibus assignatis, quod bene notandum est.

ARTICULUS Unicus

Qui sunt hi Canones Pænitentiales?

℟. *S*unt hi sequentes præcipui juxta Rituale Romanum.

Pro quolibet mortali peccato debet homo pænitentiam agere septem annîs. 33. *Quæ*, 2. *C. Hoc ipsum.*

Sacerdos committens fornicationem, debet pænitere

nitere 10. Annîs. *Dist.* 82. *C. Presbyter*.

Accipiens Sponsam alienam de præsenti, septem annis, & 40. diebus in pane & aqua jejunet. *Extra de sponsa duorum. C.* 2.

Devota, seu Monialis, quæ fornicatur, seu matrimonium contrahit, & agnoscens eam, vel contrahens cum ea 10. Annis pæniteat. 27. *Quæ* 1. *Devotam*.

Scienter contrahens, vel coiens cum duabus sororibus, vel cum Matribus, vel cum Sorore Matre, & Filia, vel una cum Patre & Filio, vel duobus Fratribus, & sic de aliis. octo Annis pæniteat. 30. *Quæ*: 4. *Si Pater*.

Ignoranter cognoscens duas Sorores, vel Matrem, & Filiam, vel Amitam & Neptem, quarum una ignorat de altera: uterquè septem Annîs pæniteat; si vero scienter, perpetuo careat Conjugio. *Quæ*: 3. *C. Si quis cum Matre*.

Frangentes Sponsalia Filiorum; & Filii si consenserint, & post dissenserint, tribûs Annîs Communione priventur. 31. *Quæ*:2. *C. Unico*.

Contrahens cum ea, quam polluit per adulterium, quinque Annîs pæniteat. 31. *Quæ*. 1. *Si qua*.

Cognoscens Uxorem adulteram antequam pæniteat, tribus Annîs pæniteat. 32. *Quæ*. 1. *C. si quis*.

Sacerdos, qui interest clandestinis Desponsationibus, triennio suspendatur. *De Cland. Desponsationibus C. Ultimo*.

Sacerdos accedens ad sibi confessam, vel quam fecit confirmari, duodecim Annîs pæniteat; & post retrudatur in Monasterium. Episcopus Annîs 15. Mulier vero tradatur Monasterio. 30. *Quæ*: 1. *Si quis Sacerdos*.

Filiam, vel Sororem Spiritualem cognoscens matrimonialiter, & ei consentiens. 7. Annîs pæniteat. 30. *Quæ*: 3. *Non oportet*. Pro

Pro incestu, vel coitu contra naturam, vel cum Brutis, plus quam 7 annîs, quia Clericus deponitur, Laicus excommunicatur. 33. *Quæ*: 2. *Hoc quæquam.*

Contrahens contra Interdictum Ecclesiæ, pæniteat uno mense, vel ad arbitrium. *Extra de Matrîm: contra Interdîc. Eccles. contra C.* 1.

Interfector Domini, vel Uxoris, nunquam equitet, nec vehiculo vehatur, nec contrahat Matrimonium: usquè ad 10. Annos, carnes non comedat, & vinum non bibat, & alia quæ habentur. 33. *Quæ.* 2. *Admonere.*

Matris Interfector armis depositis, 10. Annîs pæniteat. 32. *Quæ.* 2 *C. Latorem.*

Proprium Filium opprimens, tribûs Annîs & uno mense in pane & aqua pæniteat. si sit baptizatus. *De eis, qui Fil. Occi. C. Fin.*

Occidens Judæum, vel Paganum, 40. diebus, per insaniam non imputatur. 3. 2. q. *Indicas.* 15. *Quæ.* 1. *Aliquos.*

Homicida Episcopus 15. Annîs pæniteat, & deponatur & semper peregrinetur. Presbyter 12. Annîs, & tribus in Pane, & aqua, & deponatur, & Diaconus 10. Annîs & 3. in Pane, & aqua. 50. *Dist. Si quis Homicidium. Palea est.*

In necessitate inevitabili nihil quo ad peccatum. 50. *Dist: C. Quia Te.*

Pro casuali Homicidio, 5. Annîs pæniteat 58. *Dist: Eos, qui &c.*

Pro voluntario, sine spe restitutionis deponatur, & 7. Annîs pæniteat. 10. *Dist. C. Major.*

Occidens Clericum, aut Monachum, Diaconum, vel Subdiaconum, semper erit in Monasterio, nunquam ad sæculum reversurus, & 7. Annîs pænitentiam publicam agat, & arma relinquat. 17. *Quæ.* 4. *C. Qui occide:* Sacer-

Sacerdos se defendendo latronem interficiens, duobûs Annîs pœniteat. *De Homicidio C. in Clemen.*

Presbyterum interficiens 12. Annîs pœniteat. *Extra de pœnit. & Remis. C. 2.*

Manum in Episcopum, vel in Presbyterum mittens, & Ecclesiam vastans, aut impugnans, vel incedens omnibus bonis proscribitur, & semper in Monasterio inclusus pœniteat. 24. *Quæ* 3. *C. Quisquis per dolum.*

Incendiarius uno Anno erit ultra mare, vel in Hispania, & qui hanc Pœnitentiam relaxat, uno Annô suspenditur. 23. *Quæ. Fin. C. Pessimam.*

Comburens Ecclesiam 15. Annis pœniteat, & eam restauret. 17. *Quæ* 4. *Et Palea est.*

Domum vel Aream incendens, tribûs annis pœniteat. *De injuria, & dam. C. si quis.*

Lustrans Domum cum magiis, vel Incantationibus, vel aliud faciens, & qui ei consentit, & consuluit, quinque annis pœniteat. 26. *Quæ* 5. *C. Qui Divinationes.*

Raptor, seu Fur, vel direptor reddet in quadruplum Ecclesiæ ornamenta, alterius duplum, & septem annis pœniteat in Pane & aqua. 17. *Quæ*: 4. *Palea est.*

Clericus Fur, vel effractor, septem annis, Laicus quinquè, sed si vilis erat res, vel si bis furatus est, reddat, & uno annô pœniteat in Pane & aqua. 17. *Quæ* 4. *C. Si quis Clericus.*

Falsarius, quamdiu vivit, in Pane & aqua pœniteat. *De verbo sin. C. Novissimus.*

Dicens coactus falsum testimonium, si non sequatur mors accusato, duobus annis pœniteat, si sponte; quinque annis. *In Concilio Iliberitano, quod est in antiqua decretali, de fal. C.* 1. §. 1.

Pro falsa mensura 30. diebus in Pane & aqua *Extra de empti: & vendi:*

Scien-

Scienter falsum jurans, vel alium jurare compellens, 40. dies in Pane & aqua, & septem annos pæniteat. 22. *Quæ* 5. *C.* *Si quis convi:*

Injuste alium accusans ad mortem. 40. diebus in Pane & aqua jejunabit continuo, sive interpollate, & per septem annos pænitebit. non tamen in Pane & aqua, sed ad arbitrium Sacerdotis. Si vero per talem accusationem accusatus membrum perdiderit, accusans tribus Quadragesimis jejunabit 1*ma*. Ante Natalem Domini. 2*da*. Ante Pascha. 3*tia*. Ante Festum S. Joannis: quas Quadragesimas S. Petrus instituit, & hæc probatur. 22. *Quæ* 1. C. 1. *Et* 3. 6. *Quæ* 1. *Quicunquè.*

Pro Perjurio 40. diebus in Pane & aqua per septem annos, & semper erit in Pænitentia interiori. 6. *Quæ*: 1 C. *Quicunquè* 22. *Quæ* 1. *Prædicendũ.*

Compulsus conditionaliter dejurans, si est liber. 10. diebus, & sequentibus annis: & si servus, 3. Quadragesimas, & legitimas ferias. 22. *Quæ* 5. C. 1.

Dejurans pro Persona & rebus, vel pro aliqua necessitate. 3. Quadragesimas, vel 3. annos: & unam ex illis in Pane & aqua 22. *Quæ*: 5. *C.* *Si quis coactus.*

Qui contra suum Juramentum in Domini mortem machinatur, vel in ejus Regnum; sæculum & arma relinquat, & in Monasterium detrudatur, & toto tempore vitæ suæ pæniteat, & in fine tantum Communionem accipiat, si vero fuerit Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, degradetur. 22. *Quæ.* 5. C. *Si quis Laicus. Palea est.*

Jurans non redire ad pacem, uno anno pæniteat. 22. *Quæ*: 4. *C.* *Qui Sacramento.*

Sortilegus. 40. dies. *de Sortil.* *C.* 1:

Episcopus dissimulans corrigere venditionem Ministeriorum, 2. Mensibus; Sacerdos hoc agens 4.

Diaconus. 3. Subdiaconus, & alii Inferiores Judicis arbitrio. 1. *Quæ*: 1. C *Quidquid*.

Scienter rebaptizatus, si pro Hæresi hoc fecit, 7. annîs pœniteat. 4. & 6. feriis, & 3. Quadragesimas in Pane & aqua. Si vero propter Infirmitatem. 3. annîs pæniteat. Si vero ignoranter, non peccat: sed ideo non promovetur, licet sit excellens. De conscerat: *Dist*: 4 *Quibus*. *Extra de Apost C*: 2. & talis sit Monachus, & de foro Ecclesiæ, *De consecra*: *Dist*: 5. *C*: *Dictum*.

Si Episcopus, Presbyter. vel Diaconus, volens est rebaptizatus, pæniteat quamdiu vivit, alii vero Clerici: Monachi, & Moniales ab Hæreticis volentes rebaptizari, 12. annis pæniteant & tribus erunt inter Catechumenos, septem inter Pænitentes: & annis duobus eorum oblationes non recipiantur, Pueri vero post reconciliationem Communioni restituentur. *De conser*: *Dis*: 4. *C*; *Eos quoque*.

Episcopus invitum ordinans in Clericum sine justa Causa, per annum suspenditur. 64. *Dist*: *C*: 1.

Injuste excommunicans, uno mense suspensus est. *De sent*: *exc*: *C* Sacro.

Cantans Missam & non communicans, uno mense pæniteat, nec interim celebret. *De cons*: *Dist*: 2.

Celebrans excommunicatus tribus annis pæniteat. 2. & 6. Feriis à vino. & carnibus abstineat. 11. *Quæ* 3 *De illis*

Degradatus celebrans privatur Communione Corporis & Sangvinis Christi, usquè ad ultimum diem, & in excommunicatione maneat, & Viaticum tantum in fine sumat. 50. *Dist*: *C*: *accedens*.

Si Gutta Sangvinis Christi cadit in terram: Sacerdos quinquaginta diebus pæniteat; si super alta-

re, & transit ad unum pannum, duobus diebus, si usquè ad 2 quatuor diebus, si usquè ad 3. novem diebus: Si usquè ae 4. viginti diebus. *De Consecra: Dist:* 2. *Qui bene.*

Si incaute dimisit, quamvis nihil nefandi acciderit, tribus mensibus ab officio suspenditur. *Extra de Cust: Eucharistiæ C:* 1.

Communicans Hæretico inscius, & ex negligentia recipiendo, vel dando Communionem, unô annô; si vero scienter 5. annis. Quod si nesciens, permittat eum in Ecclesia celebrare, si vero propter Reverentiam, unum annum, si ad subversionem fidei, 10. annis, si autem fuerit Hæreticus 12. annis pæniteat. 24. *Quæ* 1. *Si quis dederit.*

Vomens Eucharistiam per ebrietatem, si Laicus est, 40. diebus. si Clericus 60 si Episcopus, 90. diebus: si infirmus 7. diebus pæniteat. *De Consecr: Dist: & Cap:* Si *per ebrietatem.*

Sacrilegus Chrisma, vel Calicem Sacrum polluens, septem annis pæniteat. In duobus non intrabit Ecclesiam, & usquè ad quartum non offeret, & singulis septimanis 3. diebus à carnibus, & vino jejunabit, & alia quædam. 12. *Quæ:* 2. *De Viro.*

Solemniter Pænitens, & postea ad vomitum rediens, 10. annis pæniteat. *De pænit: Dist:* 5.

Dicens blasphemiam in DEUM & Beatam Virginem; & Sanctos, 7. annis pæniteat, *secundum formam, quæ est de maledicis extra Cap:* Finali.

Qui in dicendo Horas Canonicas, & alia officia, discrepat à sua Metropolitana Ecclesia, ex contemptu. *Cap: de his.* 12. *Dist:* per sex menses Cōmunione privetur.

Revelans peccatum pænitentis deponitur, & ad agendam pænitentiam in Monasterium retruditur. *De pænit: Dist:* 6. *C: Sacerdos.*

Paro-

Parochus res Eccesiæ dilapidans, uno anno ex-communicetur. 16. *Quæ*: 7. *Finis.*

Violans votum simplex. 3. annis pæniteat. 27, *Dist*: C: *Si Vir.*

Hoc autem adnotatione dignum est, quod ubi ponitur pænitentia Septem, trium, vel paucorum annorum: vel Quadragesimarum à Jure & non adjungitur, qualiter illo tempore debeat quis pænitere, hoc relinquitur arbitrio Sacerdotis; cum pænitentiæ sint arbitrariæ ut supra prædixi, prudens autem Confessarius attentis conditionibûs ipsius pænitentis mitigabit de hoc rigore justitiæ, prout in Domino videbitur ei expedire, semper tamen considerando magis vel minus gravatam singulorum conscientiam, juxta cujus qualitatem, proportionatam injungendo satisfactionem, non vero æqualem omnibus & singulis eodem die confessis, prout minus docti solent facere. Et sicuti variis & specie diversis peccatis sunt Pænitentes obnoxii, ita diversa danda sunt à Confessario monita salutis, ac media, quibus in posterum, præsertim inhabituati peccata cavere debent.

SECTIO VI.

De quibusdam Decretis, ac Constitutionibus Summorum Pontificum scitu necessariis.

Ex quibus aliqua per extensum describam, reliqua ob prolixitatem Constitutionum succincte compillabo, cum adnotatione Originalîs, ubinam quæri debeat.

CON-

CONSTITUTIO CLEMENTIS X.

De Approbatione Confessarii.

Superna magni Patris-Familias &c:

Ex qua Constitutione aliqua magis scitu digna per Paragraphos recensebo prout sunt in Bullario per extensum; accessoria omittendo.

§. 3. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diæcesano Benedictionem petere; prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quòd si Episcopus Benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare, eosquè contravenientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato Censuris, aliisquè pænis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel: record: *Gregorii XV.* Prædecessoris nostri, incipientis: *Inscrutabili DEI Providentiâ*, coerceri & puniri posse. Episcopum tamen absquè justa & rationabili causa contradicere non debere; & hujusmodi Benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscunquè Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum Jurisdictioni subjectarum, licèt clausîs januîs, & nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus illos, quãvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absquè examine concedere consveverint, quoad doctrinam examina-

re, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licèt occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

.§ 4. Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absquè Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis Pænitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium Confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quo ad hoc speciali Episcopi approbatione: atquè approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemquè Confessores extraordinarios semel deputatos atquè approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse expletâ deputatione in vim approbationis hujusmodi istarum Confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum seu Collegiorum audire Confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt verè de familia & continui Commensales; non autem illorum, qui tantùm ipsis deserviunt: illos autem Religiosos, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint

erint, ab Episcopis generaliter quoquè & indiſtinctè absquè aliqua limitatione temporis cæterorumquè locorum, aut generis Personarum in Diæceſi propria admittendos: quo ad cæteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitatâ facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare & admittere, ſemel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diæceſi approbantis quovis anni tempore etiam Paschali & quorumcunquè etiam infirmorum Confeſſiones audire absquè ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia: de qua tamen Confeſſione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. & hoc poſſe illis ab Episcopo ſub pæna Suspenſionis à facultate audiendi Confeſſiones præcipi: ſufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat ſaltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

§. 5. Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis, Paschali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusq; ſexûs* quò ad Confeſſionem duntaxat ſatisfeciſſe censendos. Regulares vero ad ejusmodi Confeſſiones audiendas prævio examine ſimpliciter & absquè ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, ſecùs autem ab ejus Vicario, aut ab anteceſſoribus Episcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confeſſionibus audiendis ſuspendi, ſeu licentias illis conceſſas revocari, niſi novâ ſuperveniente causâ, quæ ipsas Confeſſiones concernat. De qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet; nec eam teneri Episcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ duntaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverint. (Eee3) §. 6.

§. 6. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabilili Episcopi judicio videantur à Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cùm præcipua Ministri Sacramenti Pænitentiæ qualitas sit vitæ integritas ac morum honestas; utiq; eam causam ad Confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbandos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis: Attamen Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventûs Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo inconsultâ Sede Apostolicâ nullatenus posse. Ex facultatibus per *Mare magnum*, aliave Privilegia Regularibus cujuscunquè Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam JESU concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis, & per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Conc: *Trid*: obtinuerunt, nequaquam revixisse Privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata atquè extincta, si quæ habebant absolvendi à Casibus Episcopo reservatis.

§. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere: posse autem regularem Confessorem in ea Diæcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia Diæcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem Pænitentes noverit in fraudem reservationis ad alienā Diæcesim pro absolutione obtinenda migrâsse: Vigore supradictorum Privilegiorum nequaquam

quàm licere Regularibus etiam satisfactâ parte absolvere Pœnitentes à Censuris quo ad externum & Judiciale forum, & absolutos ab eis in foro Pœnitentiali, utiquè non censeri absolutos in exteriori Judicio & contentioso. Quinimo Censuris Ecclesiasticis irretitos & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum Privilegiorum verba obscura sint & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cùm ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum Privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ judicio, prout aliàs Constitutione Prædecessoris nostri fel. recordationis *Clementis IV.* statutum fuit, esse requirendam.

§. 8. Decernentes, sic & non aliàs per quoscunq; Judices ordinarios vel delegatos quâvis authoritate & dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos & Nuncios, & quosvis alios, sublatâ eis & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere. Irritum quoquè & inane, quidquid secus super his à quoquam quâvis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, in favorem quarumcunquè Personarum atquè quorumvis Ordinum tam Mendicantium quam non Mendicantium &c: Datum Romæ 21. Junii 1670.

CON-

CONSTITUTIO BENEDICTI XIV.

Super designatione Confessariorum Extraordinariorum pro Monialibus.

Pastoralis Curæ nobis impositæ manus &c: quæ ob prolixitatē suā omittitur, ejus tamen speci- aliora puncta videantur superius, pag. 555. & est in Bullario ejusdem Benedicti XIV. Tom: 2. pag. 281.

CONSTITUTIO BENEDICTI XIV.

Contra Cōfessarios sollicitantes, quæ incipit.

Sacramentum Pænitentiæ &c: edita 1. Januarii 1741. & est in Bull: Tom: 1. pag. 30.

In qua Pontifex §. 2. non jubet absolvere eos pænitentes, qui solicitantes Confessarios nolunt denunciare.

§. 3. Qui autem falsò accusarent Confessarium, tanquam calumniatores non possunt absolvi, nisi à solo Papa.

In eadem Constit: §. 4. qui incipit, *Demum,* adimit potestatē Confessariis absolvendi peccata luxuriæ illarum Fæminarum cum quibus ipse Sacerdos peccavit, seu respectu cujus peccati ipse Confessarius est complex facti, sub Excommun: majori soli Papæ reservata. Nisi talis Pænitens sit constitutus in articulo mortis, & alius Confessarius protunc haberi non possit, extra mortis articulum pro invalida habet hujusmodi absolutionem tanquam à Sacerdote nonapprobato; etiam tempore Jubilei.

Idem

Idem Benedictus XIV. in Constit: quæ incipit. *Suprema omnium Ecclesiarum.* &c: serio prohibet Confessariis, ne à Pænitentibus Confessarii exquirant sociorum in crimine nomina. Quæ reperitur in Bullario ejusdem Benedicti XIV. Tom: 1. pag: 326.

Quam postea confirmavit 2. Junii 1746. *Ubi primum* &c: quæ habetur in Bullario. Tom: 2. pag. 33. in qua Confirmatione, & pænas statuit delinquentibus Confessariis, & modum assignat procedendi contra illos:

Postea crescente ubiquè locorum hujusmodi abusu, sive illicita curiositate exquirendi Complicum nomina; idem Benedictus 28. Septembris 1746. in Constitu· quæ incipit, *Ad eradicandum* &c: Jam iterato statutas pænas extendit ad universam Ecclesiam. Hæc Constitutio reperitur in Bullario Tom: 2. pag: 87.

Tandem 5. Decembr. 1749. pleniùs contra taliter delinquentes Confessarios statuit pænas in Constit: quæ incipit: *Apostolici Ministerii* &c: & est in Bullario Tom: 3. pag: 59. In qua Constit. §.7. Omnibus fidelibus (sub pænis quibus arcentur nolentes denuntiare sollicitantem Confessarium) præcipit ut talem Confessarium inquirentem in Confessione Complicum nomina: & aliter nolentem absolvere deferant S. Inquisitionis Officio, vel ubi hoc non habetur, Ordinario Loci.

Excusantur tamen ab hac obligatione ille pænitens, qui in Confessione fuit requisitus à Confessario ad manifestandum nomen Complicis; sed solum obligantur ad denuntiandum alii omnes qui aliunde quam in Confessione didicerunt aliquem Confessarium exquirere nomina Complicum.

DECRE-

DECRETUM CLEMENTIS PAPÆ XI. Circa Celebrationem in Oratoriis privatis, emanatum. 15. Decembris. 1703.

Nonnulli Episcopi, & complures Regulares sub prætextu Privilegiorũ ea sibi licere putant, quæ prohibita sunt. Siquidem Episcopi, etiam in aliena Diæcesi extra domum propriæ habitationis in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare ibiq; per unum aut plures è suis Capellanis vivifi am Christi hostiam immolare; Regulares vero in quibusdam Magnatum, seu aliarum nobilium Personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoquè ex causis à Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quam in iis sit indultum, vel absquè præsentia personarum, quarum contemplatione, gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diæcesanas, aut etiam Decreta S. Congregationis Concilii celebrari prohibetur aut quæ in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur quò minùs in illis celebrari possit, aut etiam Altari Portatili uti non verentur in Sanctarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam veneratione͂, tremendo Mysterio debitam, Sanctissimus Dominus Noster ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus, aliàs hac de re editis, expresse declarat, Episcopis & his majoribus Prælatis, etiamsi Cardinala-

dinalatûs dignitate fulgentibus, nequè sub prætextu clausi in Corpore Juris, nequè alio quocunque titulo nullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus Laicis; etiam in propria Diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Diæcesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibiqué Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut instituti, seu Congregationis, etiam Societatis JESU, aut etiam cujusquè Ordinis militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscunquè Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisquè anni Festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis: in reliquis vero diebus prædictis Regularibus,, & Sacerdotibus, quibuscunq; etiam Episcopis in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata, super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime informare; atquè illa etiam in casibus permissis celebrari nequeat post meridiem, demandando ulterius, ac declarando in omnibus hujusmodi casibus Personas quascunquè, dictas Missas audientes, nullatenus Præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quò vero ad Altare Portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit licentias, seu Privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. *In his.* De priv., & per aliquot Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari Portatili, in eoquè celebrandi absquè Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium (Tridentinum) at-

que

què idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur; ac mandandum, prout præsentis tenore mandat Episcopis aliisquè Ordinariis locorum, ut contra quoscunquè contravenientes, quamvis Regulares, procedant etiam tanquam *Sedis* Apostolicæ Delegati ad pænas præscriptas per idem *S.* Concilium in dicto Decreto *Ses.* 22. Cap. unico, usquè ad Censuras latæ sententiæ, tributâ etiam iisdem facûltate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde ac si per S. Sedem specialiter concessa fuisset. Et ita *Sanctitas* sua declarat, & servari mandat.

Cardinalis Panciaticus Præfectus.

EPISTOLA ENCYCLICA BENEDICTI XIV.

Ad Primatem & Episcopos Regni Poloniæ,

De tollendis abusibus in Oratoriis Privatis, quæ sunt in Domibus Laicorum.

Hæc Epistola incipit: *Magno cum animi nostri dolore &c:* edita 2. Junii 1751. quæ ob prolixitatem suam non potest per extensum in hac modica pagina describi, facile tamen inveniri potest in Bullario Benedicti XIV. Tom: 3. pag. 216.

Breviter itaq; recensebo specialiora puncta in eadem Epistola expressa, citando Paragraphos.

§. 11. Commemorat omnibus Polonis quomodo in Concilio Trid. operâ Cardinalis Osii Poloni statutum fuerat ut non amplius Episcopi habeant Facultatem concedendi usum privati Oratorii in domibus Laicorum ac celebrandi Missam in illis, ut videre est Sess. 22. ejusdem Concilii Trid:

§.

§. 14. Requirit idem Summus Pontifex ut in privato Cratorio adsit omnino una saltem Persona ex illis quibus concensum est privilegium Oratorii, quales Personæ solent esse Maritus & Uxor, quibus inscriptæ sunt Literæ privilegii. Nisi præter istas exprimantur in corpore Indulti aliæ Personæ vg. Mater, aut Pater, vel Filii Patrisfamilias quibus concessum erit audire Missam diebus festivis in privato Oratorio cum satisfactione Præcepti Ecclesiastici de audienda Missa

Tunc in tali casu sufficit ad celebrationem Missæ in Oratorio privato quæcunquè ex his expressis Personis quibus Indultum favet. vg. Si adsit præsens Mater vel Pater ipsius Patrisfamililias cui principaliter concessum est Indultum, ut expresse explicat in eadē Epistola §. 17. qui incipit *Adque ut res &c.*

§. 18. Resolvit Pontifex quorumdam dubium de Oratorio privato concesso Personæ Valetudinariæ; utrum in illo possunt tres Missæ absolvi in die Nativitatis Domini? Respondet Papa posse, propter consolationem infirmi, etiamsi de die unica tantum Missa in Indulto permittatur celebrari.

§. 19. Extra casus necessitatis prohibet ne administrentur Sacramenta Baptismi & Pænitentiæ in privatis Oratoriis, nisi quo ad hoc exigat vel necessitas, vel specialis facultas Episcopi. Quod idem asserit, sequentibus Paragraphis. Ex quo patet quod ultra Indultum de celebranda Missa in privato Oratorio debet haberi specialis ab Ordinario facultas de administrandis Sacramentis. In casu tamen infirmitatis alicujus ex domesticis indultariis, poterit Capellanus Confessionē audire & Eucharistiam dare. *Ratio est:* quia in Regno Poloniæ & maxime in Russia magna est distantia Ecclesiarum

rum. Tum quia major videtur irreverentia V. Sacramento Eucharistiæ si ex Ecclesia Ruthenorum nullis comitantibus deferretur ad infirmum, quam si infirmus communicaret in Oratorio privato.

§. 22. Prohibet Regularibus ne Dominicâ Paschatis tribuant Laicis SS. Eucharistiam etiam illis qui jam aliàs feria Cænæ Domini Paschalem sumpserunt Communionem, aliis vero diebus totius anni, concedit facultatem distribuendi Eucharistiam Laicis juxta Constitutionem Pauli IV. concedentis Fratribus Minoribus.

§. 27. Contra Capellanos inobedientes concedit Episcopis procedere per Censuras.

§. 29. Concedit Regulares olim habuisse Privilegium Altaris Portatilis; nunc vero per Trid: Sess: 22. est funditus abrogatum.

§. 31. Narrat idem SS. quod post Trid: Concilium in illis tantum locis concessa sunt Oratoria privata, in quibus aut non est Ecclesia, aut quia propter Hæreticorum potentiam Fideles ad illam non sine gravi periculo pervenire possunt.

Porro in Regno Poloniæ non sunt quidem ita frequentes Hæretici, in Russia tamen pluribus in in locis desunt Ecclesiæ.

§. 32. Narrat SS. quod anno 1580. Gregorius XIII. dedit facultatem Provincialibus Ordinis Prædicatorum in Regno Poloniæ, quatenus suis subditis possint concedere ut in locis honestis sive in privatis Oratoriis celebrent Missam in præsentia Catholicorum.

Quam concessionem Gregorii XIII. ex una parte non abrogat idem Benedictus XIV. in sua Epistola ad Primatem Regni Poloniæ, ex altera parte nos FF. Minores habemus Communicationem Privilegiorum cum S. Ordine Prædicatorum novissime concess-

concessam à Benedicto XIII. in Constitutione. *Summe decet &c.* ergo videtur esse concessa facultas etiam nostris Provincialibus pro tempore existentibus. Porro Gregorii Concessio fuit post Trident.

§. 34. Prochibet Regularibus exorcizare etiam in propriis Ecclesiis multo magis in alienis, nisi prius fuerint approbati ab Ordinario loci.

EPISTOLA ENCYCLICA BENEDICTI XIV.

De Missa Parochiali pro Populo, & Conventuali pro Benefactoribus applicanda.

Cum semper nobis oblatas occasiones &c. Quæ fuit edita 19. Augusti 1744. & reperitur in Bullario ejusdem Benedicti XIV. Tom 1. pag: 222. quæ ob prolixitatem omittitur, specialiora tamen puucta magis scitu necessaria adnotantur, prout sequitur.

§. 4. Jubet Pontifex ut Missam Parochialem absolvant pro Parochianis non tantum ipsi Parochi, sed in absentia eorum Vicarii tam sæculares quam Regulares pro tempore existentes etiam ad breve tempus. Non obstante defectu, congrui redditus ex Parochia.

§. 6. Assignat dies quibus pro Parochianis Missa directe absolvi debet, nempe: Dominicas & Festa de Præcepto sive celebria ad populum, Quibus diebus juxta Trid: Sess. 34. cap. 4. tenentur Parochi Rudimenta Fidei & obedientiam erga DEUM & Parentes docere Pueros suæ Parochiæ.

§. 8. Dispensantur Pauperes Parochi, quatenus diebus festivis possint absovere Missam ad intentionem

tentionem dantis ſtipendium, cum hac tamen obligatione, ut alio die ejuſdem Hebdomadæ Parochialem Miſſam celebrent cum applicatione pro Parochianis, quam ratione ſtipendii dati applicare die Feſto omiſerunt.

Anno 1626. Die 1. Junij emanavit Decretum S. Congr: de Propag. Fide, quo ad Confeſſiones excipiendas Ruthenorum à latinis Presbyteris, & è contra; Latinorum à Ruthenis Presbyteris unitis, & ab Epiſcopis approbatis, in quo Decreto prohibetur Epiſcopis tam Latinis quàm Ruthenis, ne ſuis ſubditis denegent facultatem adeundi Confeſſarios diverſi Ritûs.

CONSTITUTIO
BENEDICTI XIV.

In qua Presbyterys in Ruſia Polonica digentibus permittitur in Ruthenorum Unitorum Eccleſiis, defficientibus Lapideis Altaribus ſeu Tabulis conſecratis & Calicibus aureis ſive argenteis, Miſſarum Sacrificia ſuper eorundem Ruthenoorum Antimenſijs & cum Calicibus è ſtannô celebrare.

Ponitur per extenſum hæc Conſtitutio.

Ad futuram rei mememoriam.

Impoſito nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio, convenit univerſæ Chriſti Familiæ toto terrarnm Orbe diffusæ neceſſitatibus animum diligenter intendere, maxime vero Fidelium Eccleſiæ Miniſtrorum in remotis Regionibus pro animarum ſalute laborantium preces benigne ſuſcipere, eorumquè oportuno levamini, ac Spirituali Conſolationi, etiam

etiam per congruæ dispensationis indulta, prout rerum, locorum, & temporum rationes, ac veneranda Majorum Nostrorum exempla suadent, consulere, & providere.

§. 1. Sane dudum dilecti Filii Presbyteri Latini Ritus Apostolicas Missiones per Russiam Polonicam exercentes Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandæ Fidei Præpositorum exponi curarunt, quod quum in tota Russia, ac potissimum in montibus Pokuciæ, in Podolia, in vastissimis Ukrainæ Regionibus, & in universa fere Russia alba nuncupata, frequentes quidem sint Ruthenorum Unitorum Ecclesiæ, rarissimæ vero Latini Ritus; cumquè ipsi pro missarum celebratione Lapideas Sacratas Tabulas & Calices aureos vel argenteos per longa & difficilia itinera, sine gravi incōmodo, & sine periculo confringendi easdem Tabulas & Calices, secum deferre non valeant: idcirco nisi facultas ipsis concedetur, celebrandi Sacro Sanctum Missæ Sacrificium super dictorum Ruthenorum Antimensiis ut vocant, & Calices eorumdem è stanno ut moris apud illos est, confectos adhibendi, necesse ipsis erit ab ejusdem Sacrificii celebratione plerumquè abstinere; multiquè præterea Latini Ritus Fideles, qui ab Ecclesiis ejusdem Ritus longe degunt, Sacerdotis Latini præsentiâ à quo Sacra Misteria peragantur, omnino carebunt; prout re ipsa sæpe, gravissimo cum animarum detrimento, per plures annos carere dignoscuntur. Proindequè demissis precibus postularunt, ut sibi concederetur hujusmodi facultas, Sacrosanctum nempe Missæ Sacrificium, etiā sine lapidea Sacrata Tabula celebrandi super Antimensiis Ruthenorum Unitorum, atquè in Missarū

celebratione eorundem Ruthenorum ſtanneos Calices adhibendi.

§. 2. Cum autem hujusmodi Miſſionariorum preces, à dicta Cardinalium Congregatione propagandæ Fidei negotiis præpoſita alterius Congregationis Venerabilium quoque Fratrum noſtrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium adversus Hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum examini & Judicio, de more remiſſæ fuerint; & conſequenter de iis actum fuerit in conſeſsu corum Nobis habito Die 22. Januarii elapſi anni 1750. Nos tunc ut ad Generale rescriptum ſuper his edendum mature procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apoſtolica Sede Decretum fuiſſet in unum, colligi juſſimus; ac præterea Venerabili Fratri Episcopo Zenopolitano, qui tunc opportune in Curia præsens aderat, quique & antea diu in Polonici Regni ditionibus atq; in Eccleſiaſticis Catholicorum Latinorum, Græcorumquè Unitorum negotiis, Apoſtolicæ Sedi eggregiam operam navando versatus fuerat; & deinde ad easdem Regiones, & ad eosdem labores laudabiliter proſequendos; non obſtantibus itinerum difficultatibus expenſisquè redire non dubitavit; mandavimus, ut nos ſuper expoſitorum veritate inſtructos redderet, ſuamquè nobis ſententiam ſuper hujusmodi poſtulatis, tam voce quam ſcripto aperiret. Nunc vero exhibitis nobis præcedentium Decretorum monumentis, iisquè per nos accuratè perpenſis atque omnibus, quæ in dictis precibus narrata fuerant, præfati Episcopi Zenopolitani Teſtimonio comprobatis; quum is præterea nobis retulerit, complures eſſe in iis Regionibus Presbyteros Latini Ritûs, & quidem DEUM timentes, qui in ſupradictis necesſitatibus cō-
ſtituti

ftituti minime dubitant fuper Antimenfiis Græcorum Unitorum absquè lapidea Tabula Miffa um Sacra facere; ejusdemquè Confilium fuerit, quod ficuti Græcorum Unitorum Presbyteri, quoties id rerum opportunitas fvadet, propriis Antimenfiis relictis, Miffarum Sacrificia offerunt fuper lapideis Latinorum Tabulis; ita ad conftitutam feliciter unionem magis magifquè ftabiliendam non parum conduceret, Latinis Presbyteris, liberam facultatem concedere, ut ubi necesfitas fic exigere dignoscatur deficiente nimirum lapideâ Altaris Tabulâ Miffas celebrare valeant fuper eorundem Græcorum Unitorum Antimenfiis; his omnibus attente perpenfis, in hanc deniquè fententiam devenimus, ut prædictis Sacerdotibus Latini Ritûs in Rusfia Polonica degentibus permitteremus in Ruthenorum Unitorum Ecclefiis, deficientibus lapideis Tabulis de more consecratis, & Calicibus aureis, five argenteis, Miffarum Sacrificia fuper eorundem Ruthenorum Antimenfiis & cum Calicibus è ftanno, qui apud illos in usu funt, fine ullo conscientiæ fcrupulo celebrare.

§. 3. Porro, quod attinet ad Calices ftanneos, omisfis iis, quæ repeti poffent ex priorum Ecclefiæ fæculorum memoria, quum fcilicet & lignei & & vitrei Calices in Altaris Minifterio adhibebantur, ut oftensum à nobis eft in tractatu *de Sacrificio Miffæ Seffione* 1. §. 26. *& fequen. Latinæ editionis Patavinæ:* nullum generale Decretum proferri poteft, quo vel hodie vetitum fit hujusmodi Calicibus è ftanno confectis in Miffa uti, fi Ecclefiarum, vel Sacerdotum paupertas tanta fit, ut majoris prætii vasa comparari nequeant; quinìmo *in Can: ut Calix, de Confec: dift: ıma* hæc expreffa verba leguntur *Si quis autem tam pau-*

per est, saltem vel stanneum Calicem habeat. Et quidem ad comprobandam asserendamquè hujusmodi Ecclesiæ Indulgentiam plura leguntur apud S. Thomam *3tia Part. Quæst:* 83. *Art:* 3. *ad sextum* aliosquè Scriptores de hoc disciplinæ Capite agentes: Quart: *ad Rubrîcas Missalis Part:* 2. *Titulo* 1. *Sect.* 1. *dub:* 1. *paragraph. colligitur,* Pasqualig *de Sacrificio novæ Legis Tom.* 2. *Quæst.* 764. Biss. *Hierurgia Sacra in verb: Calix* §. 2.

§. 4. Quod vero spectat ad alteram optati Indulti partem, satis quidem constat in Ecclesia Latina nequaquam celebrari posse Incruentum Missæ Sacrificium, nisi super Altari, quod vel totum Rite Consecratum fuerit, vel saltim super impositum habeat consecratum Lapidem, qui *Tabulæ Altaris* nuncupatur; qua etiam de re egimus in dicto tractatu *de Sacrificio Missæ cit: Sec:* 1. §. *2do. & Sequenti* In Græca autem Ecclesia hujusmodi Sacrati Lapides minime sunt in usu; sed ibi à pluribus jam sæculis in more positum est, ut, ubi Altare Solemni Consecratione totum, dedicatum non fuerit, loco Lapideæ hujusmodi Tabulæ super Altaris Mensa aptetur linteum quoddam Episcopali Benedictione Consecratum, in cujus angulis *SS.* Reliquiæ reconditæ sunt, quodquè vocatur *Antimension* & super ipso Sacra Mysteria conficiantur; ut apud Auctores de rebus Liturgicis tractantes videre licet *Goar: in notis ad Euchol. Græc: pag:* 521. *Venetæ editionis,* Christianus Lupus *in Synodos General: & Provincial: in disert: de S. Leonis IX. actis Cap:* 13. *Bruxellen. Editionis part.* 3. Renaudot *in collectione Liturgiarum Orient Tom.* 1. *pag:* 182. *edit Parisien.* Magri *in notitia vocabulorum Ecclesiast: in verba. Antimensia* Card. Bona. *Rer: Liturgicar Lib:* 1. *Cap.* 20. § 2. ejusquè commentator

mentator Robert. *Sala Tom. 2' pag.* 70. *numero* 4. *Taurinen. Editionis.*

§. 5. Quum vero nunquam Ecclesiæ Latinæ mens fuerit, ut Græcorum Ritus destrueret, quin potius eorum semper conservationi quantum fas esset, nec non eorumdem apud Græcos Fideles observantiæ prospexerit; nunquam proinde Missarum Celebrationem, quæ super hujusmodi Antimensiis à Græcis Catholicis fit, improbavit, sed eam, & quidem non in partibus Orientis dumtaxat, verum etiam inter ItaloGræcos permitti expresse declaravit; ut videre licet tum in institutione per Fel: Record. Prædecessorem nostrum Clementem Papam VIII. edita, tum in nostra Constitutione, quæ incipit· *Etsi Pastoralis*: *Bullarii Nostri Tom*: I. *Const.* 57. § 6. *num*: 17.

§. 6. Quum vero in iis Regionibus, in quibus ItaloGræci sunt, Latini quoquè frequentes habitent, atquè ibidem tam unius, quàm alterius Ritûs Ecclesiæ adsint, ita ut absquè ullo impedimento & sine gravi incommodo unusquisque Presbyter proprii Ritûs Ecclesiam adire valeat; nulla sane causa est ob quam Latinis earum partium Presbyteris permitti debeat, contra constantem Ecclesiæ Latinæ disciplinam sine Sacrata Altaris Lapidea Tabula Missas celebrare, easquè super Græcorum Antimensiis offerre; quod ipsis proinde in citata nostra Constitutione vetitum fuit, eodem §. 6. num. 19.

§. 7. Sed aliter se res habent, ubi de Regionibus agitur, in quibus Latini Presbyteri ab Ecclesiis Latini Ritus longe degentes, quum Sacratas lapideas Tabulas per longa itinera sine gravi incommodo, & sine periculo eas confringendi, secum defferre nequeant, vel Missæ celebrationem

pæintus

pænitus omittere, & sic Latinos Fideles sine Sacrificio proprii Ritûs, & sine Mysteriorum participatione relinquere, vel eam super Græcorum Antimensiis peragere compelluntur. In hujusmodi rerum circumstantiis Apostolicæ Sedis provida Indulgentia jam dudum enituit quum scilicet Anno 1602. ad supplicationem tunc existentis Episcopi Vilnensis prædictæ Cardinalium Inquisitorum Generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipso etiam Prædecessore nostro Clemente Papa VIII. approbante rescriptum fuit: *Sacerdotes Rutheni non Schismatici, in Ecclesiis Catholicorum Ritûs Latini, Altaribus, Calicibus, & Vestibus Sacris eorumdem Catholicorum uti, & Missam celebrare possint, in casu necessitatis, ac etiam solùm devotionis causâ, dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et è contra Sacerdotes Ritus Latini in Ecclesiis Ruthenorum non Schismaticorum, Altaribus & Calicibus, ac Vestibus Sacris uti, & Missam celebrare valeant Ritu tamen Latino. Et prædicta serventur secluso omni scandalo, & de licentia Prælatorum, & Rectorum ipsarum Ecclesiarum.*

§. 8. Nos igitur, præmissæ necessitatis intuitu, atquè etiam hujusmodi Decreti consideratione adducti, præsentium literarum tenore, atque ex certa scientia, & Apostolicæ Auctoritatis plenitudine, salvis præfati Clementis VIII. nostrisquè super Ritibus ItaloGræcorum editis Constitutionibus & Ordinationibus non modo relatum superius Decretum approbamus & confirmamus; verum etiam præfatis omnibus Missionariis, aliisquè Sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica nunc & pro tempore commorantibus, ut ipsi & eorum quilibet in Ecclesiis Ruthenorum Unitorum, deficientibus Lapideis Altarium Tabulis Rite Consecratis

cratis, super Sacris eorundem Ruthenorum Antimensiis Missarum Sacrificia celebrare, atque etiam ut supra dictum est, in hujusmodi Celebratione eorumdem Calicibus stanneis uti libere, & licite possint, & valeant, concedimus, & indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis seu Generalium aut Provincialium, vel Synodalium Conciliorum contrariis Constitutionibus & Ordinationibus sive locorum, Personarum, aut Ordinum Statutis, Ritibus, usibus, & consvetudinibus, etiam immemorabilibus cæterisque in contrarium facientibus quibuscunquè.

§. 9. Volumus autem, sicut in præmisso Decreto expresse cautum reperitur, ut dicti Missionarii, & Sacerdotes Latini, etiam quum eos vigore præsentis concessionis super Ruthenorum Unitorum Antimensiis Missam celebrare contigerit Latino semper Ritu eandem celebrare teneantur; firma nimirum & in suo robore permanente Apostolica Constitutione à Fel: Record: Prædecessore quoque nostro Sancto Pio Papa V. edita quæ incipit: *Providentia Romani Pontificis, Consti:* 12. *Tom:* 2. *Bullar. Rom: edition: Luxemburg*, per quam omnes facultates, & indulta, tam Græcis, ut Missas, & Divina Officia Latino Ritu celebrare possent quam etiam Latinis concessa, ut eadem Græco Ritu peragere valerent, revocata, atquè perpetuo sublata fuerunt: quamque nos etiam earundem præsentium tenore, quatenus opus sit, dictaquè Auctoritate confirmamus, & innovamus.

§. 10. Volumus insuper ut iidem præsenti Indulto celebrandi super Græcorum Antimensiis, in Prædictorum Ruthenorum Ecclesiis dumtaxat, (quemadmodum etiam in præmisso Decreto legitur) uti, & gaudere possint; si vero eosdem in

aliqua

aliqua Latina Ecclesia, seu in domesticis Latinorum Oratoriis, quæ forsan auctoritate Apostolica in hujusmodi Latinorum privatis domibus, cum licentia celebrari faciendi, quæ adhuc vigeat, erecta fuerint, Sacrosanctum Sacrificium offerre contigerit, illud vel super Altari consecrato, vel super Lapidea pariter Consecrata Tabula, quæ etiam *Altare Portatile* apellatur, non autem super Antimensiis hujusmodi, celebrare omnino debeant.

§. 11. Volumus deniquè, ut præsentium Literarum exempla, etiam impressa publici Notarii subscriptione, & Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ Sigillo munita, eandem omnino, ac ipsæ præsentes ubicunque opus fuerit, Fidem & auctoritatem obtineant.

§. 12. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostræ Concessionis, Indulti, Statuti, Decreti, & Voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorũ Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S: Mariam Majorem Annô Incarnationis Domini 1751.IV. Kalendas Aprilis, Pontificatûs Nostri Annô 11.

Præter has sunt & aliæ Constitutiones ac Encyclicæ Epistolæ Benedicti XIV. ad Arhiepiscopos, & Episcopos Abbates *&c:* Ritus Græci in Russia & Lithvania degentes quarum longam seriem recensere exigua pagina non permittit. Ut autem pro opportunitate temporis facilius inveniri possint in Bullario ejusdem Papæ Benedicti XIV. breviter adnoto illas.

Annô 1744. Die 2. Maii *Confirmatio Unionis* & alia plura Decreta ad Regimen Ruthenorum pertinentia

nentia ſcripta ad Ill. ac Rev. Athanaſium SZEPTYCKI Archiepiſcopum Metropolitanum totius Ruſſiæ quæ incipit: *Inter plures*. Et eſt in Bullario Tom. 1 pag. 210.

Annô 1751. Die 20. Aprilis ſcripſit idem Benedictus XIV. Epiſtolam Encyclicam ad omnes vocales Ordinis S. Baſilii Magni in Capitulo generali convocatos quæ incipit: *Et ſi perſvaſum habemus* Quæ Epiſtola reperitur in Bullario ejuſdem Papæ Tom. 3. pag. 208.

CONSTITUTIONES BENEDICTI XIV.

De Matrimonio.

Admonitio.

AD Epiſcopos Poloniæ, ut cautius procedant in admittendis Conjugiorum diſsolutionibus edita 11. Aprilis. Anno 1741. quæ incipit: *Matrimonii.* & eſt in Bullario ejuſdem Benedicti XIV. Tom. 1 pag. 27.

A. 1741. Die 3. Novemb. in Conſtit. quæ incipit. *DEI miſeratione*, ſtatuit; coram quibus, & quo ordine, ac forma, peragenda ſunt Matrimonialium Judicia; quæ Conſtitutio reperitur in Bullario Tom. 1. pag. 49.

Annô 1741. Die 4. *N*ovemb. in Declaratione ſua, quæ incipit *Matrimonia*. eſtquè in Bullario, Tom. 1. pag. 53. decernit Matrimonium eſse validum, inter Hæreticum & Catholicam Fæminam, aut inter ambos Hæreticos non obſtante, quod in illo contrahendo juxta Decretum Concil. Trident. non fuerit præſens Parochus; damnat tamen primum Matrimonium, tanquam illicitum, ut videre eſt in eadem Declaratione §. 3. nequè in talibus Matrimoniis concedit facultatem diſpenſandi Epiſcopis, niſi

nisi Hæreticus prius omnino abjuret Hæresim, antequam contrahat Matrimonii Sacramentum cum Catholica, nec sufficit, si promittat se abjuraturum, ut patet ex Constitutione ejusdem Benedicti XIV. ad Episcopos Poloniæ ordinata A.1748. Die 29. Junii, quæ incipit. *Magnæ Nobis admirationis* &c. & est in Bullario Tom. 2. pag. 247.

Porro Matrimonium Hæbrei aut alterius non baptizati cum Hæretica, vel Catholica, est invalidum, estquè reiterandum; postquam Judæus Baptismum susceperit, ut patet ex declaratione ejusdem Benedicti XIV. edita A. 1749. Die 9. Februarii, quæ incipit. *Singulari.* &c. & est in Bullario. Tom. 3. pag. 2.

Annô 1742. Die 25. Februarii in Constit. quæ incipit. *Ad Apostolicæ* &c. & est in Bullario Tom. 1. pag. 77.

In qua Constittione statuit. §. 1. Nullam esse dispensationem Matrimonii si falsa ratio Sedi Apostolicæ à Procuratoribus describatur, vel immutetur, aut superaddatur causa dispensandi, quæ in rei veritate non est, talesquè jubet serio puniri, tanquam reos falsi in gravi materia. § 6. obligat Episcopos sub onere conscientiæ, ut antequam Dispensationis gratiam exequentur, prius sedulo examinent, an causæ Dispensationis in Apostolicis Literis expressæ sint veræ?

A. 1743. Die 18. Maii in Constit. *Nimiam licentiam*: quæ est in Bullario Tom. 1 pag. 168. Damnat & arguit abusus in Regno Poloniæ, circa Matrimonia ineunda, exprobrans Polonis, nullibi in toto Orbe Christiano tam adesse frequentes dissolutiones ac Divortia Matrimoniorum, quam in Regno Poloniæ. Causas controversiarum de invaliditate assignat has §. 5. I. Quia pro suo libitu

abusive

abusive dant Episcopi indulta, quo ad denuntiationes non faciendas in facie Ecclesiæ. II. Quia ex levissima causa committitur assistentia alteri Sacerdoti, quam proprio Parocho. III. Quia Matrimonium contrahitur in Polonia non in facie Ecclesiæ, sed in angulo Domûs Magnatum. IV. Quia Parochi à Sponsa & Sponso privatim, & ad aurem non explorant liberam voluntatem.

§. 9. Gravissimam causam requirit Papa in dicta Constitut: ut alter, quam Parochus proprius Matrimonio de præsenti contrahendo intersit.

§ 10. Dat Regulas Parocho I. Ut ante Denuntiationes Sponsæ & Sponsi voluntatis libertatem ad aurem exploret, ac inquirat, utrum aliquod impedimentum non interveniat? II. Juxta Decretum Concil. Lateran. & Trident. trinas Denuntiationes faciat, ut ex illis audientes aliquod occultum impedimentum detegant.

§. 16. Nuntio Apostolico Varsaviæ sedenti adimit potestatem Dispensandi in Denuntiationibus.

§ 17. Graviores Episcopis minatur pænas, si hanc Constitutionem non observent, promittens: Judicium causarum Matrimonialium Poloniæ, quo ad primam etiam Instantiam sibi reservaturum.

Hæc placuit recensere, quia dicta Constitutio specialiter ordinata est, à Benedicto XIV. pro Regno Poloniæ.

CONSTITUTIONES BENEDICTI XIV.

De Jejunio.

Annô 1741. Die 30. Maii, quæ incipit. *Non ambigimus* &c. & est in Bullario Tom. 1. pag. 29. in qua Constitutione monet Episcopos, ut tollant abusus non jejunantium in Quadragesima; neminemquè

nemquè licentient absquè legitima causa, & judicio Medici.

Annô 1741. Die 22. Augusti, quæ incipit. *In suprema*. &c. & est in Bullario Tom. 1. pag. 39. In qua explicat Superiorem Constitutionem; unam duntaxat assignando de die comestionem in Quadragesima dispensatis à carnibus, nec concedit talibus simul manducare pisces, nec quidem ad Mensam apponere. Quam Constitutionem confirmavit A. 1742. Maii explicando dubia Archiepiscopo Valentiæ, circa præcedentes Constitutiones in declaratione, quæ incipit. *Cognovimus &c*:

A. 1744. Die 8. Julii in Declaratione quæ incipit. *Si Fraternitas tua*. Plenius circa Jejunium pro dispensatis, quo ad carnes manducandas, dubia quædam resolvit ArchiEpiscopo Compostellæ, Idem Benedictus XIV. prout sequuntur.

Dubium I. *Utrum quæ in antedictis nostris literis in forma Brevis de unica comestione, & de Epulis non permiscendis: præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?*

Respondemus. Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur sub gravi ad binas ipsas Conditiones implendas obligari.

II. *An ii quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula, ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?*

Respondemus; non licere: sed opus habere eo cibo, eaquè uti potione, quibus utuntur homines, jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

III.

III. An qui Jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica commessatione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus cum habeant?

Edicimus observandum iis esse,

IV. Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi.

Respondemus. Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoquè utrumquè simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.

V. An Præceptum de utroquè epularum genere non miscendo dies quoquè Dominicos Quadragesimales complectatur?

Affirmatur complecti.

VI. *Utrum hæc Lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticinia?*

Rescribimus. Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis literis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusquè sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione se se solutos esse arbitrentur præscriptis ibi Legibus.

VII. *Utrum memorata duo Præcepta urgeant extra Quadragesimam?*

Respondetur, urgere extra Quadragesimam utrumquè Præceptum; illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis; & alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis ut in quarto postulato definitum est.

Aliæ

FINIS

Ad Majorem DEI Gloriam.

MENDA

Emenda.

PRo ſua bonitate & prudentia Lector Benevole, quæ licet omni quà potui diligentiâ cavere per biennium ſtudui, tamen me invito plures irrepſere errores, ex quibus principales ſubnecto.

Paginâ 27. Num. 17. in Reſponſione tranſmutatus eſt ſensus; qui tamen faciliter corrigi poteſt.

Paginâ 703. Num. 12. *Qui non teneantur* lege: *Qui nam teneantur.*

Paginâ 514. Caſus XX. in Bulla Cænæ verſibus legi debent, & exprimi debebant.

Reliqui errores facile corrigi poterunt.



INDEX

INDEX
Rerum & Verborum.
A

Divinatio

K

L

Legales

N

O

P

R

Ritus







